XII
C
~~12~~
34

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XII
C
34
NAPOLI

G.e

NAPOLI

DE HORIS CANONICIS TRACTATVS.

In quo non ſolùm de Officiis diuinis, verùm etiam de Oratione in communi, & de Quotidianis diſtributionibus accuratiſſimè diſputatur.

AVCTORE

R. D. BARTHOLOMÆO A S. FAVSTO,
aliàs PIRRO, SICVLO, PLATIENSI, Monacho Congregationis BEATÆ MARIÆ Fulienſis, Ordinis Ciſtercienſis, & viſitatore Generali eiuſdem Congregationis.

OPVS NON SOLVM ECCLESIASTICIS, verùm etiam cunctis Sacræ Theologiæ ſtudioſis vtiliſſimum.

R. D. IOANNI A SANCTO FRANCISCO Superiori Generali Congregationis B. MARIÆ Fulienſis dicatum.

Coll. Societ. Iesu Biblioth.

LVGDVNI,
Sumptibus CLAVDII LANDRY.

M. DCXXVII.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI

D. IOANNI A S. FRANCISCO,
Superiori Generali Congregationis
reformatæ BEATÆ MARIÆ
Fulienſis,

Domnus Bartholomæus à Sancto Fauſto,
ſalutem & perpetuam fœlicitatem
à Deo precatur.

ABSOLVI (Deo dante) non ſine magno ſtudio, & labore, iam diu à noſtris deſideratũ opus de HORIS CANONICIS, quod eſt quartus qualiſcunque ingenij mei partus: quem vt tibi, REVERENDISSIME PRÆSVL, vetere conſuetudine noſtris etiam ap-

probata temporibus cõſecrarem, non ſolùm hoc tibi filius, quamuis indignus, & minimus ſummo iure debebat, verùm etiam hoc tua merita poſtulabant: hoc tua morum integritas, vitæ probitas, & officij dignitas exigebant. Quandoquidem tu es qui gemino virtutis, & doctrinæ humero Congregationem noſtram ſuſtentas. Tu eius alumnos filios tuos præſtantiſſimis cunctarum virtutum exemplis ſemper ad metam perfectionis attingendam tacitè cohortaris, viuáque voce ſæpiſſime cùm adhortationibus publicè, tum piis conſiliis, monitis, & præceptis priuatim ex viſceribus paternæ dilectionis indultis, vel ignauos, & languidos excitas, vel iam currentes impellis. Tu tuis ſcriptis in Molineum inſignem noſtri temporis nouatorem, & tranſlationibus de Grę-co in vulgarem ſermonem operum D. Dionyſij Areopagitæ, Epicteti, &

Exame

Exameronis D. Baſilij, & Eccleſiam Gallicanam locupletaſti, & Congregationem fidei tuæ,curæque traditam exornaſti. Tu denique præclaras res geſtas,virtutéſque eximias fœlicis recordationis Illuſtriſſimi Domini Frãciſci de Sales Epiſcopi Geneuæ ſatis amplo volumine in ſex libros digeſto poſteritati commendaſti.Quapropter incredibili afficior gaudio, quòd in luce præclari nominis viri adeò Religioſi, & eruditi appareant opera pietatem, & doctrinam præ ſe ferentia, quem pietas, & doctrina ad excelſum Religionis gradum euexerunt. Hæc ſunt optime Paſtor, quæ me dulci quadam violentia impulerũt, vt quas Horarum Canonicarum lucubrationes nunc promulgo, tuo vellem patrocinio defendi, tuo nomine illuſtrari. Accipe igitur læta facie, ſerenóque vultu, optimarum omnium diſciplinarum Patrone inclyte, ac

Mœcenas alter, munuſculũ hoc multis rationibus debitum, etſi exiguum, magna tamen animi propenſione oblatum, dum alios meos labores, nonnullos poſt annos, diuino fauente numine, in lucem emittere præparo. Interim Deum ter optimum Maximum oro, vt te pro Religionis noſtræ ornamento, & commodo diutiſſimè in iſto Generalatus officio tueatur, & ſeruet incolumem. Datum in Monaſterio noſtro Sancti Ioannis Baptiſtæ, Congregationis Beatæ Mariæ Fulienſis, in Auguſta Ciuitate Peruſiæ fundato, erecto, & dotato ab Illuſtri Domino Ioanne Baptiſta Pontano ſtirpis Hieronymi ſui patris extremo, nunc in ætatis ſuæ anno 90. die 7. menſis Martij 1626.

APPRO

APPROBATIO.

Facultas Reuerendiſſimi Patris, Superioris Generalis Congregationis Beatæ Mariæ Fulienſis.

NOs Frater IOANNES A SANCTO FRANCISCO Superior Generalis, facultatem facimus, vt Tractatus de HORIS CANONICIS, à Domno BARTHOLOMÆO A SANCTO FAVSTO noſtræ Congregationis Monacho compoſitus, & Theologorum iudicio examinatus, & approbatus, in lucem edatur, ſi ſuperioribus quibus id competit,ita placuerit. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas dedimus, in Monaſterio Sanctæ Pudentianæ de Vrbe. Die 20. menſis Martij 1625.

Fr. IOANNES A SANCTO FRANCISCO
Superior Generalis.

PIETATEM redolet tractatus , & à pio etiam Authore eſt,vtilis eſt ſanè, & dignus in plurimorum vtilitatem qui in lucem prodeat. Omnia habet ad mentem Eccleſiæ conformia, nihil contra fidem, nihil contra mores bonos proponens. Sic cenſeo. Actum Lugduni die prima Decembris 1626.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT
Epiſcopus Damaſci.

QVOD fauſtum ſit; Tractatum hunc de HORIS CANONICIS à P. BARTHOLOMÆO A SANCTO FAVSTO compoſitum, ritè & canonicè vt ſuprà laudatum & approbatum in lucem edi permittimus. Lugduni die quarta Decembris 1626.

MENARD Vicar. Gen. ſub.

CON

CONSENSVS.

LIBRVM hunc qui inſcribitur DE HORIS CANONICIS TRACTATVS Auctore R. D. BARTHOLOMÆO A S. FAVSTO Monacho B. MARIÆ Fulienſis Ordinis Ciſtercienſis à Theologis probatum, ego Procurator Regius Typis mandari & demum in lucem exponi conſentio. Lugduni 9. Decemb. 1626.

PVGET.

DE HORIS CANONICIS TRACTATVM à R. D. BARTHOLOMÆO A S. FAVSTO Monacho Congregationis Fulienſis Ordinis Ciſtercienſis, compoſitum, à CLAVDIO LANDRY Bibliopola Lugdunenſi in lucem dari permittimus, ſimul ne quis citra factam ei poteſtatem denuo excudat, interdicimus. Lugduni 9. Decembris 1626.

AVSTREIN.

INDEX

Auctorum omnium, ex quorum doctrina præſens hoc noſtrum opus compactum eſt.

A

AVGVSTINVS Sanctus.
Ambroſius Sanctus.
Anſelmus Sanctus.
Adrianus Papa.
Albertus Magnus.
Alexander Alenſis.
Abulenſis.
Almaynus.
Alphonſus à Caſtro.
Alphonſus Viualdus.
Archidiaconus.
Andreas Siculus.
Auguſtinus de Anchona.
Antonius Gomeſius.
Ariſtoteles.
Auerroës.

B

BAſilius Sanctus.
Benedictus Sanctus.

Bernar

Bernardus Sanctus.
Bernardinus Sanctus.
Bonauentura Sanctus.
Beda venerabilis.
Bonifacius Papa Octauus.
Bartolus.
Baldus.
Bellamera.
Bellarminus Cardinalis.
Bartholomæus Hugolinus.
Bartholomæus à Medina.
Bartholomæus Gomeſius.
Bartholomæus Ledeſmius.
Bannes.

C

CYprianus Sanctus.
Chryſoſtomus Sanctus.
Couarruuias.
Calderinus.
Coſmus Philiarchus.

D

DIonyſius Areopagita Sanctus.
Damaſcenus Sanctus.
Dionyſius Carthuſianus.
Durandus.

E

EMmanuel Rodericus.
Emmanuel Sà.

Euſta

Euſtachius à Sancto Paulo.

F

FElinus.
Franciſcus Toletus Card.
Franciſcus à Victoria.
Franciſcus Suarez.

G

GRegorius Magnus Sanctus.
Gregorius Nazianzenus Sanctus.
Gerſon.
Gregorius Lopez
Gabriel Biel.
Gregorius Sayrus.
Gregorius de Valentia.
Gabriel Vaſquez.
Galenus.

H

HIeronymus Sanctus.
Hugo de Sancto Victore.
Hugo Cardinalis.
Hoſtienſis.
Henricus Henriquez.
Hieronymus à Sorbo.

I

ISidorus Sanctus.
Innocentius Papa.
Ioannes Maioris.
Iaſon.

Ioannes

Ioannes de Imola.
Iulius Clarus.
Ioannes de Medina.
Ioſephus Angles.
Iacobus de Graffiis.
Ioannes Azorius.
Ioannes Salas.
Ioannes Baptiſta Corradus.

L

LEo Papa.
Lyranus.
Ludouicus Lopez.
Leonardus Leſſius.
Ludouicus Molina.

M

MArtinus Nauarrus.
Martinus Ledeſmius.
Maiolus.
Mercatus.
Melchior Canus.
Michaël de Palatio.
Michaël Salon.
Michaël Medina.
Michaël Vaſquez.
Molfeſius.
Marcellus Francolinus.

Nico

N

NIcolaus de Lyra.

O

OKam.
Origenes.
Ouidius.

P

PAulus Apoſtolus.
Pius Quintus.
Petrus Lombardus.
Petrus Paludanus.
Petrus de Palude.
Petrus à Soto.
Petrus de Caſtro.
Petrus Damianus.
Petrus de Ledeſma.
Petrus de Aragon.
Petrus Nauarra.
Palacios.

R

RIcardus de Sancto Victore.
Ricardus de Media Villa.
Raimundus.
Rebellus.
Reginaldus.

S

SCotus Doctor ſubtilis.
Sotus.

Stepha

Stephanus Durantus.
Stephanus Quaranta.
Speculum Confeſſariorum.
Supplementum Gabrielis.
Sanchez.
Summa Caietana.
Summa Sylueſtrina.
Summa Antonina.
Summa Tabiena.
Summa Angelica.
Summa Confeſſorum.
Summa Armilla.
Summa Aſtenſis.
Summa Piſanella.

T

THomas Aquinas Doctor Angelicus.
Tertullianus.
Turrecremata.
Thomas Caietanus.

V

VIguerius.
Vega.
Vincentius Filiucius.

Z

ZAbarella.

INDEX

Librorum totius operis.

Tractatus de Horis Canonicis continet libros tres, & ſexcentas triginta quatuor quæſtiones.

PRIMVS liber agit de Oratione in communi.

Secundus de Horis Canonicis.

Tertius & vltimus de Quotidianis diſtributionibus.

LIBER

LIBER PRIMVS.

DE ORATIONE IN COMMVNI.

CVM rectus docendi ordo poſtulet, vt ea primo loco diſſerantur, quæ ad aliorum cognitionem, viam, & aditum parant: commodum eſſe duxi de oratione in vniuerſum in primis diſputare, cùm illa veluti luce, permonſtretur via ad dignoſcendam illam orationis formam, quæ Horæ Canonicæ nuncupantur.

Scribunt de hoc argumento plurimi tum veteres tum recentiores Theologi in 4.diſt.15.D.Thomas 2.2.q.83. art.1.& ſeqq. & Caietanus ibidem. Sotus, lib.10. de iuſt.q.5.Medina C.de oratione. Gabr.Biel in Can.Miſſæ lect.61. Arrag. 2.2.q.83. art.1. Bellar. lib.1. de bonis operibus. Leſſ. lib.2. de iuſt.cap.37.dub.2. Valent.2.2. diſp.6.q.2.p.1.Azor.p.1.lib.9. Ban.de iuſt.q.83.dub.2. Suar.to.2.de Relig.tract.4.lib.1. Reginald.lib.4.cap.6. & lib.18. cap.11. Angles tractatu de oratione. Vincentius Filiucius tom.2.de Eccleſiaſticis officiis tract.23. cap. 2. D.Euſtachius à Sancto Paulo in 2.p. Theologiæ

tract. 1. quaeſt. 8. Nauarr. in Manuali cap. 25. & in Enchirid. de oratione, & horis canonicis. Summiſtæ verò vt Angelus, Tabiena, Roſella, Piſanella, Syluester, Armilla, & multi alij verbo oratio, ex quorum dictis, (vt Sanctus faciebat Antonius ex ſuorum Monachorum virtutum floribus) librum hunc noſtrum de oratione componemus, quem credimus (Deo dante) omnibus odorem ſuauiſſimum, vberrimumque fructum ſimul præſtiturum,

Et vt à nomine eius exordiamur, obſeruandum eſt primò, orationem trifariam ſumi poſſe. ſ. generaliſſimè, generaliter, & ſpecialiter. Oratio generaliſſimè ſumpta comprehendit omnem bonam actionem. In qua ſignificatione videtur ſumi illud 1. ad Theſſ. 5. Sine intermiſſione orate. Et illud Luc. 18. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere. Quę loca Gloſſa ordinaria exponit, id eſt, ſemper iuſtè viuite: nam iuſtus nunquam deſinit orare, niſi deſinat eſſe iuſtus: ſemper ergo orat, qui ſemper bene operatur.

Oratio generaliter ſumpta comprehendit omnem actum contemplationis, meditationis, & laudis Dei, & Sanctorum, vel gratiarum actionis ipſi facta, & quamcunque petitionem, qua à Deo, vel à Sanctis eius aliquid poſtulamus, iuxta illud Matth. 26. Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Vbi orare ſignificat non ſolum petere vel rogare, verumetiam res diuinas meditari, & contemplari, iuxta illud etiam Lucæ 18. Phariſæus hæc orabat, &c. qui tamen nil in eis petebat: ſolùm enim gratias agebat, ob quædam ſibi collata beneficia, quæ narrabat. Et illud Matth. 14. & Marc. 6. Abiit in montem orare, id eſt, ad cœleſtem gloriam contemplandam: non enim Chriſtus Dominus in montem ad petendum ſolummodo aſcendebat.

Oratio

Oratio autem ſpecialiter ſumpta eſt petitio Deo facta. Et in hoc tertio modo loquimur nos de oratione. Vnde ſecundum Hieronymum in epiſtola 139. ad Cyprianum, dicitur oratio quaſi oris ratio, nam ex ſuo nomine oratio ſignificat expreſſionem alicuius actus rationis per effectum oris, id eſt, per vocem. Vnde & ſermones Rhetorici, orationes dicuntur, & Rhetorici Oratores. Tranſlatum eſt autem vlterius hoc nomen orationis ad ſignificandum petitionem, quam Deo aliquis facit, vt Matth.5. Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, hoc eſt, rogate, & petite.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit oratio ſpecialiter, & propriè ſumpta?

RESPONDEO eam variè, & exactè à Sacris Doctoribus definiri.

Ex D. Auguſtino in libro de Spiritu, & litera. Oratio eſt pius mentis affectus in Deum directus. Et in ſermone 230. de tempore. Oratio eſt aſcenſio animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium deſiderium. Et alibi. Oratio eſt animæ ſanctæ præſidium, Angelo bono ſolatium, diabolo ſupplicium, gratum Deo obſequium, & pœnitentiæ Religionis laus tota, perfecta gloria, ſpes certa, ſanitas incorrupta.

Ex D. Baſilio in oratione ad Iulitam martyrem. Oratio eſt boni cuiuſdam petitio, quæ à piis ad

Deum effunditur. Et iterum. Oratio eſt oſtenſio voluntatis noſtræ ei à quo impetrare ſperamus id, quod deſideramus.

Ex Gregorio Niſſeno oratione prima de oratione Dominica. Oratio eſt conuerſatio, & ſermocinatio cum Deo. Et oratione ſecunda. Oratio eſt petitio bonorum, quæ Deo, cum ſupplicatione offertur.

Ex D. Ambroſio. Oratio eſt cibus mentis, præclaraque alimonia ſuauitatis, quæ membra non onerat, ſed in ornamenta conuertit.

Ex D. Chryſoſtomo homilia 30. in Geneſim. Oratio eſt colloquium cum Deo.

Ex Hugone de Sancto Victore in libro de virtute orandi. Oratio eſt conuerſio mentis in Deum per pium, & humilem affectum fide, & ſpe, & charitate ſubnixa. Et alibi. Oratio eſt deuotio ex cordis compunctione profecta.

Et ex D Bernardo in quadam ſua epiſtola. Oratio eſt hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam, ac pia alloquutio, & ſtatio illuminatæ mentis ad fruendum Deo, quamdiu licet. Et rurſus. Oratio eſt vnio cum Deo. Et iterum. Oratio eſt deſiderij coram Deo explicatio, vt aliquid ab ipſo impetremus.

Quæ omnes potius deſcriptiones, quàm veræ definitiones ſunt dicendæ. Quare his omnibus omiſſis, ea quæ eſt D. Damaſceni lib. 3. de fide Orthod. cap. 24. ponitúrque à D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 1. nempe oratio eſt petitio rerum decentium à Deo: eſt optima, vtpote quæ magis quidditatem, & eſſentiam orationis patefacit. In qua definitione tres ſunt particulæ.

Prima

Prima eſt (*petitio*) quæ ponitur pro genere, quod omnis bona definitio requirit, nam omnis oratio eſt petitio, non tamen omnis petitio eſt oratio, vt quæ homini viuo fit, non eſt oratio, eſt tamen petitio.

Secunda eſt (*rerum decentium*) quæ ponitur ad reiiciendas petitiones turpes, aut ſaluti noſtræ obnoxias, quæ non ſunt actus Religionis, Deus enim non eſt mali author, ſed odio proſequitur impium, & impietatem eius, & oratio qua aliquid mali à Deo petitur, non eſt oratio, ſed execratio, vt rectè docet Illuſtriſſimus Caietanus 2.2.q.83.art.4. Non ſunt igitur petenda à Deo, niſi honeſta, & ſaluti animæ vtilia.

Tertia eſt (*à Deo*) quæ etiam ponitur pro differentia, ad excludendas omnes petitiones, quæ hominibus fiunt, quæ licet Summo Pontifici fiant, non dicuntur orationes.

Hinc non eſt oratio illa, qua quis petit aliquid à Rege, vel Summo Pontifice, quia non eſt petitio quæ fit Deo, quæ tamen neceſſaria eſt ad orationem.

Hinc, ad orationis perfectionem non requiritur, vt petitio ore, vel ſcripto exprimatur, ſed ſufficit quòd ſola mente fiat. Quia cum oratio fiat Deo, qui ſcrutatur cor 1. Reg. 16. nihil refert, aut verbis, aut ſola mentis cogitatione fiat.

Eſt autem hîc obſeruandum, quòd quando dicimus, quod oratio fit Deo, intelligendum eſt primò immediatè, vel mediatè: immediatè, vt quando ſine vllo medio oramus Deum: vel mediatè, vt quando oramus ſanctos: tunc enim Deum oramus, tanquam primarium bonorum, quæ deſideramus

ramus largitorem : Sanctos autem tanquam mediatores, & interceſſores.

Secundò intelligendum eſt, expreſsè, vel tacitè, quia ad naturam orationis ſufficit, non modò ſi expreſsè, ſed etiam ſi tacitè fiat. Vnde oratio propriè fuit petitio illa tacita ſanationis Lazari, quam Ioan. 11. ſorores ipſius à Chriſto petierunt dicentes : Ecce, quem amas infirmatur.

QVÆSTIO II.

Quotuplex ſit oratio?

Respondeo triplex. ſ. mentalis tantùm, vocalis tantùm, & mixta. Oratio mentalis tantùm, dicitur illa, quæ mente tantùm fit, qualis fuit oratio Annæ ad Deum pro ſuſcipienda prole 1.Reg.1.vbi legitur,quod Anna loquebatur in corde ſuo. De hac etiam dicitur Pſal.26.Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea.

Oratio vocalis tantùm,eſt illa, quæ fit ſolis verbis, nihil animo concipiendo, nec quid dicamus, cogitando. De qua dicitur in Iſai. 29. Populus hic labiis me honorat, cor autem eius, longè eſt à me. Et hæc oratio potius hypocriſis, quàm oratio dicenda eſt.

Oratio verò mixta ,id eſt mentalis, & vocalis ſimul, eſt illa quæ ex vtrâque conſtat. Et de ea dicitur pſal.15. Lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea. Et pſalm. 16. Intende voci orationis meæ.Et pſalm.83.Cor meum,& caro mea exultauerunt

tunt in Deum meum. Et pſalm. 141. Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum. Et Chriſtus Dominus non ſolùm in cruce voce magna orauit; verùm etiam tradidit Matth. 6. formulam precandi tùm vocaliter, tum mentaliter, ſine multiloquio. Vox enim in oratione vtilis eſt, non qua Deum, de iis, quibus indigemus, doceamus, aut commoneamus, ſed vt nos ipſos verbis ad deuotionem excitemus, iuxta illud Apoſtoli ad Col. 3. Docentes, & commonentes nos ipſos pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus.

Oratio autem mixta eſt duplex. ſ. publica, & priuata. Oratio publica ſeu communis eſt illa, quæ per miniſtros Eccleſiæ pro communi populi ſalute celebratur, iuxta illud Pauli ad Hebræos 5. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis: quæ neceſſariò debet eſſe vocalis.

Oratio verò priuata, ſeu particularis eſt illa, quam offert aliquis non vt miniſter Eccleſiæ, ſed vt priuata perſona pro ſe, vel pro alio priuato. De qua dicit Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus: ſimiliter & mulieres, &c. Vnde prior illa publica eſt, etiamſi intra cubiculum clauſo oſtio ſolitariè, & ſubmiſſa voce fiat. Hæc verò poſterior priuata eſt, etiamſi in templo, vel in platea fiat.

Ex quo colligitur quod vt oratio ſit publica, neceſſe eſt, vt fiat à perſona, quæ ſit Eccleſiæ miniſter deputatus ad orandum nomine totius populi, & quòd ipſe hac intentione oret, vt expleat munus

ſuum, & conſequenter neceſſe eſt, vt oret modo præſcripto ab Eccleſia ad orandum Deum nomine ipſius: omnis autem alia oratio, quæ his conditionibus caret, priuata eſt.

Hinc, qui recitat horas canonicas ab Eccleſia inſtitutas, id tamen facit tantùm vt priuata perſona, illa erit oratio priuata, & non publica.

Rurſus Oratio mentalis diuiditur in meditationem, & contemplationem. Meditatio conſiſtit in conſideratione mediorum vitæ ſpiritualis, id eſt, eorum, ex quorum cognitione dirigimur in viam ſalutis æternæ: & eſt ſecundùm D. Thom. 2. 2. quæſt. 184. art. 3. proceſſus, ſiue diſcurſus intellectus, in veritatis inquiſitione occupati. Et idem eſt (ſecundùm D. Bernardum in libro de conſideratione ad Eugenium) ac conſideratio.

Contemplatio autem conſiſtit in conſideratione finis vitæ ſpiritualis, putà Dei, & diuinorum attributorum ipſius, nimirum bonitatis, omnipotentiæ, &c.

Oratio diuiditur rurſus in obſecrationem, & orationem, & poſtulationem, & gratiarum actionem, vt conſtat ex Apoſtolo 1. ad Timoth. 2. vbi quatuor conſtituit quaſi ſpecies, ſiue partes integrales orationis, cùm ait: Obſecro igitur primùm fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Et ratio huius eſt, quia vt oratio ſit integra, & perfecta, neceſſariò quatuor debent concurrere. Primò, vt orans oculos mentis eleuet in Deum, quem orat, contemplans eius bonitatem, &c. Quod fit per orationem, quæ vt diximus eſt aſcenſio mentis in Deum. Secundò, vt ſimul gratias illi pro omnibus benefi

beneficiis exhibeat, quo dignior reddatur accipere potiora, quod intelligitur per gratiarum actiones. Tertiò, vt ſtatim petat, quod cupit, quod fit per poſtulationem. Quartò, & vltimò eſt, vt ad impetrandum quod petit, dicat, vt id ei concedere dignetur, vel propter eius bonitatem, ſecundùm illud Daniel. 9. Propter temetipſum inclina Deus meus, vel propter Chriſti merita. Et hoc ſignificatur nomine obſecrationis, quæ eſt per ſacra conteſtatio, ſicut cum dicimus: Per natiuitatem tuam libera nos Domine. Illuſtrat hoc D. Thom. 2. 2. quæſt. 83. artic. 17. exemplo collectæ feſti Sanctiſſimæ Trinitatis. Nam cùm dicimus: Omnipotens ſempiterne Deus; oratio eſt. Cùm addimus: Qui dediſti famulis tuis veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere: gratiarum actio eſt. Cùm adiungimus: Tribue quæſumus, vt eiuſdem fidei firmitate ab omnibus ſemper muniamur aduerſis, poſtulatio eſt. Cùm concludimus: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, obſecratio eſt.

Oratio rurſus alia eſt bona, & alia mala. Bona oratio eſt, quæ fit ſeruatis omnibus conditionibus debitis, vt illa Publicani: Deus propitius eſto mihi peccatori. Mala vero, cui aliqua ex debitis conditionibus deeſt, vt illa Phariſæi: Gratias tibi ago, quia non ſum, &c.

Nam bonum vt habetur ex D. Dionyſio Areopagita c. 4. de diuin. nomin. conſtat ex integra cauſa, malum autem ex defectu vnius circunſtantiæ. Duplex autem eſt oratio mala, vna quæ dicitur mala per ſe, quia nimirum quod malum eſt, petitur, vt vindicta priuata de inimico. Altera dicitur mala ex circunſtantiis, qualis eſt illa, qua etſi petatur bo-

num, non tamen bene petitur, iuxta illud Iacobi 4. Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis. ſ. negligenter, remiſsè, abſque attentione, vel quòd nobis non expedit, immò fortè ſuperuacaneum, aut noxium futurum eſt.

Tandem oratio diuiditur in viuam, mortuam, & mortiferam. Viua eſt oratio iuſti, cui nulla circunſtantia deeſt, de qua dicitur pſal. 33. Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum: & hæc de rigore iuſtitiæ ſemper meretur augmentum gratiæ, & æternam gloriam: & ſatisfacit pro peccatis, & eſt quoque impetratoria eorum quæ in ea petuntur, concurrentibus tamen conditionibus neceſſariis.

Mortua eſt oratio quæ ex ſua natura eſt bona, & debitis circunſtantiis ornata, fit tamen ab exiſtente in peccato mortali, & hæc non meretur de rigore iuſtitiæ, gratiam, aut gloriam, nec eſt ſatisfactoria, vt communis opinio docet, cum D. Thom. in 4. diſt. 16. impetrat tamen de congruo, vt oratio Publicani Lucæ 16.

Mortifera denique oratio eſt illa, quæ eſt mala, ſiue vitioſa, & peccatum, ob defectum alicuius circunſtantiæ neceſſariæ, & hæc nihil horum habet, cùm ſit Dei offenſiua, & punitione digna, licèt in malum eam facientis ſæpius audiatur à Deo, quemadmodum in malum Iudæorum Regem petentium, datus eſt illis Rex. Vnde & Dominus mala quæ ſub Rege paſſuri erant, illis prædixit, vt habetur 1. Reg. 8. Similiter in malum eorum datæ ſunt illis coturnices, quando carnes petierunt: ſiquidem in earum comeſtione multi perierunt. Sub qua ſpecie includo etiam illam, quæ tantùm eſt peccatum veniale,

niale, non quia mortem inferat, ſed quia ad illam diſponit, vel vitam æternam differt, eò quòd apta nata eſt priuare aliquo tempore gloria.

Ex quo ſequitur nullam orationem factam cum aliquo defectu mortali, vel veniali alicuius circunſtantiæ eſſe fructuoſam, niſi ad ſummum ad ſatisfaciendum de iuſtitia præcepto orandi, quod etiam non impletur, ſi defectus ſit mortalis, ratione attentionis, vel deuotionis.

QVÆSTIO III.

Cuiuſnam facultatis oratio ſit actus?

IN qua re conuenit inter omnes, eam eſſe actum facultatis præditæ intelligentia, vt rectè monet D. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 1.

Sed dubium eſt, an voluntatis actus ſit, an intellectus?

In qua quæſtione etiam certum eſt, ad orationem intellectum, & voluntatem concurrere, nam in primis neceſſarium eſt, vt intellectus habeat aliquam actualem conſiderationem Dei, quia nemo poteſt petere niſi ab eo, quem per cognitionem aliquo modo habet præſentem. Secundò ex parte voluntatis, ſaltem neceſſarium eſt deſiderium rei petitæ, nemo enim verè aliquid petit, niſi quod ex corde deſiderat, deſiderium autem eſt actus voluntatis.

Tum quia qui aliquid à Deo petit, oportet in primis vt cognoſcat indigentiam illius rei, quam petit,

petit, & quòd illam habere cupiat. Deinde neceſſe eſt, vt iudicet Deum eſſe authorem eius, & poſſe illam concedere, ob idque ab ipſo eſſe cupiendam, & petendam, ac proinde conſtat, in oratione intellectum, & voluntatem concurrere.

QVÆSTIO IV.

Totum igitur controuerſiæ diſſidium verſatur: An oratio ſit potiùs actus intellectus, quàm voluntatis?

IOANNES Medina C. de pœnitentia tract. de oratione cap. 2. contendit orationem eſſe potiùs actum voluntatis.

At conſtans eſt, & firma, ac certa D. Thomæ ſententia in 2. 2. q. 83. art. 1. orationem eſſe potiùs actum intellectus. Probatur: Orare nihil aliud eſt, quàm exprimere cordis deſiderium, illúdque Deo dicere, atque manifeſtare: ſed hæc pertinent ad intellectum, & non ad voluntatem, ergo oratio eſt potiùs actus intellectus, quàm voluntatis.

Tum quia oratio mentalis eſt locutio mentis, ſicut oratio vocalis eſt locutio oris, ſed locutio mentis ad intellectum pertinet, & non ad voluntatem, ergo.

Tum quia ſæpe orans ſuadet, vt rem deſideratam impetret, ſuadere autem rationis eſt, non voluntatis, cuius eſt deſiderare, ergo.

Tum demum, ſi oratio eſſet actus voluntatis, maximè

maximè eſſet deſiderium obtinendi rem poſtulatam: at conſtat deſiderium non eſſe orationem, quia non eſt petitio, multa enim deſideramus ab aliis fieri, quæ interdum nolumus ab eis petere, ergo oratio propriè non eſt actus voluntatis, ſed intellectus.

Dices, oratio eſt Religionis actus: at Religio eſt virtus, quæ in voluntate ſedem habet, ergo.

Reſpondeo, nihil referre, quòd oratio ſit Religionis actus, & Religio ſit virtus in voluntate ſedem habens, quia virtus quæ in vna potentia inſidet, non ſolùm functiones illius potentiæ, in qua inhæret, ſed etiam aliarum potentiarum opera præſtat.

QVÆSTIO V.

Vtrùm oratio ſit virtus?

NONNVLLI propter eius excellentiam, & vim qua pollet, & præſtat aliis, vſúmque neceſſarium ad ſalutem, cenſent eam eſſe virtutem.

At D. Thomas communiter receptus in 2. 2. q. 83. art. 3. affirmat eam eſſe virtutis actum, & officium, non virtutem, quia à nobiliſſimis virtutibus. ſ. fide, ſpe, & charitate elicitur, vt author eſt D. Auguſt. ad Probam, de orando Deo. Quare omnia Sanctorum dicta, quibus eam appellant virtutem, intelligenda ſunt per figuram metonymiam, qua effectus pro cauſa, vel contra, cauſa pro effectu ſumitur.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm oratio ſit proprius, & elicitus actus Religionis?

RESPONDEO affirmatiuè. Et ratio eſt, quia ad Religionem pertinet reuerentiam, & honorem Deo exhibere, ergo omnia illa ad Religionem ſpectant, per quæ Dei honor, & reuerentia exhibetur, talis autem eſt oratio, qua homo ſubiicit ſe Deo, teſtatúrque orando ipſum eſſe ſupremum rerum omnium authorem, qui omnia creauit, & creata conſeruat, & regit: immo etiam credit eſſe veracem, & fidelem in implendo quod promiſit: ideo enim in omnibus eius auxilium implorat, quia ex eius nutu cuncta dependent, quæ extra ipſum exiſtunt. Nam qui ab alio aliquid petit, eo ipſo oſtendit ſe inopem, & illius ope indigere, & illi tanquam ſuperiori, & potentiori ſe ſubmittit.

Deinde teſtatur ipſum omnia ſcire in particulari, omnium habere prouidentiam, omnia poſſe, omnium miſereri, &c. Ex quo fit, vt qui orat Deum, eo ipſo latriæ cultum, & honorem tribuat: nam ab eo precatur, & petit veniam peccatorum, omnis mali depulſionem, cœleſtia, ſempiterna, ac demum omnia bona, ergo Deum agnoſcit omnium bonorum authorem, & largitorem, cùm profiteatur eum ſupremum omnium dominium habere. Ita D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 3.

Obiicies, Religionis eſt honorem, & cultum Deo

Deo debitum exhibere, ſed qui orat, ſæpenumero non recordatur gloriæ,aut cultus diuini, ergo oratio non eſt actus Religionis.

Reſpondeo, vt oratio ſit actus Religionis ſatis eſt, quòd actus orationis, quantum eſt ex ſe reſpiciat gloriam diuinam, ita vt ſi quis recordaretur, per illum poſſet excitari ad recognoſcendam diuinam Maieſtatem,atque adeò ad retribuendum Deo gloriam.

Deinde qui orat, eo ipſo habet voluntatem petendi à Deo rem decentem, & hoc ſatis eſt, vt ille actus ſit Religionis, etiam ſi ille nihil actu cogitet tunc de cultu Dei in actu ſignato, quia ſatis eſt, quòd in actu exercito velit verum cultum de quo cogitat,prudenter iudicando Deum eſſe orandum.

Dices, oratio eſt actus ſpei, ergo non eſt actus Religionis. Probo conſequentiam,quia idem actus non poteſt eſſe plurium virtutum.

Reſpondeo primò, quòd licèt idem actus non poſſit immediatè elici à pluribus virtutibus, quia non poteſt habere plures rationes formales ſpecificas, poteſt tamen à pluribus virtutibus imperari.

Secundò reſpondeo, quòd oratio explicitè, & formaliter eſt actus ſpei, implicitè tamen eſt actus Religionis, quia qui orat expreſsè non intendit Deum honorare, ſed gratiam impetrare, implicitè tamen Deo maximum honorem impendit, quia per orationem homo ſe ſubiicit Deo, profitetúrque orando ſe eo indigere, ſicut authore ſuorum bonorum.

QVÆ

QVÆSTIO VII.

Vtrùm oratio quæ ex aliquo timore proficiſcitur, ſit actus Religionis? v. g. nauigantes timentes naufragium orant Deum, magnáque ei munera promittunt, dubium eſt, an talis oratio ſit actus Religionis?

ET quidem certum eſt orationem, quæ ex metu filiali proficiſcitur eſſe actum Religionis, vt rectè monet D.Thom.2.2.q.19.art.2.

QVÆSTIO VIII.

Sed dubium eſt, quando oratio proficiſcitur ex timore ſeruili.

SVNT qui negant, quia talis oratio non proficiſcitur ex pietate, qua orans vult honorem Deo exhibere, ergo non eſt actus Religionis. Verùm hæc ſententia non mihi placet, quia talis oratio ex genere ſuo pertinet ad Religionem, cùm ſit proteſtatiua ex ſua natura excellentiæ, & virtutis exiſtentis in eo, cui fit oratio, nec timor adiunctus mutat conditionem ipſius, vt habetur ex Concil. Trid. ſeſſ.6. c.8. ergo ſi talis actus ſublato metu, eſt actus Religionis, ſimiliter erit exiſtente metu.

QVÆ

QVÆSTIO IX.

Vtrùm oratio ſit actus ſupernaturalis.

RESPONDEO quòd ſic. Et ratio eſt, quia vt oratio fiat, ſicut oportet, neceſſariò requirit ſupernaturale auxilium gratiæ. Ergo eſt actus ſupernaturalis. Antecedens patet, primò, ex illo Io. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et ex illo Paul. 2. Cor. 3. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, &c. Quæ loca maximè comprehendunt orationem, quæ non ſolùm magni momenti eſt, ſed etiam neceſſaria eſt ad ſalutem.

Secundò patet ex illo eiuſdem ad Rom. 8. Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram, nam quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis, gemitibus inenarrabilibus, id eſt, poſtulare nos facit, & docet, nimirum tribuendo poſtulandi vim. Qui autem ſcrutatur corda, id eſt Deus, ad quem oramus, ſcit, ideſt, approbat vt D. Th. exponit, quid deſideret Spiritus, id eſt, quòd deſiderare nos facit, quia ſecundùm Deum poſtulat pro ſanctis, id eſt, facit ſanctos, ſeu fideles poſtulare iuxta diuinum beneplacitũ, quod eſt orare ſicut oportet. Vnde D. Chryſ. hom. 38. in Gen. ait, quòd gratia preces noſtras ſemper præuenit. Et lib. 2. de orando Deum. Illud, inquit, auſculta, ſuper vires hominis eſt, miſcere cum Deo colloquium, niſi adſit vis, & actus Spiritus ſancti, ſed oportet illo præſente, ſanctíſque conatibus auxiliante, ita domum ingredi, & flectere genua, poſtremò orare, ac depre-

cari. Et mellifluus Doctor Bernardus, Tepida eſt oratio,niſi eàm præcedat inſpiratio. Ergo vt oratio fiat ſicut oportet, neceſſarium eſt ſupernaturale auxilium Spiritus ſancti. Conſequentia verò eſt D. Thomæ, & omnium Theologorum ſententia, qui ex hoc fundamento colligunt actus fidei, ſpei, & charitatis eſſe ſupernaturales, quia ſine Spiritus ſancti motione,& adiutorio fieri non poſſunt ſicut oportet.

QVÆSTIO X.

An vt oratio ſit actus ſupernaturalis, gratia iuſtificans requiratur.

Respondeo non requiri. Ratio eſt, quia virtus orationis ad impetrandum non fundatur in gratia hominis ſicut virtus merendi,ſed in miſericordia diuina,& verbo eius; ſed miſericordia diuina maximè ad peccatores reſpicit, licèt ex iuſtitia quidem nihil Deus illis debeat, vt rectè monet D. Thomas 2.2.q.83.ar.16.

Tum quia oratio eſt vnum ex potentiſſimis, & præſtantiſſimis mediis ad impetrandum à Deo gratiam iuſtificantem.

Tum quia licèt Deus libentiùs audiat iuſtos quàm peccatores, tamen ſi peccatores petant bona conducibilia ad ſalutem,ſemper exaudiuntur à Deo dummodo aliqua ex conditionibus neceſſariò requiſitis ad impetrandum non deficiat,vt optimè docet D.Thom.loco ſuprà citato.Vnde D.Chryſoſtomus ſuper illa verba Matt.7.Omnis enim qui petit, accipit,

accipit, expreſsè dicit illam promiſſionem non ſolùm ad iuſtos ſed etiam ad peccatores pertinere, quod colligit ex illa particula, *omnis*, quæ vniuerſalis eſt.

Huic etiam fauet illud Lucæ 18. vbi de publicano peccatore dicitur, quòd deſcendit iuſtificatus in domum ſuam: ergo vt oratio ſit actus ſupernaturalis, ſufficit actualis motiò Spiritus ſancti, etiam ſi habitus gratiæ iuſtificantis non interueniat.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm oratiò ſit actus nobiliſſimus.

RESPONDEO affirmatiuè. Et ratio huius eſt, quia oratio eſt maxima participatio æternæ fœlicitatis, quę in hac vita eſſe poteſt, vnde non immeritò beatitudo huius vitæ cenſeri poſſit. Quare D. Auguſt. in Pſal. 148. præſentem vitam ait debere eſſe præparationem quandam ad æternam; vt ſicut illa conſiſtit in perpetua viſione, & laude Dei, ita hæc quoad fieri poſſit illam imitetur. Et in libro de moribus Eccleſ. cap. 31. beatiſſimos vocat eos, qui perfectum hunc orationis gradum conſequuntur.

Tum quia oratio eſt diuturnum, & familiare colloquium cum Deo, quod eſt omnium maximum, quod de oratione dici poteſt. Vnde D. Chryſoſt. in quadam homilia ait: Conſidera quanta eſt tibi conceſſa fœlicitas, quanta gloria attributa, orationibus fabulari cum Deo, cum Chriſto miſcere colloquia. Et in libro de orando Deum. Per orationem Angelis

gelis copulamur,& ſocietatem quam cum animantibus habemus,procul effugere videmur. Angelorum eſt deprecatio interim eorum ſuperans dignitatem, ſiquidem maius eſt Angelorum dignitate, colloquium miſcere cum Deo. Et rurſus quis non obſtupeſcat,& admiretur tantam benignitatem, & beneuolentiam, quam in nos homines declarat Deus, qui nobis tantum honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipſo colloquamur, noſtráque vota apud ipſum deponamus: nam verè cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi. Et D.Auguſt. in quodam ſermone.Grande miraculum,vt homo terra,& cinis, in ſua puriſſima oratione cum Deo fabuletur. Et in tract.de oratione. Quid eſt oratione præclarius? quid vitæ noſtræ vtilius? quid animæ dulcius? quid in noſtra religione ſublimius? Oratio eſt quæ cœlum penetrat, nubes tráſit.Dei aures attingit. Oratio eſt,qua vniuerſa deſideria noſtra in conſpectu maieſtatis eius effundimus.Et in quodam ſermone ait. Oratio eſt animæ ſanctæ præſidium, Angelo bono ſolatium, diabolo ſupplicium,gratum Deo obſequium.

Tum demum, quia oratio ſupremum Dei cultum interiorem continet, & exercitium optimarum virtutum iuxta illud Iſaaci apud Caſſian. collat.nona.Sicut ad orationis perfectionem omnium tendit ſtructura virtutum, ita niſi huius culmine omnia fuerint colligata, atque compacta, nullo modo firma poterunt,vel ſtabilia permanere. Vnde D.Auguſtinus. O oratio ſancta, columba ſanctarum virtutum, deitatis ſcala, Angelorum cognata, fundamentum fidei, beatus qui te amat, ſed beatior qui te frequentat,

QVÆSTIO

QVÆSTIO XII.

Vtrùm oratio ſit commendabilis.

RESPONDEO affirmatiuè, vt conſtat ex multis Sacræ ſcripturæ locis. Eccleſ. 18. dicitur, Non ıpediaris orare ſemper. Ierem. 33. Clama ad me, ;o exaudiam te, dicit Dominus, & annunciabo ti- grandia, quæ neſcis. Et Pſalmo 144. Volunta- n timentium ſe faciet, & deprecationem eorum audiet, & ſaluos faciet eos. Et Pſal. 5. Quoniam te orabo Domine, manè exaudies vocē meam. Pſal. 33. Exquiſiui Dominum, & exaudiuit me, & omnibus tribulationibus meis eripuit me. Et ıl. 37. Subditus eſto Domino, & ora eum. Et 1. ıch. 5. Et nunc clamemus in cœlum. Et Tob. 12. nà eſt oratio cum ieiunio. Et Lucæ 11. Petite, & ıitur vobis. Et Matth. 26. Vigilate, & orate. Vn- D. Auguſt. Non tamen hortaretur, vt peteremus, dare vellet: erubeſcat humana pigritia, plus vult dare, quàm nos accipere: plus vult ille miſere- quàm nos à miſeria liberari. Item ad Rom. 12. ıtioni inſtantes. Ad Coloſ. Orationi inſtate, vi- ntes in ea. 1. ad Theſſ. 5. Sine intermiſſione ora- Iacobi 5. Orate pro inuicem vt ſaluemini. Et 1. .4. Vigilate in orationibus.

Iuic fauet exemplum Chriſti, qui licèt oratio- on indigeret, cùm per ſe omnia poſſet, tamen ıret nobis exemplum orandi, ſæpiſſime oraſſe ur, & vitam ſuam non ſolùm in cœna, & in o, ſed etiam in cruce orando conſummaſſe. De

eius oratione habetur Matth. 14. Dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare. Et cap. 26. Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem: progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam, orans, & dicens: Pater mi. Et paulo pòſt. Iterum ſecundò abiit, & orauit dicens: Pater mi, &c. Et ſubditur. Et orauit tertiò eundem ſermonem dicens. Item Marc. 1. Diluculò valdè ſurgens egreſſus abiit in deſertum locum, ibique orabat. Item Lucæ 4. Ieſu baptizato, & orante apertum eſt cœlum. Et cap. 6. Factum eſt in diebus illis, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei. Et cap. 9. Facta eſt ſpecies vultus eius altera, dum oraret. Et cap. 11. Factum eſt, cùm eſſet in loco quodam orans, vt ceſſauit, dixit vnus ex diſcipulis eius ad eum: Domine doce nos orare. Et cap. 22. Et factus in agonia prolixiùs orabat. Et cap. 23. Pater dimitte illis, quia neſciunt, quid faciunt. Item Ioannis 12. Pater ſaluifica me ex hac hora. Et eiuſdem cap. 17. Et ſubleuatis oculis in cœlum dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.

Huic etiam fauent exempla ſanctorum: Legitur Luc. 2. de Annà quòd non diſcedebat de templo ieiuniis, & obſecrationibus ſeruiens die, ac nocte. Et Act. 1. Erant omnes perſeuerantes in oratione vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre IESV & fratribus eius. Et cap. 10. Aſcendit Petrus in ſuperiora domus, vt oraret. Et de beato Martino legitur, quòd etiam moriens inuictum ab oratione ſpiritum non relaxabat. Et de Paulo primo Eremita legitur, quòd mortuus quaſi orabat, vnde habuit ſignum orantis, ore, & manibus in cœlum erectis, cùm inueniretur ſanctum cadauer eius appodiatum arbori

arbori à beato Antonio, qui de eo ait. Patet quàm aſſiduè, quantúmque oraret Deum viuus, qui non deſinit orare mortuus. Et Iacobus Alphæi ex aſſiduitate orandi contraxerat in genibus ſuis duritiam calemorum. Et S. Bartholomæus Apoſtolus centies in die,& centies in nocte ante Deum genua flectebat.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm oratio ſit fructifera.

RESPONDEO eſſe fructiferam, quod adeò eſt certum ex ſcripturis, vt ſuperuacaneum ſit illud probare, nam vtrumque teſtamentum plenum eſt fructibus, quos Spiritus ſanctus proponit orationis,cuius tanta eſt vis,& efficacia, vt vllū huius vitæ malum extet tam grande, quod orationis virtute profligari non poſſit:neque vllum rurſus tam illuſtre bonum,quod eius ope,& Dei bonitate impetrare, & aſſequi non poſſimus, iuxta illam celebrem Chriſti promiſſionem Ioannis 15.Quodcunque volueritis,petetis,& fiet vobis.Et iterum,Amē dico vobis, ſi quid petieritis Patrem, in nomine meo,dabit vobis. Immo oratiō eſt medium, quo Deus hominibus beneficia in vniuerſum conferre decreuit,ſiue ſpiritualia illa ſint, ſiue corporalia. Quare ſemper quando Deus promittit bonū aliquod hominibus dare, ſubintelligitur conditio, modò ipſi illud petant.: quod eſt adeò verum, vt notat D.Gregorius ſuper cap.4. Ioannis quòd promittit Deus filio ſuo homini daturum ſe gentes,

modò eius oratio præcedat, vt patet Pſalm. 2. Poſtula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. Quod & Chriſtus ſignificauit Ioãnis 4. quando dixit Samaritanæ : Si ſcires donum Dei, & quis eſt qui loquitur tecum,tu forſitan petiiſſes ab eo,& dediſſet tibi aquam viuam. Vnde meritò à Chryſoſtomo lib.1. De orando Deum,Oratio baſis,& radix omnis virtutis appellatur.& lib. 2. illam vocat omnis virtutis caput. Et iterum. Nequaquam inquit, aberrabit à vero, ſi quis affirmet deprecationem eſſe cauſam omnis iuſtitiæ,& virtutis. Et Caſſianus collat. 9. cap. 1. dicit orationem eſſe cum omnibus virtutibus connexam. Et D.Bernardus in quodam ſermone inquit. Noli vilipendere orationem tuam,quoniam ille quem oras, non vilipendit eam, ſed antequam egrediatur de ore tuo,ipſe eam ſcribit in libro ſuo. Et in libro medit. Vnum indubitanter ſperare debemus : aut dabit nobis quod petimus,aut quod nouit eſſe vtilius.Et D.Bonauentura de proceſſu Religionis lib.7.cap.11. Valde dicit delectari Deum in oratione propter multiplicem orantis vtilitatem, ſcilicet, Vt Deo indeſinenter inhæreat, vt beneficia Dei multipliciùs experiatur,vt abundanti deuotione in amorem Dei creſcat.Gloſſa etiam ſuper illud Pſal. Intret poſtulatio mea in conſpectu tuo Domine,inquit. Virtus magna puræ orationis hic experitur, quæ quaſi quædam perſona ad Deum intrat, & mandatum peragit,quò caro nequit peruenire. Et D.Auguſtinus, Magna virtus orationis, quæ effuſa in terra, operatur in cælo.Et D.Hieronymus in cap. Importunè.de pœnit. diſt.1. ait, Deus ipſe,qui nullius extra ſe ſuperari viribus poteſt, publicani precibus vincitur.

vincitur. Per hanc populus Iſraeliticus orante Moyſe, vicit, ſicut & eo orationem remittente, vincebatur.

Obijcies, oramus aliquem, vt voluntatem eius ad id agendum, quod petimus flectamus; at voluntas Dei eſt immutabilis, & inflexibilis iuxta illud Zach. 1. Ego Deus, & non mutor. Et illud Num. 21. Non enim Deus homo eſt, vt mentiatur, nec filius hominis vt mutetur, ergo oratio eſt inutilis, & infructifera.

Reſpondeo, quòd oratio homini prodeſt, non quidem immutando diuinam voluntatem, nam hoc eſt impoſſibile, ſed impetrando à Deo, quod ipſe media oratione adimplendum eſſe ab æterno diſpoſuit. Multa enim diſpoſuit Deus facere media oratione, ſicut etiam medijs alijs ſecundis, vt conſtat 3. Reg. 3. vbi dixit Deus Salomoni. Quia poſtulaſti tibi ſapientiam, ecce dedi tibi cor ſapiens, & intelligens. Et Iſai. 38. dicitur, Deum Ezechiæ propter ſuam orationem vitę tempus produxiſſe. Et Ionæ 3. Niniuitis propter eandē cauſam impunitatem conceſſiſſe. Et ideo Chriſtus noſter monebat Matth. 7. Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, quod non diceret, niſi oratio eſſet aliquo modo cauſa obtinendi, quod petimus. Et Iacobi 4. dicitur. Non habetis propter quod non poſtulatis, petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis; ergo non obſtante æterno decreto, poteſt eſſe oratio vna ex cauſis ad effectum. Vnde D. Aug. ſerm. 1. de Sancto Stephano ait, quòd ſi Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet. Et D. Proſper lib. 2. de vocatione gentium inquit. Quamuis quod ſtatuit Deus, nulla

B 5 poſſit

poſſit ratione non fieri, ſtudia tamen non tolluntur orandi, nec per electionis propoſitum liberi arbitrij deuotio relaxatur, cùm implendæ voluntatis Dei ita ſit præordinatus effectus, vt per laborem operum, per inſtantiam ſupplicationum, per exercitia virtutum fiant incrementa meritorum. Quod confirmat teſtimonio Angeli Tob. 6. qui priùs dixit Tobiæ, & Saræ. Surgite, & deprecamini Deum, vt detur vobis miſericordia, & ſanitas. & poſtea rationem reddit, tibi enim deſtinata eſt ante ſæcula, & tu ſanabis eam.

Verùm vt res hæc meliùs intelligatur, obſeruandum eſt, quòd duobus modis vult Deus aliquid facere: vno modo ſimpliciter, & abſolutè, ita vt ad id volendum, non determinetur ab operibus noſtris, & hanc voluntatem nos non poſſumus mutare, nec in aliam flectere, de quo procedit illud Iacobi 1. Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Et illud quod dixit Samuel: Porrò triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur, nec vt homo, vt agat pœnitentiam.

Alio modo vult Deus aliquid facere conditionatè iuxta exigentiam noſtrorum operum, vt ſi bona ſint, dabit præmium, è contra, ſi mala, pœnam. & hanc voluntatem dicitur mutare ſecundùm noſtram mutationem, ſi enim heri ob peccatum eram in ira Dei ad gehennam ordinatus, & tamen per pœnitentiam hodie reſipiſco, mutat Deus ſententiam, iuxta illud Hierem. 26. Noli ſubtrahere verbum, ſi fortè audiat, & conuertatur vnuſquiſque à via ſua mala, & pœniteat me mali, quod cogito facere eis propter malitiam ſtudiorum

diorum ſuorum. Et illud eiuſdem cap. 18, Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, agam & ego pœnitentiam à malo, quod cogitaui, vt facerem eis. Vnde D. Gregorius à Gratiano relatus in cap. Noui. de pœnit. diſt. 2. Nouit Deus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum. Sicut igitur per opera pœnitentiæ ſumus cauſa, vt Deus det, quod optamus, quod nobis non orantibus non daret. Quod fit abſque omni mutatione reali ipſius Dei.

QVÆSTIO XIV.

Dices, ſi Deus ab æterno, & ante orationem præuiſam habuit voluntatem dandi, & illa eſt per ſe ſufficiens, cur poſtulet orationem, vt neceſſariam ad effectum?

RESPONDEO id facere Deum ob generalem rationem, qua vult operari per cauſas ſecundas, quantum commodè poteſt: & in operibus gratiæ vult cooperationem hominis, vbi locum habere poteſt, nam vbi non poteſt, ipſe ſolus operatur. Vnde D. Auguſtinus in libro de bono perſeuerantiæ cap. 17. ait. Deum alia danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut vſque in finem perſeuerantiam. Et D. Proſper lib. 2, de vocatione gentium cap. vltimo docet Deum hoc ordinaſſe propter commodum noſtrum, nimirum, vt non ſolùm

ſecundùm

ſecundùm propoſitum Dei, ſed etiam ſecundùm merita noſtra coronemur.

QVÆSTIO XV.

Quot, & quinam ſint fructus orationis.

RESPONDEO, 30. Primus orationis fructus, eſt inſigne Religionis argumentũ, oratione enim homo ſe vnit Deo, ſeipſum ei ſubiicit, authorem bonorum agnoſcit, in omni neceſſitate vnicum eſſe refugium profitetur. Vnde incenſo comparatur, quo Religioſus actus Deo exhibetur.

2. Orationis fructus eſt, quòd à iuſto facta, meritoria eſt maioris gratiæ, & gloriæ.

3. Eſt ſatisfactio pro peccatis. Vnde D. Auguſt. in lib. de oratione Dominica inquit. Neceſſaria eſt nobis quotidiana oratio, vt qui quotidie delinquimus, aſſidua orationis ſatisfactione purgemus.

4. Eſt impetratio ſecundùm promiſſiones à Chriſto factas, Matth. 18. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo. Et eiuſdem cap. 21. Omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes accipietis. Et Luc. 11. Petite, & dabitur vobis. Item Ioannis 16. Petite, & accipietis.

5. Oratio ad amorem Dei inflammat, maiorúmque bonorum animam capaciorem reddit, iuxta illud 4. Reg. 1. Deſcendit ignis de cœlo ad orationem Eliæ. Et illud Pſal. 38. Et in meditatione mea exardeſcet ignis.

6. Oratio

6. Oratio mentem illuminat iuxta illud Pſal. 33. Accedite ad eum, & illuminamini. Et illud 3. Reg. 3. vbi Salomoni oranti datum eſt cor ſapiens, & intelligens. In cuius rei typum Moyſes à colloquio Domini facie reſplendente rediit: & Chriſtus orans transfiguratus eſt, Luc. 9. & Apoſtoli quoque orantes inflammati ſunt Spiritu Sancto, Act. 2. Vnde Auguſt. ſuper illud, Erat Petrus in Ioppe orans, Act. 11. ait, Oratione meliùs ſoluuntur dubia, quàm inquiſitione alia. Et D. Bernardus (vt ipſe dicebat) in ſiluis, & locis deſertis, orando plus didicit, quàm ſtudendo.

7. Oratio animam ad Deum eleuat, ita vt terrenis contemptis, quærat cæleſtia: immo quò altiùs attollitur, eò minora videntur terrena, ac viliora.

8. Oratio maximam dignitatem animæ conciliat, quæ ad familiare Dei colloquium orando admittitur. Nam ſi qui cum ſapientibus viris colloqui ſolent, propter aſſiduam conſuetudinem breui ſic tranſmutantur, vt illorum prudentiam referant, quid dicere conuenit de his, qui cum Deo colloquia miſcent.

9. Oratio cor hominis tranquillat, iuxta illud 1. Timoth. 2. Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, &c. vt quietam, & tranquillam vitam agamus.

10. Oratio cor hominis confortat ſecundùm illud Lucæ 22. Poſitis genibus orabat dicens: Pater mi, &c. & ſubditur: apparuit autem illi Angelus de cælo confortans eum.

11. Oratio fiduciam accedendi ad Deum tribuit. Nam quò frequentiùs ad Deum accedimus, eò

 confidentiùs

confidentiùs ad eum recurrimus.

12. Oratio humilitatem. Deíque timorem conſeruat. Nam eum non eſſe offendendum admonet, à cuius ope, ac benignitate homines in omnibus dependent.

13. Orando exercemus fidem, iuxta illud Pauli ad Roman.10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt.

14. Oratio rerum terrenarum contemptũ parit. Facilè namque vileſcunt omnia tranſitoria, quærenti, & anhelanti cæleſtia, vt docet D. Aug.lib.9. confeſſ. cap. 10.

15. Oratio gignit incredibilem animi voluptatem, gaudium, delectationem: facit enim vt homo guſtare incipiat, quàm ſuauis Dominus ſit: qua ſuauitate permoti nonnulli non ſolùm in oratione pernoctarunt, ſed etiam dies noctibus iungentes in oratione læti perdurarunt.

16. Oratio cæleſtem curiam quaſi quadam redolentia delectat iuxta illud Ioannis in Apocal. 5. Habebant phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.

17. Oratio vitam prolongat, iuxta illud Iſai. 38. Audiui orationem tuam: ecce ego adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos.

18. Oratio infirmitatem corporis ſanat, iuxta illud Eccleſ. 38. Fili in infirmitate tua ne deſpicias temetipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. & illud Iacobi vltimo. Oratio fidei ſanabit infirmum. De hoc habetur exemplum Num. 12. vbi dicitur quòd per orationem Moyſis Maria ſoror eius ſanata eſt à lepra.

19. Oratio ſanat morbos ſpirituales, iuxta illud Pſal. 31.

Pſal. 31. Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino : & tu remiſiſti impietatem peccati mei : pro hac orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.

20. Oratio in bello corporali triumphat, iuxta illud Exod. 17. Cùm leuaret manus Moyſes, vincebat Iſrael. Vnde Gloſſa Plus valet vnus homo orando, quàm innumeri homines præliando. Plus vetula vna acquirit de cælo vna hora orando, quàm mille milites armati acquirunt de terra longo tempore præliando.

21. Oratio de hoſtibus ſpiritualibus triumphat iuxta illud Matth. 26. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Vbi ait Gloſſa. Ille ſolus ſuperatur à tentatione, qui neſcit orare. Vnde S. Iſidorus lib. 3. de ſummo bono cap. 7. Hoc eſt remedium eius qui vitiorum tentamentis æſtuat, vt quoties quolibet tangitur vitio, toties ſe ad orationem ſubdat : quia frequens oratio vitiorum impugnationem extinguit.

22. Oratio dæmones fugat iuxta illud Matth. 17. & Marc. 9. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur niſi per orationem, & ieiunium.

23. Oratio dæmones cruciat. Vnde in legenda S. Bartholomæi Apoſtoli legitur, quòd quidam dæmon exiſtens in corpore hominis clamabat, Bartholomæe incedunt me orationes tuæ.

24. Oratio ab opprobrio liberat. Vnde Sara filia Raguelis per orationem liberata eſt opprobrio. Tob. 3.

25. Oratio liberat etiam à mortis periculo, vt Suſannam Daniel. 12.

26. Oratio cælum aperit iuxta illud Lucæ 4.

Ieſu

Ieſu baptizato & orante apertum eſt cælum.

27. Oratio cælum claudit, vt patet in oratione Eliæ 3. Reg. 18. & Iacob. vltimo. Multum valet deprecatio iuſti aſſidua, Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis, & oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex.

28. Oratio Deum placat. Vnde ſuper illud Tob. 3. vbi dicitur quòd tribus diebus, & tribus noctibus non manducauit, neque bibit, ſed in oratione perſiſtens cum lachrymis deprecabatur Deum. Dicit Gloſſa, Oratio Deum lenit, lachryma cogit: hæc vngit, illa pungit. Et Horatius in quadam Epiſtola ad Cæſarem ait:

Carmine Dij ſuperi placantur.

29. Oratio velut quoddam ſcutum ab ira Dei protegit, iuxta illud Sap. 18. Properans homo ſine querela deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem, & per incenſum, deprecationem allegans, reſtitit iræ. Et ideo Ouidius in lib. 5. de triſtitia inquit:

Sæpe Iouem vidi, cùm iam ſua mittere vellet
Fulmina, thure dato ſuſtinuiſſe manum.

30. Oratio quodammodo tenet Deum, & habet in poteſtate ſua, iuxta illud Exod. 32. Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos. O ſancta oratio, tu es illa, quæ vt ita loquar, Deum inuincibilem vincis, & quem totus mundus ſuperare non valet, tu ad tua vota inclinas. Et ideo conqueritur Propheta de negligentibus orare dicens Deo Iſai. 64. Non eſt, qui inuocet nomen tuum: qui conſurgat, & teneat te.

QVÆST.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm oratio ſit ad ſalutem neceſſaria.

RESPONDEO affirmatiuè. Et ratio eſt, quia vt bene viuamus, fieri non poteſt ſine auxilio Dei, cùm ſcriptum ſit Ioan. 15. Sine me nihil poteſtis facere. Et 2. Cor. 3. Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. At auxilium Dei per orationem neceſſe habemus, ſi bene viuere deſideramus: ergo oratio eſt ad ſalutem neceſſaria.

Hoc ipſum colligitur ex multis ſacræ Scripturæ locis, quibus monemur ſemper orare. Eccleſ. 18. dicitur. Non impediaris orare ſemper. Et Matth. 6. Sic vos orabitis, Pater noſter, &c. Et cap. 7. Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate, & aperietur vobis. Et 26. Vigilate, & orate. Et Lucæ 18. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere. Et cap. 21. Vigilate, omni tempore orantes. Et ad Coloſ. 4. Orationi inſtate, vigilantes in ea. Et 1. ad Theſſ. 5. Sine intermiſſione orate. Et ad Rom. 12. Orationi inſtantes. Et Iacobi 5. Orate pro inuicem vt ſaluemini. Hæc enim, & alia, quibus plena eſt Scriptura ſacra, apertiſſimè docent, omnino neceſſariam eſſe orationem. Vnde Greg. in dialog. & habetur 23. q. 4. Obtineri nequaquam poſſunt, quæ prædeſtinata non ſunt. Sed ea quæ Sancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata ſunt, vt precibus obtineantur. Nam ipſa quoque perennis Regni prædeſtinatio ita eſt ab omnipotenti

Deo diſpoſita, vt ad hoc electi ex labore perueniant, quatenus poſtulando, mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus ante ſæcula diſpoſuit donare. Et D. Bonauent. opuſc. de perfect. vitæ cap. 5. Reuera, inquit, Chriſtianus orationem non frequentans non ſolùm eſt miſer & inutilis, quinimo coram Deo fert animam mortuam in viuo corpore. Et in opuſc. de proceſſu relig. Vita hominis ait, ſine ſtudio deuotionis internæ, ſicut fauus ſine melle, ſicut murus abſque temperamento, & ſicut cibus abſque condimento. Et infrà, Omnis Religio arida, & imperfecta eſt, & ad ruinam pomptior, quæ Spiritum diuinæ ſuauitatis non quęrit, & præcipuum conamen ad cordis ſtudium, & internæ puritatis non impendit. Et Illuſtriſſimus Caiet. 2. 2. q. 82. ar. 3. dixit non poſſe vocari Religioſum, qui ſaltem ſemel in die ad huiuſmodi exercitium ſe non transfert. Quomodo namque, inquit, effectus ſine cauſa, finis abſque medio, & inſularis portus abſque nauigatione haberi nequit: ſic nec Religio in actu, abſque exercitio orationis.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm oratio ſit ad ſalutem neceſſaria, neceſſitate medij. Perinde eſt ac ſi quæreretur, An oratio ſit medium ſimpliciter neceſſariũ ad ſalutem, ſicut eſt pœnitentia poſt peccatum commiſſum, & votum Baptiſmi in adultis.

AD

AD hanc quæſtionem non minùs arduam, quàm vtilem reſpondeo, orationem eſſe ad ſalutem neceſſariam, neceſſitate medij. Et ratio eſt, quia conſtans eſt omnium ſententia, orationem æquè eſſe neceſſariam ad ſalutem, atque bonam, & ſanctam vitam, neque hæc abinuicem ſeiungi poſſunt, aut debent. Atqui bona, & ſancta vita eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate medij, ergo eodem modo eſt neceſſaria oratio.

Tum quia Diuus Auguſtinus in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 56. docet tam neceſſariam eſſe orationem ad ſalutem, quàm eſt neceſſarium diuinum auxilium: eſt autem de fide certum, auxilium Dei eſſe neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij, ergo pari modo eſt neceſſaria oratio. Verba autem Diui Auguſtini ſunt iſta. Nullum credimus ad ſalutem venire, niſi Deo inuitante, nullum inuitatum, niſi Deo auxiliante, ſuam ſalutem operari, nullum niſi orantem auxilium ſibi promereri. Ergo à primo ad vltimum nullus ſalutem conſequitur ſine oratione.

Tum quia idem D. Auguſtinus lib. de bono perſeuerantiæ, cap. 16. ſentit, tam eſſe neceſſariam orationem ad ſalutem, quàm eſt neceſſarium perſeuerantiæ donum. Atqui omnes fatentur, perſeuerantiæ donum eſſe ad ſalutem neceſſarium neceſſitate medij, ergo eodem modo neceſſaria eſt oratio. Verba D. Auguſtini ſunt, quę ſequuntur; Deum alia dare non orantibus, ſicut initium fidei: alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut vſque in nem perſeuerantiam.

Pro hoc etiam facit Diuus Chryſoſtomus lib. 1. de orando Deum, vbi ſic ait. Quemadmodum

C 2 corpus

corpus hoc noſtrum, ſi non adſit anima, profectò mortuum eſt, ac fœtidum: ſic anima niſi ſeipſam incitet ad orandum, mortua eſt, ac miſera ac grauiter olens.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm oratio cadat ſub præcepto diuino.

NONNVLLI, teſte Ioanne Medina tractatu de oratione, quæſtione de neceſſitate orandi, negant dari tale præceptum diuinum ſpeciale de oratione.

Alij verò affirmant orationem non cadere ſub præcepto diuino, niſi tantùm ex ſuppoſitione, tunc ſcilicet quando res quæ poſtulatur cadit ſub præcepto, nec aliter quàm media oratione poteſt obtineri.

Sed cæteri communi conſenſu cenſent orationem poſitam eſſe ſub præcepto diuino. Ratio huius eſt, quia media ad æternam ſalutem neceſſaria, ſunt nobis iure diuino præcepta: atqui oratio vt dictum eſt, eſt medium ad ſalutem neceſſarium, ergo de oratione datur præceptum iuris diuini.

Maior propoſitio eſt illius omniſcij, & omni pietate inſignis Diui Thomæ Aquinatis 2, 2. q. 2. ar. 5. & q. 3. ar. 2. & 3. parte q. 68. ar. 1.

Minor verò propoſitio ex eo conſtat, quia omnes tenemur æternæ ſalutis noſtræ curam gerere, quod ſatis oſtendit Chriſtus Dominus Matthæi 6. Cùm docens nos non eſſe de rebus ad huius vitæ

ſuſtenta

ſuſtentationem neceſſarijs ſolicitos, præcepit vt primùm quæramus Regnum Dei, & iuſtitiam eius, ac proinde neceſſaria ad æternam ſalutem: pro quibus ſine dubio recurrendum eſt ad Deum: quandoquidem aliunde haberi non poſſunt, iuxta illud Ioannis 15. Sine me nihil poteſtis facere. Vt autem à Deo hæc omnia obtineantur, neceſſaria eſt oratio, de qua præceptum diuinum habetur ex multis ſacræ Scripturæ locis, vt ex illo Matth. 7. Petite, & accipietis. Quæ verba D. Tho. ſentit, continere præceptum. Et hunc etiam ſenſum habet illud Luc. 18. Oportet ſemper orare. Vnde D. Chryſ. to. 1. ſer. de Moyſ. ait, Dum, *oportet*, dicit, neceſſitatem inducit. Et infrà. Optat, inquit, dare qui præcipit petere. Et Matth. 26. dicit Chriſtus, Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. Super quo dicit Diuus Hieronymus, in tentationem intrat qui orare negligit: Et Iacobi 5. Orate pro inuicem vt ſaluemini. Et Matth. 8. Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Ex quo loco ſic argumentor. Si pro inimicis tenemur orare, vt ſaluentur, à fortiori pro nobis, quos ex charitate magis tenemur diligere. Atque ex conſequenti Oratio eſt ſub præcepto diuino. Vnde D. Chryſoſt. ait. Pro ſe orare neceſſitas cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur.

Tum quia vnuſquiſque de iure diuino tenetur efficaciter deſiderare bona ſpiritualia, ergo & illa petere ab eo qui ſolus poteſt ea preſtare, promittítque ſe illa daturum petentibus iuxta illud Ioan. 16. Petite, & accipietis.

Et confirmatur, homo ægrotus ex charitate tenetur corporis medicinam à medico petere, ergo

& à fortiori tenebitur auxilia gratiæ petere à Deo, quibus animæ vitiis medeatur, ergo oratio cadit ſub diuino præcepto.

Tum demum, ipſa recta ratio præſcribit Deum eſſe colendum: At prȩſtantiſſimus cultus, qui Deo poteſt exhiberi, eſt cultus orationis, ergo hic cadit ſub præcepto naturali, & diuino. Maior propoſitio eſt per ſe nota. Minor verò probatur. In oratione reipſa profitemur Deum eſſe principium, & fontem omnium bonorum, nóſque ab ipſo totaliter pendere, ex quo maximus honor Deo reſultat, ergo hic eſt prȩſtantiſſimus cultus, maximéque gratus, qui Deo poteſt exhiberi.

Ex quo colligitur hoc prȩceptum non eſſe diuinum poſitiuum à Chriſto Domino datum, ſed eſſe naturale, ac proinde ſemper, & in omni lege obligaſſe. Vnde in veteri Teſtamento vſus, & neceſſitas orationis ſatis declaratur, & ſpecialiter Eccleſ. 16. redarguuntur antiqui Gigantes, quia non exorauerunt pro peccatis ſuis. Et Geneſ. 4. Enos nepos Adæ cœpit, vt ibi dicitur, inuocare nomen Domini. nam inuocatio, ſeu oratio abſolutè ſumpta, etiam in Adamo erat in præcepto.

QVÆSTIO XIX.

Quandonam obliget iſtud orationis præceptum.

VNA eſt omnium opinio, præceptum orandi, vt omnia alia præcepta affirmatiua, certam temporis determinationem non habere. Ratio eſt, quia

quia ſi ſpectemus præceptum ex ſola naturali ratione, non dicit, vt oremus ſemel in die, vel in hebdomada, vel in menſe,vel in anno, & Chriſtus Dominus Matth. 7. indeterminatè dixit, Petite, & accipietis. Quæ verba vt omniſcius D. Thomas teſtatur, continent præceptum, & alia præcepta affirmatiua indicant neceſſitatem, & ſi obligant ſemper, non tamen pro ſemper, ſed ſolùm pro articulo neceſſitatis. In hoc ergo articulo præſcribendo, quod neceſſarium eſt ad moralem vſum præcepti, laborant Doctores.

D. Thomas in 4. diſt. 15. qu.4.ar.1. q.3. Angel. verbo oratio. qu.20. Medina C. de oratione q. 1. Nauar.de oratione cap.3.nu.14.Suar.tom.2.de Religione,lib.1.cap.30.& plerique alij, aſſignant plures caſus,in quibus homines iure naturali, & diuino tenentur pro ſe,& pro aliis orare.

Primus eſt, quando homo tenetur ſe ad Deum conuertere debito modo,ad honeſtè, & ſanctè vitam inſtituendam,qui ſecundùm D.Tho.1. 2. q.89. ar. 6. eſt primum inſtans vſus rationis, & extremum vitæ tempus.Et ratio huius eſt,quia iſta conuerſio propter ſuam difficultatem fieri non poteſt, ſine ſpeciali Dei auxilio, ad quod impetrandum eſt neceſſaria oratio.

Secundus caſus eſt, quando homo eſt in graui aliquo periculo corporis,vel animæ conſtitutus, vt cùm quis ſentit grauem, & periculoſam tentationem. Et ratio eſt,quia graues tentationes vix, aut nunquã vitari poſſunt ſine diuino auxilio,ad quod impetrandum oratio eſt neceſſaria tanquam medium ad id ordinatum. Sicut tenet D. Thomas 2. 2. q. 147. ar.3. iure naturæ eſſe ieiunium ſub præ-

cepto,quando vel ad reſiſtendum tentationi carnis, vel ad eleuandam mentem in Deum, eſt neceſſarium ieiunium, præceptum enim obligans ad finem,obligat etiam ad media neceſſaria.

Hinc,ſi alicui ſit notum,ſe per diem in graue aliquod vel corporis, vel animæ periculum caſurum, ſicut fuit notum Apoſtolis,quando dixit illis Chriſtus Matth.26. Vigilate,& orate,vt non intretis in tentationem;& is negligat orare, quamuis tale periculum poſtea non ſequatur, eo ipſo quòd neglexit orare,peccauit mortaliter. Et ratio eſt, quia eo tempore obligabat ſpeciale præceptum de oratione facienda,cuius violatio in re tam graui,ſine ſpeciali peccato mortali eſſe non potuit.

Tertius caſus eſt, quando proximus in graui aliquo periculo, vel corporis, vel animæ verſatur, vt ſi quis videat aliquos ad duellum deſcendere, in quo ſe mutuò occidant, nec poſſit eos aliter adiuuare, niſi ſua oratione, ſaltem tenetur ex charitate pro eis orare.

Hinc,qui videt à longè aliquem velle ſe ſuſpendere,tenetur ſub mortali pro eo orare, vt Deus liberet illum ab eo periculo ſpirituali, cùm hæc ſit mors iniuſta,non tenetur tamen orare pro illo qui ſuſpenditur iuſtè pro ſuis delictis,ne moriatur.

Similiter, quando Eccleſia aliqua graui neceſſitate pulſatur,tenētur Chriſtiani orare pro ea. Nam ſi quilibet pro quolibet,vt dictum eſt,tenetur,quãto magis pro tota Chriſtiana republica obligatus erit. Vnde Actuum 12. dicitur, quòd vincto Petro in carcere,oratio fiebat ab Eccleſia pro eo, periculum enim capitis, totius Eccleſiæ periculum erat cenſendum.

Quartus

Quartus caſus eſt, quando ex præcepto tenemur audire Miſſam, quia tunc tenemur orare, ideſt, orantibus aſſiſtere, vt eis mediantibus oremus.

Quintus caſus eſt, quoties peccator ſe ad gratiam diſponere tenetur, vt quando ipſe Sacramentum aliquod adminiſtrare, vel ſumere vult: tunc vt vitet, & expellat peccata, tenetur petere veniam peccatorum, & auxilium, vt Deo reconcilietur. Quod maximè locum habet quando deeſt copia Sacramenti pœnitentiæ.

Sextus, & vltimus caſus quo tenetur homo ad orandum eſt, quoties vult periculoſum iter ingredi, aut aliquod aliud negotium magni ponderis, ac momenti ſuſcipere. In his enim caſibus neceſſariò tenemur nos Deo commendare, & formaliter, vel virtualiter orare, & Dei gratiam, & fauorem petere.

Hinc, qui eſt in peccato mortali, & non orat, ſeu non petit à Deo gratiam vt ab eo liberetur, non peccat mortaliter, dummodo veriſimiliter credat ſibi tempus petendi, & pœnitendi non defuturum. Nec in eo caſu peccat mortaliter non pœnitendo, vt omnes fatentur, dummodo tamen ei peccatum non placeat. Nauar. de Oratione cap. 3. num. 12. Nec etiam peccat mortaliter, qui pro proximo in mortali exiſtente negligit orare Deum, vt ab eo liberetur: quantumuis ſciat oratione ſua iuuandum, vt docet Nauar. de Oratione cap. 3. num. 15. Dummodo aduertat aliud eſſe remedium tum pœnitentiæ, cuius nullum ſufficiens impedimentum ipſum habere apparet: tum admonitionis, & curæ, quæ de eo ab aliis geritur. Et ratio huius eſt, quia in hoc caſu eſt aliud remedium, vt à peccatis liberetur pręter

ter orationem. Quæ reſolutio facit ad ſolatium conſcientiarum timoratarum, ad quod ſolatium etiam facit, quod docet Valentia 2.2.d.6.q.2.p.3.ſ. non peccari per omiſſionem orationis, niſi quis tẽpore quo oportet orare, aduertat, vel aduertere poſſit ex præcedente alia præcognitione (qualis fuit, quam Matth. 26. acceperunt Apoſtoli à Chriſto dicente illis, Vigilate, & orate, &c.) quòd neceſſe ſit tunc orare: quia ſi id nullo modo veniat in mentem, ſicut omiſſio illius non erit voluntaria, ita nec erit peccatum, quia nullum eſt peccatum, niſi voluntarium.

Sed quid ſi iurauit, vel vouit orare? Reſpondeo, ſi quis vouit, vel iurauit, orare, vel acceptauit orationem à confeſſario loco pœnitentiæ iniunctam, iure diuino tenetur tempore quo vouit, vel iurauit, vel acceptauit orationem, orare, niſi vt in fauorem vel creditoris, vel debitoris, vel alicuius tertij. Redditio enim voti eſt de iure diuino iuxta illud Pſalmi 75. Vouete, & reddite Domino Deo veſtro, &c.

Hinc ille, cui iniuncta eſt pœnitentia recitandi ſeptem pſalmos pœnitentiales omnibus diebus feſtis vnius anni, vt minori cum labore illam adimpleat, vel qui medio iuramenti, vel voti ad idem eſt obligatus, poterit tempus præuenire. Et ratio eſt, quia temporis protractio fuit facta in ſuum fauorem. Verùm ſi talis dilatio temporis, fuit determinata, vt diutius duraret memoria, & dolor peccatorum, vel paſſionis Chriſti, vel cauſæ, quæ ad vouendum, ſiue iurandum mouit, non ſatisfaciet, ſi non ſuis diebus, & temporibus recitet.

Hinc, ſacerdos cui iniuncta eſt pœnitentia poſt Miſſam

Miſſam adimplēda,ſatisfaciet, ſi ante Miſſam illam adimpleat, quia tempus in ſuum fauorem determinatum eſſe videtur.

At Durand.in 4.diſt. 15. q. 12. Palud. ibidem q. 5.ar.1.Azor 1.p.inſt.Mor.lib.9.q.34.q.2.Suar.to.2. de Relig. lib.1.c.30. & plerique alij dicunt, nullam eſſe rationem,quæ conuincat in huiuſmodi temporibus teneri nos ad orandum. Nam in primis non conſtat de tali præcepto affirmatiuo,quod pro primo inſtanti vſus rationis obliget ad propriam conuerſionem in Deum, ſed ſatis eſt ad ſalutem conſequendam, ſi omne tunc temporis peccatum deuitet, & id boni præſtet, quod ei tunc primò occurrit.

Tum quia aliud eſt, deliberare de ſe, & de ſuo fine,quod ait D.Thomas, & aliud orare Deum, vt præbeat ſibi auxilium perueniendi ad eum, quod ait Syluester verbo oratio q. 8. & à diuerſis non fit illatio.

Nec item ſi Dæmon aliqua graui, & dura tentatione noſtram virtutem pulſet, & à Dei gratia, & charitate dimouere non ſtudeat,continuè ſequitur, vt ad orationem confugere compellamur,cùm ſint etiam in promptu alia remedia, quibus Dæmonum & aliorum hoſtium incurſus propulſare poſſimus. Nec præceptum audiendi Miſſam,adſtringit nos ad orandum.

Mihi probabile videtur vnumquemque vi præcepti diuini naturalis debere iis temporibus quæ ſuprà D.Thom. Syluеſt.Med.Nauar. Azor & Suar. expreſſerunt. Nihilominus cenſeo huiuſmodi præceptum ſæpius, & per ſe obligare in decurſu vitæ, etiam ſi non occurrant extraordinarij caſus particulares,

culares,in quibus neceſſitas charitatis ad orandum adſtringat, quia vita humana tota eſt vnum continuum bellum, & conſequenter vnum continuum periculum,quod ſcimus ſine continuo Dei auxilio, & protectione ſuperari non poſſe. Scimus etiam ordinarium medium à Deo conſtitutum ad dandum hoc continuum auxilium eſſe orationem, ergo recta ratio naturalis dictat, non eſſe expectandum extremum periculum ad orandum, eſſétque contra propriam ſalutem ad illas anguſtias orationem reſtringere;obligat oratio ſæpius,ac per ſe ratione præſentis ſtatus.

Hinc peccat mortaliter, qui totam vitam, aut magnam partem eius ſine oratione traducit.Et ratio eſt, quia cùm poſt baptiſmum remaneat adhuc fomes peccati, quo vnuſquiſque interiùs ad peccandum prouocatur, neceſſaria eſt continua oratio, vt ab eo poſſit liberari.

Tum quia moraliter loquendo eſt planè impoſſibile huiuſmodi hominem negligentem in innumera peccata non ruere,cùm ſit omnino impoſſibile,quòd per multum tempus viuat,quia grauiſſimę tentationes occurrunt, ad quas repellendas orare oportet ex diuino pręcepto.Quamquam ij qui ſunt timoratæ conſcientiæ,raro peccent in hoc genere, quoniam frequenter orant, etiam ſi fortè non recordentur, nec aduertant ſe ad id teneri. Hæc eſt expreſſa ſententia D. Thom: communiter recepti in 4.diſtinct.15.q.4.ar.1.& 3.p.q.39.ar.5. vbi ſic dicit: Poſt baptiſmum neceſſaria eſt homini iugis oratio,ad hoc vt in cælum introeat.Licèt enim per baptiſmum remittantur peccata, remanet tamen fomes peccati nos impugnâs interiùs, & mundus,

&

& Dæmones, qui impugnant exteriùs. Hoc idem docuit D. Chryſoſt. lib. 1. de Oratione, vbi ait quòd quiſquis non orat, aut aſſiduo colloquio non habet orationem cum Deo, ille mortuus eſt. Eandem ſequitur Petr. Arrag. 2. 2. q. 83. ar. 3.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm hoc præceptum obliget ad mortale.

RESPONDEO quòd ſic. Et ratio eſt; quia tale præceptum cùm ſit de re ex ſe grauiſſima, vtpote neceſſaria ad æternam ſalutem, obligat ad mortale.

QVÆSTIO XXI.

Ad quam virtutem pertineat hoc præceptum orandi.

ALEXAND. Alenſ. 4. p. q. 26. m. 3. ar. 1. ad 2. & plerique alij fatentur præceptum hoc pertinere ad charitatẽ Dei, vel proximi, vel propriam: quia hoc præceptum in tantum obligat ad orationem, quatenus eſt medium neceſſarium, ad aliquem finem; ergo obligatio vtendi tali medio oritur ab illa virtute, ad quam ſpectat obligatio habendi illum finem; nam tota obligatio medij eſt propter finem. Sed obligatio quærendi talem finem pertinet ad charitatem. Nam ſi oratio eſt neceſſaria ad ob-

tinendum diuinum auxilium, ad conſequendam vitam beatam, illa obligatio ex propria charitate procedit: ſi verò eſt neceſſaria ad repellendum proximi malum, erit obligatio naſcens ex charitate proximi. Si verò oratio eſt neceſſaria ad euitandum peccatum, obligatio erit ex charitate Dei.

Ex quo inferunt omiſſionem orationis nunquam eſſe ſpeciale peccatum diſtinctum ab aliis, ſed eſſe illud ipſum, quod committitur, deficiendo ab illo fine, propter quem eſt neceſſaria oratio.

Hinc, qui inſtante tentatione non orat, ſed ei ſuccumbit, non peccat duplex peccatum, ſed vnum tantùm. Et ratio eſt, quia quòd tali tempore teneatur orare, id non eſt ex vi ſpecialis præcepti, ſed ex vi eius, circa quod exurgit tentatio, vt ſi v.g. inducor in fornicationem ex tentatione, eodem præcepto, quo teneor vitare fornicationem, teneor etiam adhibere omnia media ad id neceſſaria, inter quæ præſtantiſſimum eſt oratio. Quare in tali caſu tantùm erit violatio vnius præcepti. ſ. continentiæ, atque ex conſequenti, & vnicum peccatum.

At D. Thom. 2. 2. quæſt. 83. ar. 3. ad 2. cenſet præceptum hoc orandi ad duo diſtincta præcepta pertinere. Nam deſiderare bonum illud, propter quod orandum eſt, cadit ſub præcepto charitatis, petere autem ſub præcepto Religionis; ponit ergo proprium, & peculiare præceptum, quod licèt non obliget, niſi pulſante neceſſitate, nihilominus tunc obligat ex vi Religionis. Ex quo fit, vt qui tunc orationem negligit, duplex peccatum committat, primò contra charitatem, quia non efficaciter procurat bonum proprium. Secundò contra

Reli

Religionem, quia non defert Deo cultum orationis, quando debet.

Tum quia recta ratio dictat, eſſe Deo exhibendum cultum latriæ, ſed præſtantiſſimus cultus Dei conſiſtit in oratione, ergo præceptum orandi ex vi cultus debiti Deo, ac proinde eſt peculiare præceptum Religionis. Hoc idem videtur ſentire Armilla verbo Oratio num. 2. cùm ait: Orationem eſſe neceſſariam, vt reuerentiam Deo exhibeamus, & vt impetremus.

Cæterum quamuis vtraque ſententia probabilis eſſe videatur, prima tamen multo verior, & probabilior apparet. Quare ad fundamentum D. Thomę reſpōdeo, præceptum de diuino cultu ex natura rei non determinare ad particularem actum, vel modum cultus, ſed hoc depēdet ab ipſo homine quoad priuatum cultum. Vnde poſſet quis Deum colere, gratias agendo, vel laudando, vel adorando, & per hoc impleret naturale præceptū diuini cultus, ergo licèt nunquam peteret diuinum auxilium, non violaret naturale præceptum colendi Deum, eſto aliàs peccaret contra charitatem.

QVÆSTIO XXII.

Vtrùm per ſolam orationem mentalem poſſit hoc præceptum adimpleri.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia oratio mentalis eſt per ſe ſufficiens ad obtinendum à Deo quidquid eſt neceſſarium ad ſalutem, ſed totum fundamētum huius præcepti eſt illa neceſſitas, ergo

ergo per ſolam orationem mentalem poteſt hoc præceptum adimpleri.

Et confirmatur, nam oratio ad hoc deſeruit, vt mens in Deum eleuetur, Deóque noſtra deſideria aperiamus, quæ largitate ſuæ miſericordiæ expleat: ad hoc autem nulla opus eſt voce, cùm Deo noſtra patentia ſint corda, ergo non opus eſt vocali oratione, ſed ſatis eſt, vti Chriſtus docuit Ioan. 4. adorare Deum in ſpiritu, & veritate, & vt ait Apoſtolus, Orate ſpiritu, orate & mente. Ita tenet D.Thom. communiter receptus 2. 2. q. 83. ar. 12. vbi ait non eſſe de neceſſitate orationis priuatæ, quòd ſit vocalis.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrùm oratio mentalis ſit neceſſaria ſub præcepto.

RESPONDEO non eſſe neceſſariam, niſi quando vocalis eſt quoque ſub præcepto propter eaſdem rationes, quibus oratio vocalis obligat ſub præcepto obligante ad mortale.

QVÆSTIO XXIV.

Vtrùm oratio vocalis ſit neceſſaria ſub præcepto.

ET quidem certum eſt, orationem publicam eſſe neceſſariã ex precepto, quia debet innoteſcere populo, pro quo offertur, vt ad deuotioné excitetur.

QVÆST.

QVÆSTIO XXV.

Sed dubium eſt de oratione priuata.

IN qua re etiam eſt certum, orationem vocalem nõ eſſe neceſſariam ex præcepto diuino & naturali. Et ratio eſt, quia præceptum orãdi diuinum, & naturale ſufficienter impletur per orationem mentalem, nec vlla ratio cogit, vel oſtendit, obligationem explicandi voce mentalem petitionem, iuxta illud pſalmi 26. Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea.

QVÆSTIO XXVI.

Controuerſum autem eſt, de præcepto diuino poſitiuo.

RESPONDEO nullum extare tale præceptum, quia nec in veteri lege, nec in noua reperitur, neque ex traditione conſtat.

Dices, in pſalmo 50. dicitur: Domine labia mea aperies. Et pſalm. 141. Voce mea ad Dominum clamaui. Et Eccleſiaſt. 39. Confitemini illi in voce labiorum veſtrorum.

Reſpondeo, hæc omnia, & ſimilia ſacræ Scripturæ loca nil de neceſſitate vocaliter orandi ſonant, nec tale præceptum inde colligitur. Sed ſola orationis vocalis commendatio, quòd Deo placeat, & à Deo ſæpe exaudiatur.

Dices, Chriſtus non ſolùm mente, ſed etiam voce voluit, vt ipſum oremus, vt conſtat Matth. 6. vbi formulam orandi vocaliter diſcipulis ſuis tradens dixit. Sic orabitis: *Pater noſter*.

Reſpondeo, ex illo loco non poſſe colligi hoc præceptum diuinum, quia Chriſtus illam formulam non præcipiendo, ſed docendo tradidit, & Eccleſia non dicit *præceptis ſalutaribus* iuſſi, vel coacti, ſed *moniti*.

QVÆSTIO XXVII,

Controuerſia igitur tota eſt, An ſaltem ex præcepto Eccleſiæ teneamur vocaliter orare ſecundùm formulam à Chriſto nobis datam in oratione Dominica.

Palvd. in 4. diſt. 15. q. 1. Durant. lib. 2. de ritibus Eccleſ. cap. 46. & Nauar. de oratione cap. 3. num. 20. & cap. 20. nu. 20. & in Manual. cap. 11. num. 22. affirmant nos ad id teneri, ſaltem ſub culpa veniali.

Alij verò rectiùs docent, etſi ſalutare ſit Dominicam orationem ſecundùm ſeriem & ordinem quo tradita eſt, ſcire, & ſecundùm eundem ordinem, & formulam orare, non tamen videtur id poſitum ſub præcepto Eccleſiæ, etiam ſub pœna peccati venialis obligante. Et ratio eſt, quia nullibi tale præceptum reperitur.

Tum quia ſi Eccleſia præcepiſſet, etiam determinaſſet tempus illius recitandæ, quod non facit: vnde

vnde alij quotidie, alij vno tempore, alij alio ex deuotione recitant.

Tum quia ſicut non eſt ad ſalutem neceſſarium ſymbolum memoriter retinere, cùm ſatis ſit ad ſingulos articulos etiam ſine ordine propoſitos, reſpondere: ita quoque ſat erit, vt interrogatus quis de ſingulis petitionibus illic contentis, ſciat illa eſſe petenda, nempe quòd fiat voluntas Dei, quòd det nobis panem quotidianum, &c. Vnde Clemens lib. 6. conſtit. cap. 25. ſolùm monet fideles, vt ter in die orationem Dominicam perſoluant.

Dices, hoc præceptum eſſe in Eccleſia conſuetudine introductum.

Reſpondeo, vt conſuetudo vim habeat obligandi, neceſſaria eſt aliqua vniformitas, vt materia obligationis ſit certa: hîc autem nulla eſt vniformitas, vnus enim orat hoc tempore, alius alio, vnus rariùs, alius frequentiùs, vnde conſtare non poteſt, quando obliget talis conſuetudo.

Tum quia ſi talis obligatio in Eccleſia extaret, ſciretur ab omnibus, at in particulari nullus dicit orationem Dominicam vt obligatus, niſi qui tenentur eam dicere ex præcepto Eccleſiæ, vt miniſtri eius; vel ſi dicant ex voto, vel ex præcepto confeſſarij, ergo reliqua conſuetudo eſt ſolùm inducta ex deuotione, ac proinde non potuit inducere præceptum.

Obiicies Concilium Fioroculenſe ſub Carolo, & Pipino, in quo ordinatur, vt omnis Chriſtianus memoriter teneat Symbolum, & orationem Dominicam, quia ſine hac benedictione nullus poterit in cæleſti Regno percipere portionem. Et Concilium Remenſe cap. 2. in quo præcipitur omnibus, vt ſciãt

orationem Dominicam, quia eam ignorare, nulli Chriſtiano licitum eſt. Vnde D. Auguſt.ſerm. 215. de tempore ait: Symbolum, vel orationem Dominicam,& ipſi tenete, & filiis veſtris oſtendite,nam neſcio qua fronte ſe Chriſtianum dicat,qui paucos verſus in Symbolo, vel in oratione Dominica parare diſſimulat.Et in ſerm.ſequenti. Ille(inquit) bonus Chriſtianus eſt, qui Symbolum, & orationem Dominicam memoriter tenet, & filios, vel filias, vt ipſi teneant, fideliter docet. Et D.Cyprianus; Aliter (inquit) orare quàm Chriſtus docuit, non ſolùm ignorantia eſt, ſed etiam culpa.

Ad hanc obiectionem dico primò, loca citata ſolùm probare,fuiſſe olim huiuſmodi præceptum, vt ſinguli diſcerent articulos fidei, & orationem Dominicam,ſed nunc non extat,ſed per vſum contrarium eſſe abrogatum; quia ſatis eſt,ac ſufficit, ſi prædicta ſciantur, licèt non memoriter teneantur.

Secundò dico, quòd in Concilio Remenſi non accipitur præceptum ſtrictè,vt ſit id, quod ſub pœna peccati obligat, ſed largè, ſicut multa dicitur Deus mandaſſe, ad quæ noluit nos ſub pœna peccati obligare.

Illa autem verba, *Nulli Chriſtiano licitum eſt*,&c. & illa D.Auguſtini, & Cypriani intelliguntur de ignorantia, qua non ſolùm ſeries, & ordo petendorum ignorantur, ſed etiam de ignorantia qua quid à Deo petendum ſit, neſcitur. Quare ſatisfacimus,ſi illa petamus quæ Chriſtus docuit eſſe petenda, etiam ſi non ordine petantur.

Ex quo infértur primò,nihil referre,quibus verbis quis oret,modò piè, & attentè oret,& non petat,

tat niſi quæ neceſſaria, vel vtilia ſunt ad ſalutem, atque adeò reuocari poſſint ad aliquam petitionem orationis Dominicæ.

Secundò infertur, quòd quamuis omnes teneantur ſcire illas ſeptem petitiones ſecundùm ſubſtantiam illarum, vt cùm opus ſit, poſſint petere neceſſaria à Deo, nòn tamen tenentur ſcire eas illis verbis, & ordine quo traduntur in oratione Dominica: ſicut etiam ſolet dici de articulis fidei. Ita expreſsè D. Auguſt. epiſt. 89. ad Hilarium. Med. tract. de oratione quæſt. 10. & Syluest. verb. ſcientia §. 2. vbi ſic ait. Videtur tamen ſufficere, ſi quis ſciat, quod debemus à Deo petere omnia bona corporis, & animæ, licèt neſciat *Pater noſter*. Eandem ſententiam ſequitur Angelus ibidem, & alij communiter.

Tertiò, & vltimò infertur, erraſſe hæreticos Bogomiles, qui vt refert Euthymius in Panoplia tit. 23. p. 2. aſſerebant omnes alias orationes præter orationem Dominicam eſſe reliquendas. Nam Chriſtus Dominus orationem quidem illam præſcripſit quoad ſententiam quidem, & res ſignificatas, non autem quoad verba, & modum, nam ipſe Chriſtus, & Apoſtoli ab eo edocti, non ſolùm Dominicæ orationis formula vſi ſunt inter orandum, ſed etiam alia, vt patet in Euangelio. *Pater mi*, ait Chriſtus, *ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Rurſus, *Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi.* Item *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Apoſtoli verò ſic etiam Deum precabantur. Actor. 2. Tu Domine qui noſti corda omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus. Eccleſia item pro rerum ac temporum varietate variis de more

precationibus vti conſueuit. Quare cùm Dominus ait. Sic ergo vos orabitis, aduerbium *ſic*. ad rerum potiùs petendarum, quàm ad verborum ſimilitudinem referendum eſt: vt *ſic orabitis*, perinde ſit, ac ſi diceretur, orantes ſimilia petetis, ſiue his, ſiue aliis verbis, quia Cyprianus, & Auguſtinus docuerunt quidquid piè iuſtéque peti poteſt, hoc totum Chriſtum Dominum in ſua illa oratione complexum fuiſſe, ita vt nihil deſiderari, aut peti queat, quod ad aliquam Dominicæ orationis partem reuocari non poſſit.

QVÆSTIO XXVIII.

An clerici teneantur ſaltem ſub veniali vocaliter orare ante prandium.

NAVAR. vbi ſuprà, & multi alij tuentur partem affirmatiuam, & probāt ex cap. Nō liceat. diſt. 44. vbi dicitur, non oportere clericos niſi hymno dicto comedere panem, & poſt cibos gratias Deo referre. Vnde Hieronymus epiſt. 22. ad Euſtochium. Nec cibi ſumantur niſi oratione præmiſſa: nec recedatur à menſa, niſi referantur creatori gratiæ, egredientes de hoſpitio armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat antequam ſeſſio, nec priùs corpuſculum requieſcat, quàm anima paſcatur.

Sed omnino dicendum eſt, nullum eſſe præceptum Eccleſiaſticum obligans clericos ad orandum ante, vel poſt prandium. Et ratio eſt, quia in cap.

cap.citato nullum eſt verbum præceptiuum,ſolùm enim dicitur,non oportere clericos,&c. Nam ibidem etiam dicitur, non oportere clericos vel Religioſos prandere ante tertiam, & tamen non eſt peccatum veniale id facere.

Tum quia illud caput non eſt Martini Papæ,ſed habetur inter canones Martini Braccarenſis Epiſcopi. Quare dicendum eſt, hoc eſſe optimum conſilium à multis, & grauiſſimis Patribus traditum.

QVÆSTIO XXIX.

An ſalutatio Angelica ſit de præcepto.

NAVAR. vbi ſuprà tuetur partem affirmantem.

At communis Theologorum ſententia ait licèt ſit ſalutare, vt omnes hanc orationem addiſcant; & ſæpius recitent, non tamen eſſe id impoſitum ſub præcepto, & ſub pœna peccati etiam venialis. Si quis autem ſit adeò indeuotus, vt hanc orationem ignoret, vel nunquam recitet, magnum indicium eſt, ipſum non rectè viuere, etiam ſi omiſſio illa ſpecialę peccatum non ſit. Secus verò eſſet, ſi is aliis orationibus aſſuefactus hanc non diceret, quia in hoc talis omiſſio non eſſet peccatum, vel ſignum obliuionis ſalutis ſuæ.

QVÆSTIO XXX.

An ſit præceptum ſaltem ſub veniali ſalutare Virginem, quando datur publicum ſignum in aurora, meridie, & hora veſpertina.

IN qua re certum eſt in primis, tunc non eſſe obligationem orandi vocaliter. Et ratio eſt, quia hæc priuata eſt oratio, & poteſt quis ſatisfacere orando mente.

Secundò eſt etiam certum, eum qui voce orat, etſi teneatur tunc orare, nulla ratione tamen cogitur ad certam formam orandi, verbi gratia, per ſalutationem Angelicam, vel *Salue Regina*, ſed poteſt dicto aliquo pſalmo huic obligationi ſatisfacere.

Tertiò eſt etiam certum, hunc per ſe, & abſolutè non teneri tunc ſalutare Beatam virginem. Et ratio eſt, quia illa conſuetudo generaliter recepta eſt ſub ratione deuotionis, non obligationis.

Dixi autem, *per ſe*, quia ex accidenti poteſt talis omiſſio eſſe peccatum veniale. Quia ſi quis illam publicè omittat, aliquod ſcandalum præbet, & alios perturbat. Si autem omittat priuatè, & ſine aliqua cauſa, non fiet ſine aliqua otioſitate, vel ex nimio affectu ad aliquam commoditatem, vel quid ſimile.

QVÆSTIO XXXI.

An fideles teneantur ad orandum vocaliter quando tenentur audire Miſſam.

PALVD.in 4.diſt. 15.q.5.nu. 7. & nonnulli alij reſpondent eos ad id teneri.

In contrarium tamen eſt vetus, & communis, & vera ſententia,quā defendit D.Thom.in 4. diſt. 15.q.4.art.1. quæſtiunc.3.Et ratio huius eſt, quia licet in diebus feſtis teneamur audire Miſſam,nihilominus in rigore non tenemur ad aliquid recitandum vocaliter, ſed ſolùm miniſtris orantibus aſſiſtere, vt eis mediantibus oremus. Immò per ſe loquendo meliùs facerent attendendo, & mente orando,ergo ex hoc capite nullum reperitur præceptum vocalis orationis priuatæ. Verba autem D. Thom.ſunt iſta.Omnibus etiam, qui Eccleſiæ miniſteriis non funguntur,videtur ab Eccleſia determinatum tempus orandi ſtatutum eſſe, cùm ex canonum ſtatuto teneantur diebus feſtis diuinis officiis intereſſe, vt miniſtris pro populo orantibus ſuam intentionem conforment.Hæc ille.

QVÆSTIO XXXII.

Vtrùm oratio debeat eſſe continua.

MESSALIANI vt refert D. Auguſtinus libro primo de hæreſibus, dicebant orationem debere eſſe continuam, permoti ex illo Lucæ 18. Oportet ſemper orare, & nunquam deficere. Et

eiuſdem 21. Vigilate vtique omni tempore orantes. Et 1. Theſſal. 5. Sine intermiſſione orate. Et Eccleſ. 18. Ne impediaris orare ſemper. Et pſalmo 33. Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. Cui mirè conſonat illud Diui Hieronymi in cap. Nunquam. de conſecrat. diſtinct. 5. Nunquam de manu tua pſalterium cadat. Et illud eiuſdem in cap. Si quis vult. diſtinct. 36. Oret in Eccleſia Sacerdos indeſinenter. Et iterum, Sicut militi ſine armis ad bellum ire non conuenit, ita homini Chriſtiano procedere non licet quolibet ſine oratione. Et in epiſtola ad Euſtochium, inquit. Nec cibus antè ſumatur, niſi oratione præmiſſa, nec recedatur à menſa, niſi referantur gratiæ Creatori. Egredientes hoſpitium armet oratio, regredientibus de platea oratio occurrat, antequam ſeſſio, nec priùs corpuſculum, quàm anima paſcatur. Ad omnem actum inceſſúmque manus pingant crucem.

Tum quia homo ſemper indiget auxilio Dei, vel vt reſurgat, ſi in peccato eſt, vel vt ſtet ſi eſt in gratia Dei: & ſemper homo eſt in malo, pro quo repellendo, orandum eſt iuxta illud Ioannis in Canonica: Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, veritas in nobis non eſt. Semper etiam ſumus in periculo ſuccumbendi Dæmonis tentationi, iuxta illud Petri: Vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret, ergo ſemper orandum.

Tum quia non debet miles Chriſti ſcutum orationis mouere, dum bellum durat, bellum autem durat, quantum durat vita hominis, militia enim eſt vita hominis ſuper terram, vt habetur Iob 7.

Tum demum quia pericula nunquam deſunt,ideo cōtinuè indigemus Dei adiutorio. Nunquā deeſt miſeria,ideo continuè indigemus Dei miſericordia.

At verò conſtans eſt,& firma, ac certa Catholicorum ſententia non eſſe neceſſarium ſemper in oratione actu perſeuerare,nā Eccleſ. 3. dicitur, Omnia tempus habent,& ſuis ſpatiis tranſeunt vniuerſa,tempus loquendi, & tempus tacendi,ergo & oratio habet tempus determinatum ſicut & reliqua.

Tum quia certum,& indubitatum eſt,hominem aliis rebus,& operibus ſæpe intendere, quæ interdum ad ipſum,interdum ad proximum, interdum ad Rempublicam, & neceſſaria eſſe dignoſcuntur, oportet igitur orare,ſed cum temporis interuallo.

Origenes cum Gloſſa,& Diuus Pater Auguſtinus epiſtola 121. ad Probam ſic prædicta teſtimonia ſacræ Scripturæ interpretantur. Ideo eſt ſemper orādum,quia nunquam eſt à bono opere ceſſandum; dici enim ſolet,non ceſſat orare,qui non ceſſat bene agere,ſeu ſemper orat,qui ſemper bene agit.

Gerſon in 3. p. cap. 77. Diuus Anſelmus in cap. 5. epiſt. 1. ad Theſſ. & plerique alij dicunt orationem debere eſſe continuam poteſtate,vel habitu,quatenus is ſemper orat,qui vbi ſemel orare cœpit,nunquam ab oratione per contrariam voluntatem recedit ita vtampliùs orare recuſet.

Doctor Angelicus 2. 2. quæſt. 83. artic. 14. docet orationem debere eſſe continuam, quia nunquam eſt ab eius cauſa ceſſandum: cauſa autem orationis eſt gratia, & vitæ æternæ deſiderium. illud autem deſiderium, dicit, debere eſſe continuum actu, vel virtute, prout manet in omni actu,quem ex charitate facimus. Vnde quia omnia

debe

debemus ad gloriam Dei facere 1.Cor.10. ideo ſecundùm hoc debet eſſe oratio continua. Vnde Diuus Ambroſius ſermone 19. in pſalm. 118. Qui rogat,inquit, ſemper roget, & ſi non ſemper precatur, paratum ſemper habeat precantis affectum. Et Gloſſa ſuper illud 1. Theſſal. vltim. Sine intermiſſione orate; dicit, Ipſum deſiderium bonum oratio eſt, & ſi continuum eſt deſiderium, continua eſt oratio. Et D.Auguſt.in pſal.37.in illa verba: Domine ante te omne deſiderium meum, ſic ait. Ipſum deſiderium tuum,oratio tua eſt,& ſit continuum deſiderium,contemplatiua oratio: non enim dicit fruſtra Apoſtolus; ſine intermiſſione orantes. Nũquid ſine intermiſſione genu flectimus,aut manus leuamus? Orare hoc pacto ſine intermiſſione, nõ poſſumus facere. Eſt alia interior oratio ſine intermiſſione,oratio quæ eſt deſiderium. Si non vis intermittere orare,noli intermittere deſiderare. Continuum deſiderium tuũ,cõtinua vox eſt. Tacebis,ſi amare deſiſtas. Flagrantia charitatis clamor cordis eſt: ſi ſemper manet charitas, ſemper clamas: ſi ſemper clamas,ſemper deſideras. Hæc D. Aug. A quibus nec diſſentire videtur Magnus Baſilius in oratione ad Iulitam, quo loco oſtendit non eſſe impoſſibile hoc præceptum, Oportet ſemper orare,quoniã impoſſibile non eſt,rem vehementer dilectam ſemper deſiderare. Nã & amatores huius ſæculi ſiue comedant, ſiue bibant, rem amatam cum deſiderio cogitant, & etiam inter dormiendum cum eadem ſomniando verſantur.

D.Bonauentura in Lucam quem refert, & ſequitur Caſtro verb.oratio, hæreſi 2.dicit illum loquendi modum ſolùm continere quandam exaggeratio

gerationem ad demonſtrandam neceſſitatẽ orationis: eſt enim hic loquendi modus per exaggerationem vſitatus in ſcripturis, quæ ſicut impoſſibile dicunt: quod eſt valde difficile, vel rarò fit, ita ſemper dicunt fieri oportere, quod frequenter faciendum eſt. Sic enim communi, & vſitato loquendi modo, ſemper facere dicimur id, cui magno affectu incumbimus, ita vt quoties poſſumus, & quandocunque vacat illud faciamus. Sic de homine ſtudioſo dicimus, ſemper ſtudet, de puero intemperato, ſemper comedit, ſemper ludit.

Medina C. de oratione q.11. de tempore orandi dicit quod mens Chriſti Domini eſt docere nos, oportere etiamſi ſemel & iterum petendo, non obtineamus quod optamus, non ideo deſiſtere, ſed inſtanter orare, donec obtineamus quod petimus.

At verò D. Chryſoſt. & Theophyl. in illa verba Apoſtoli Sine intermiſſione orate. Et D. Aug. in lib. de hæreſibus cap. 57. & Beda in comment. ad cap. 18. Lucæ. Et D. Anſelm. in comment. ad cap. 5.1. ad Theſſ. & plerique alij dicunt mentem Chriſti Domini, & Apoſtoli ſolùm fuiſſe monere nos, vt crebrò, ac frequenter Deum precemur. Eſt enim mos vſitatus in ſacra Scriptura, vt ea dicantur ſemper fieri, quæ fiunt crebrò, & ſtatutis diei temporibus, etiamſi intermedio tempore aliud agatur. Nam ſicut Apoſtolus dixit ſemper orandum, ſic etiam dixit ſemper gaudendum, & tamen Salomon ait, ſuo tempore ridendum, & ſuo tempore plangendum. Et Lucæ 2. dicitur quòd Anna vidua ſine intermiſſione rogabat Deum, & à templo non recedebat die ac nocte, & tamẽ conſtat eam extra templum dormiſſe, cibum ſumpſiſſe, & cætera vitæ

anima

animalis officia egiſſe. Quæ expoſitio eſt valde conformis intentioni Chriſti, quam exemplo Iudicis declarauit, qui renuebat facere iuſtitiam viduæ petenti, quæ cùm importuna eſſet, & frequenter ad eum iuſtitiam petitura veniret, dicit Iudex. Quia moleſta eſt mihi hæc vidua vindicabo illam. Et tamen certum eſt, quòd illa vidua non orabat Iudicem illum continuè, ſed frequenter, tranſibant enim dies inter orationem, & orationem. Sic etiam Act. 12. legitur de Petro in carcerem incluſo, quòd in Eccleſia fiebat oratio ſine intermiſſione ad Deum pro eo: & tamen conſtat aliqua temporis interualla fuiſſe ad dormiendum, ad comedendum, & ad alia charitatis aut naturæ munia obeunda.

Similiter verè dicitur nunc, quòd in Eccleſia Dei ſemper, & ſine intermiſſione officia diuina perſoluuntur. Quod ſaluatur per hoc, quòd ſingulis diebus, & certis diei temporibus ordinariè talia officia dicuntur. Quo ſenſu dictum eſt Miphiboſeth 2. Reg. 9. Tu comedes panem in menſa mea ſemper, id eſt, omni tempore conſtituto refectioni corporis ad vitæ corporalis refectionem.

Similes ſunt in Scripturis permultæ aliæ ſententiæ, quæ per vocem, *ſemper*, nihil aliud, niſi aſſiduitatem ſignificant vt Pſalm. 1. Sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte. Pſalm. 24. Oculi mei ſemper ad Dominum. Pſal. 33. Semper laus eius in ore meo. Et Luc. vltimo, Erant ſemper in templo laudantes & benedicentes Dominum. Vnde illud, Oportet ſemper orare, & ſine intermiſſione: hunc habet ſenſum, vt ſtatis videlicet ac certis temporibus quotidie diuinam

uinam opem inuocemus, ſiue id mane, ſiue veſpe-ſpere, ſiue alio quolibet diei tempore facia-mus.

Ex quo ſequitur orationem debere eſſe conti-nuam, continuatione, & perpetuitate morali, in eo ſenſu quo loquuntur Chryſoſtomus & Theo-phyl. Auguſt. Anſelm. & Beda, non autem mathe-matica, & phyſica continuatione.

Huic doctrinæ obſtare videtur illud Matthæi 6. Orantes nolite multum loqui, ſicut ethnici fa-ciunt, putant enim quòd in multiloquio ſuo exau-diantur. Nolite ergo aſſimilari eis, ſcit enim Pa-ter veſter quid opus ſit vobis antequam peta-tis eum.

Huius obiectionis meminit D. Auguſt. in epiſt. 121. cap. 10. Reſpondendum eſt ergo iuxta men-tem eius, non prohiberi à Domino longam ora-tionem, ſed inanem verborum multiplicationem. Abſit, inquit, ab oratione multa loquutio, ſed non deſit multa precatio, ſi feruens perſeueret intentio. Nam & Dominus qui prohibuit multum loqui, pernoctabat in oratione Dei Luc. 6. Et iuſſit nos ſemper orare eiuſdem 18. Et factus in agonia pro-lixiùs orabat.

Tandem ad rationem contrariæ opinionis re-ſpõdeo, quòd licèt ſemper homo ſit in periculo, vel indigentia diuini auxilij, ex hoc tamen nõ ſequi-tur, quòd ſemper & pro ſemper homo oret: ſatis e-nim eſt, ſi in hoc non ſit notabiliter negligens, ſed vigilet, & pro tempore oret, eſt enim præceptum affirmatiuum, ac proinde non pro ſemper ob-ligat.

QVÆSTIO XXXIII.

Quibuſnam conueniat orare.

RESPONDEO, his omnibus, qui ratione, & intelligentia ſunt præditi, vt Angelorum, & hominum, qui ſunt rationis, & intelligentiæ participes, ac proinde loqui, ac loquendo petere aliquid poſſunt, & Deum ſuperiorem, & potentiorem, & opulentiorem agnoſcunt, reuerentur, & colunt, à quo aliquid boni ſibi, vel alteri expectare poſſunt. Ratio huius eſt, quia oratio eſt loquutio quædam, qua cum ſubiectione petitur à ſuperiore, quod deſideratur, omnis autem locutio eſt naturæ ratione, & intelligentia præditæ, ergo. Et ita tenet D. Thomas 2.2.q.83.art.10.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrùm Deo conueniat orare.

RESPONDEO, quòd non. Et ratio eſt, quia Deus ſuperiorem non agnoſcit, à quo aliquid cum ſubiectione petere poſſit, nec eſt alicuius rei indigens, quam imploret, cùm ſit fons omnium bonorum, quippe cui omnes creaturæ dicunt, Deus meus es tu, quoniam bonorum noſtrorum non indiges.

Obiicies, in Scriptura dicitur, Deum petere, aut rogare aliquid ab homine, vt Exodi 32. Dimitte me, aurora eſt.

Reſpon

RESPONDEO hunc locum intelligendum eſſe hyperbolicè, vt oſtendat quantum valeat oratio iuſti apud Deum, vt bene explicat Card. Bellarmin. lib. 1. de bonis oper. cap. 8.

Hinc impia, & blaſphema cenſetur deliratio illa Iudęorum Thalmudiſtarum, qui dicunt Deum quotidie certas orationes deuoto animo fundere: & illa Pſeudoprophetæ Mahometi qui in ſuo Alcarano cap. 43. affirmat, Deum, & Angelos pro ſe orare.

QVÆSTIO XXXV.

Vtrùm vni perſonæ diuinæ conueniat orare aliam.

RESPÓNDEO, quòd non. Et ratio eſt, quia orare eſt actus inferioris ad ſuperiorem, & requirit diſtinctam voluntatem inter eum qui orat, & ad quem orat: perſonæ autem diuinæ neque habent ſuperiorem extra ſe, neque inter ſe vna eſt inferior alia, & vnicam tantùm habent voluntatem, & ideo neque vna poteſt orare ad aliam, neque omnes ad quempiam alium.

Nec refert, quòd vna perſona diuina ab alia originem trahat, nam omnes tres ipſæ perſonæ ſibi ſunt coæternæ, & coęquales, nec vna eſt altera maior, aut natura prior, aut perfectione præſtantior, quamuis verè ſit inter eas ordo originis, quâ vna eſt ab altera, non econtra.

Neque obſtat illud ad Rom. 8. Quid oremus, ſicut oportet neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quia intelligitur ab

effectu, propterea quòd poſtulare nos facit, aut docet nimirum tribuendo poſtulandi vim, auxiliũ, & gratiam: Sicut & eius quod Mat. 10. dicitur. Non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis; ſenſus non eſt: quòd Spiritus ſanctus per ſe verba proferat, ſed quòd ad verum loquẽdum vim, facultatem, auxilium, & gratiã largiatur. Et ſicut ipſe in ſe non gemit, ſed gemere nos intus facit, ita in ſe non orat, ſed orare nos facit.

At D. Chryſoſtomus in eum locum appellatione Spiritus intelligit Spiritum hominis donatum beneficio & munere precationis, & orationis per Spiritum ſanctum, Quoniam ſicut in primitiua Eccleſia multis tribuebatur donum linguarũ, ac etiam qũia neſcimus orare, & interdum nociua, & inutilia petimus, confertur quibuſdam donum precationis. Et ideo teſte Chryſoſtom. ait Apoſtolus. Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus, nimirum hominis per Spiritum ſanctum munere precationis illuſtrati poſtulat pro nobis.

QVÆSTIO XXXVI.

An Chriſto orare conueniat.

IN hac graui, & perdifficili quæſtione conuenit inter omnes, Chriſto in quantum Deus eſt, non conuenire orationem, quia, vt diximus, oratio eſt inferioris ad ſuperiorem, at Chriſtus in quantum Deus, nullum ſuperiorem agnoſcit, ſed eſt omnino Patri æqualis, ergo Chriſto in quantum Deus eſt, non competit orare.

Secundò etiam conuenit, olim in terris eum pro nobis

nobis ſæpius oraſſe. Primò, quia ſua oratione merebatur nobis, vt digni efficeremur ad ſuſceptionem diuinorum beneficiorum.

2. Vt diſcipulos,& nos ſuo exemplo inuitaret,& commoueret ad pietatem,honorem,cultúmque, & reuerentiam aduerſus maieſtatem diuinam.

3. Vt humanæ naturæ ſuſceptæ veritatem oſtenderet.

4. Et vltimò,quia quatenus homo, erat ſummus Sacerdos, & Pontifex, & ſibi ex officio competebat orare pro peccatoribus,ſicut, & pro peccatis ſacrificium offerre, iuxta illud Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus,&c.

QVÆSTIO XXXVII.

Sed quod habet difficultatem eſt,vtrùm Chriſto ſecundùm humanā naturam ſedeti in dextera Patris in excelſis conueniat orare.

IN qua re etiam conuenit inter Doctores, quòd Chriſtus Dominus etiam poſtquam aſcendit in cœlum,& ſedet ad dexteram Patris,eſt eiuſdem naturæ nobiſcum; quamuis alterius gloriæ, ita quòd non ſolùm eſt verus Deus,ſed etiam verus homo,vt fides docet.Ex quo fit, vt etiam in dextera Dei ſedens ſit minor Patre, ab eóque in omni ſua operatione dependens.

Secundò etiā cōuenit,quòd ſi quæ in Chriſto eſſet oratio in cœlis,illa eſſet ſine aliqua anxietate,& ſolicitudine. Chriſtus enim Dominus paſſione conſummata,liber fuit quacūque anxietate,& ſolicitudine.Hęc igitur certa sūt,& in cōfeſſo apud omnes.

QVÆSTIO XXXVIII.

Tota igitur huius controuerſiæ difficultas in eo conſiſtit, An propriè ſit dicendum, quòd nunc Chriſtus in dextera Dei ſedens interpellat pro nobis.

Aivnt quidam Chriſtum Dominum in cœlo regnantem non orare pro nobis, neque hoc munus mediatoris pro nobis nunc magis exercere, quàm munus ſatisfactoris, vel merentis, quia in hac vita degens perfecit negotium redemptionis, & omnia quæ ad illam pertinent.

Alij verò docent etiam nunc in dextera Dei ſedentem exercere Chriſtum mediatoris munus, verè & propriè pro nobis orando, & intercedendo. Et ratio eſt, quia id non dedecet ipſum, cùm in terris ſæpiſſimè id fecerit, & ſtatui beatitudinis non repugnet vt patet in aliis ſanctis.

Tum quia id vertitur in Dei laudem, & cultum: ſicut enim ſumma charitate, ita etiam ſumma humilitate erga Deum eſt præditus, cur etiam non vtatur oratione?

Tum quia, etſi data ſit illi omnis poteſtas in cœlo, & in terra Mat. 28. tamen exequutio huius poteſtatis non poteſt fieri virtute naturæ humanæ, ſed Dei, vt patet in iuſtificatione, & glorificatione, ergo decet vt id petat à Deo.

Tum demum, quia Ioann. 14. ipſemet Chriſtus dixit: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit

bit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum. Quaſi dicat, nolite ob meum diſceſſum ad Patrem, eſſe mœſti, quia cùm ad Patrem venero, rogabo eum, vt alium meo loco mittat, qui nunquam diſcedat. Hoc idem patet 1. Ioan. 2. Sed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum: quod propriè dici nequit, niſi aliquid pro nobis à Patre petat. Ad Roman. 8. Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Et ad Hebræ. 7. Semper viuẽs ad interpellandum pro nobis. Vnde D. Aug. Habes, inquit, maieſtatem, ad quam ores, habes humanitatem, quæ pro te oret. Et Amb. Chriſtus reſurgens, ſemper cauſas noſtras agit apud Patrem, cuius poſtulatio contemni non poteſt, quia in dextera Dei eſt, hoc eſt, in honore, quòd Deus eſt. Et infrà. Interpellat pro nobis ne inimicus aliquid violenter præſumat contra nos, vt arceatur. Et ideo huius ſententiæ ſunt Greg. Nazianzenus oratione 4. Aug. tract. 102. in Ioan. Cyril. lib. 11. in Ioa. c. 9. D. Th. 2. 2. q. 83. ar. 11. & c. 7. ad Hebr. lect. 4. D. Bonau. de vita Chriſti c. 98. Tolet. in c. 16. in Ioan. Valent. 2. 2. d. 6. q. 2. p. 1. Suar. in 3. p. d. 45. q. 2. ſect. 2. & Azor. 1. p. inſt. mor. lib. 9. cap. 29. q. 7. Pro quo

Primò dico, quòd Chriſtus in cælis regnãs, nunc Patrem non orat ſupplicum hominũ more, qui corpus inclinant, caput demittunt, ſeſe humi proſternunt, & expanſas in cœlum manus attollunt: hæc enim & ſimilia Chriſtus dũ in terris nobiſcũ verſabatur, faciebat, tũ vt ſe oſtenderet verũ hominem, & verè à Deo miſſum, tum vt diſcipulis, & nobis exemplum orandi daret, nunc verò ei ad Patris dexteram conſidenti hęc minimè conueniunt. Ita D. Hier. c. 8. epiſt. Pauli ad Rom. D. Ambr. D. Chryſ. & Nicolaus

de Lyra,cum Gloſſa interlineari ibidem. Eandem ſententiam tenet Rupert. Abb.lib.9. de diuinis off. cap.3.vbi ait oppoſitum eſſe contra fidem.

Secundò dico,quòd Chriſtus in cœlis pro nobis orat,aut petendo aliquid à Patre, aut oſtendendo illi ſua vulnera, & cicatrices, quibus nobis bona plurima,& maxima promeruit: aut repræſentando illi ſuam naturam humanam aſſumptam, & quæ in ea,cauſa noſtri ſuſtinuit:quemadmodum pauperum plagæ, nuditas, vulnera, morbi, & miſeriæ, ipſis etiam tacentibus,orare dicuntur.

Ex quo colligitur Chriſtum dici Aduocatum,& interpellare pro nobis, non quia orationes fundat ad Deum pro nobis,ſed quia repræſentatio vulnerum & ſanguinis ipſius veniam, & miſericordiam nobis imprecatur. Poſſumúſque huius ſententiæ nonnullas congruentias adducere, quarum prima eſt, quia fortè hic honor eius paſſioni debetur, vt iam deinceps diademate coronatus, nihil ampliùs à Patre peteret,aut precaretur.

Secunda, quia non ſine cauſa poſt reſurrectionem ſuam dixit: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo,& in terra.

Tertia, quia videmus, quòd Eccleſia modò non orat Chriſtum,vt pro nobis intercedat, ſed vt miſereatur noſtri,vel nobis opem ferat.

QVÆSTIO XXXIX.

An nobis liceat Chriſtum Dominum precari, vt pro nobis intercedat.

ET quidem certum eſt apud omnes,nobis nullo modo fas eſſe Chriſtum rogare, vt ipſe quatenus

nus Deus eſt, pro nobis oret. Quia Chriſtus, qua ratione Deus eſt, Patri eſt per omnia æqualis.

QVÆSTIO XL.

Sed quæſtio tota eſt, An Chriſtum iure orare poſſimus, vt ipſe quatenus homo eſt, pro nobis intercedat.

Respondeo nobis non licere vti aliqua orationis formula contra morem Eccleſiæ receptum: Eccleſia autem nunquam Chriſtum publicè orat, vt pro nobis intercedat, ſed vt noſtri miſereatur, vel benefaciat nobis.

Tum quia cùm in carne mortali Chriſtus commorabatur, eum cuncti inuocabant, Chriſte adiuua nos. Ieſu fili Dauid miſerere noſtri. Chriſte præceptor, vel Domine ſalua nos.

Tum quia licèt Chriſtus ſecundùm naturam humanam ſpectatus, poſſit adoratione hyperduliæ adorari, tamen ſicut ſemper decet, dum aliquem alloquimur, ſummo honoris titulo compellare, ita in praxi expedit Chriſtum honore latriæ honorare, ad ipſum orationes dirigere, non vt pro nobis precetur, ſed vt tribuat, & conferat.

Tum quia poſt reſurrectionem ei data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra, ergo eius magis eſt imperare, ſtatuere, & dare, quàm orare.

Tum demum quia licèt vtrumque in c.14. Ioannis ipſe Chriſtus promiſerit, Si quid petieritis in

nomine meo, hoc faciã. Et infrà. Ego rogabo Patrẽ. Tamen primum conuenit illi, vt Deus eſt: ſecundum vt eſt homo. Nos autem loquentes cum Chriſto, & colentes illum, ſemper reſpicimus non ad naturam humanam, ſed ad perſonam in natura ſubſiſtentem, quæ ſua poteſtate dare, & conferre poteſt, & ideo loquimur cum illo tanquam cum vero Deo, ac proinde non loquimur cum eo tanquam cum interceſſore, ſed tanquam cum authore omnium bonorum.

QVÆSTIO XLI.

An Chriſtus orans ſemper fuerit exauditus.

AD hoc dico primò, quòd oratio Chriſti procedens à voluntate rationis, ſemper in omnibus fuit exaudita. Ratio eſt, quia ſemper illa voluntas fuit conformis diuinæ voluntati, & dignè, ac ſanctè petebat, & ideo de eo dicit Apoſtolus ad Hebræos 5. Exauditus eſt pro ſua reuerentia.

Secundò dico, quòd oratio Chriſti à voluntate pietatis, & à voluntate carnis procedens, non ſemper impetrauit. Ratio eſt, quia huiuſmodi voluntates non erant in omni volito diuinæ voluntati conformes. Vnde quando orauit voluntate pietatis pro crucifixoribus, non omnes ſalui facti ſunt: nec quando voluntate carnis orauit dicens: Tranſeat à me calix iſte, impetrauit. Idque Chriſtus fecit, non tam ad ſuam exauditionem, quàm ad noſtram inſtructionem, vt ſe oſtenderet verum

rum hominem,& vt tempore tribulationis ad orationem confugeremus, & fiduciam in Deo haberemus.

Qvæstio XLII.

Vtrùm brutis animalibus, & reliquis creaturis inanimatis orare conueniat.

ET videtur quòd ſic, nam in Pſalmo 146. dicitur: Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum. Et Pſalm. 103. Catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi.

At communis, ac veriſſima ſententia eſt in contrarium. Et ratio eſt, quia ſicut bruta animalia, & reliquæ creaturę inanimatæ non ſunt capaces rationis, ita nec ſunt orationis. Et ideo quòd in memoratis locis dicuntur beſtiæ Deum inuocare, nomine inuocationis nō propriè intelligi orationem, ſed naturalem inſtinctum, quo beſtiæ ſiue rugiendo, ſiue crocitando exprimunt famem ſuam, cui Deus ſecundùm ordinem prouidentiæ ſuæ proſpicit, aperiens manum ſuam, & implens omne animal benedictione: ſicut & per ſimilitudinem omnia Deo obedire dicuntur, eo quòd inſito naturæ impulſu à Deo rerum omnium authore mouentur ad fines, quos illis ipſe præſcripſit, perinde ac ſi præcepto accepto, illud implere ſtuderent.

Ex quo fit orationem eſſe actum proprium creaturæ rationalis. Quia ſola creatura rationalis

habet & ſuperiorem ſe, quem orat, & rationem ſeu mentem qua orent.

QVÆSTIO XLIII.

Vtrùm ſancti Angeli pro nobis orent.

RESPONDEO quòd ſic, vt patet Tob. 12. vbi dixit ei Angelus. Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino, id eſt, ſupplicaui illi vt eam adimplere dignaretur. Et Danielis 10. ſuper illa verba: Et ego veni propter ſermones. Ait Gloſſa: Poſtquã cœpiſti lachrymis, ieiunio & orationibus inuocare manum Dei, ego occaſionem accepi, vt pro te oraturus ingrederer in conſpectu Dei. Et Zach. 1. dicitur Angelum ſic rogaſſe pro populo Dei; Domine exercituum, vſquequò tu non miſereberis Hieruſalẽ, & vrbium Iuda, quibus tu iratus es. Vnde, & obtinuit à Domino clemens, & conſolatorium reſponſum, quod ipſi populo annuntiaret. Et Apoc. 8. dicitur, Aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo. Intercedunt igitur Sancti Angeli pro nobis, & ſæpe vel in toto, vel in parte exaudiuntur.

Et confirmatur ex perpetuo Eccleſię vſu, quæ in Litaniis ita Angelos precatur. Sancte Michaël ora pro nobis. Sancte Gabriel ora pro nobis. Sancte Raphaël ora pro nobis. Omnes ſancti Angeli, & Archangeli Dei orate pro nobis. Ergo ſupponit ipſos orare pro nobis.

QVÆ

QVÆSTIO XLIV.

An ſpiritus hominum beatorum pro nobis orent?

RESPONDEO quòd ſic. Et ratio eſt, quia vt rectè monet D. Thomas 2.2.q.83.ar.7. & 8. oratio pro aliis facta, ex charitate illius qui orat, prouenit: ergo quantò aliquis magis eſt in charitate, tantò magis Deum precatur. Sed Spiritus beatorum hominum qui ſunt in patria, ſunt perfectioris charitatis, ergo magis orant pro nobis: & quia ſunt Deo coniunctiores, eorum orationes ſunt efficaciores.

Tum quia Angeli pro nobis orant vt ex dictis conſtat, ergo multò magis id ſpiritus hominum beatorum faciunt, nam in primis nihil eis deeſt eorum, quæ Angeli habent, quantum ad hoc munus ſpectat, cùm ſint præditi intelligentia, & voluntate, & adſint ſemper Deo, & nos vehementer diligant, ac demum ſint æquales Angelis, vt dicitur Luc. 20. Immò aliquid habent præ Angelis, quòd ſunt membra corporis Eccleſiæ nobis magis coniuncta, quã ſint Angeli, & experti ſunt miſerias, & pericula noſtra, quæ Angeli non ſunt experti.

Tum quia, ſi quid obſtaret, maximè, quia vel otiones noſtras, vel neceſſitates in particulari non cognoſcunt. Sed hoc eſt falſiſſimum vt inferiùs oſtendam, ergo.

Tum quia 2. Petri 1. Petrus Apoſtolus ait: Dabo autem operam, & frequenter habere vos,

nimi

nimirum commendatos, ſiue in animo poſt obitum meum, vt horum memôriam faciatis. Et Apocalyp. 5. deſcribuntur 24. Seniores in cælo procidiſſe coram throno Dei, habentes ſinguli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.

Tum quia Lucæ 16. diues epulo orabat pro fratribus ſuis, ergo multo magis orant Sancti pro nobis.

Tum quia ſi quando Spiritus hominum iuſtorum non videbant Deum, ſed erant in ſinu Abrahæ, orabant pro viatoribus, vt de Onia Pontifice, & Hieremia legitur 2. Machab. vltimo, & de Samuele, & Moyſe Ierem. 15. Ergo multò magis nunc Spiritus hominum beatorum pro nobis orabunt, qui non ignorant in quibus periculis verſemur, & maiori charitate nos diligant.

Et confirmatur, nam ſancta mater Eccleſia à Spiritu ſancto edocta, ſanctos in cęlo cum Chriſto regnantes precatur, vt pro nobis orent, ergo pro certo, & explorato habet, eos pro nobis orare. Vnde Diuus Hieronymus in Epiſtola ad Paulam de obitu Blecidæ, Pro te, inquit, Dominum rogat, mihíque impetrat peccatorum veniam. Et Diuus Auguſtinus lib. 7. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 1. Adiuuet, inquit, nos Cyprianus orationibus ſuis in iſtius carnis mortalitate, tanquam in caliginoſa nube laborantes, vt donante Domino quantum poſſumus, bona eius imitemur.

Dices, ſancti Angeli, & Beati in cælo exiſtentes nihil ſibi mereri, vel demereri poſſunt, ergo multo minus nobis.

Reſpondeo,

Reſpondeo, quòd licèt ſancti Angeli, & Beati in cælo exiſtentes, non poſſint mereri nec ſibi, nec alijs, poſſunt tamen ex præteritis meritis, & orationibus præſentibus, quæ ex præcedentibus meritis, & ex diuina acceptatione, efficaciam impetrandi habent, ſibi, & alijs multa à Deo impetrare.

QVÆSTIO XLV.

An ſancti qui ſunt in patria, orent pro his qui ſunt in purgatorio.

MAGISTER Sotus in 4. diſt. 45. q. 3. ar. 2. negat.

Sed conſtans eſt omnium Theologorum ſententia, ſanctos cæli ciues frequenter rogare Deum pro his qui pœnis purgatorij expiantur. Id enim conſtat ex generali vſu totius Eccleſiæ, quę in ſuis publicis ſupplicationibus ſic ſanctos precatur. Sancte Michael ora pro eo. Sancte Petre ora pro eo. Et in illa oratione, Deus veniæ largitor, &c. ſupplicat Deo, vt Beata Maria intercedente, & omnibus ſanctis, animas defunctorum ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedat. Vnde Diuus Auguſtinus lib. de cura pro mortuis cap. 4. ad hoc dicit prodeſſe mortuis ſepulturam in Baſilicis Martyrum, vt qui recordatur mortui, ſimul recordetur Martyris, & eius precibus mortui animam commendet.

Nihilominus arbitror Sotum eo in loco ſolùm dicere voluiſſe, Sanctos in cælo non orare pro

mortuis

mortuis ſatisfaciendo, ſed impetrando, quod ante illum docuit omniſcius Diuus Thomas in 4. diſt. 45. q. 3. ar. 3. ad 6. vbi ait aliter orare pro his qui ſunt in purgatorio Eccleſiam militantem, aliter triumphantem, quia Eccleſia militans orat pro illis ſatisfaciendo, & impetrando, Eccleſia verò truimphans orat impetrando, non ſatisfaciendo.

QVÆSTIO XLVI.

An Angeli, & Animæ Beatæ cùm Deum deprecantur pro nobis, prænoſcant effectum talis orationis.

RATIO dubij eſt, quia ſi vident orationem non habituram effectum, non poſtulabunt id quod ſibi à Deo denegandum eſſe cognoſcunt, non enim diſcordem habent cum Deo voluntatem. Si autem præſciunt effectum eſſe futurum, non eſt cur illud poſtulent, quia iam ſciunt ſuam orationem eſſe ſuperfluam. Si denique neutrum ſciunt, ſcilicet, An Deus ſit, aut non ſit id conceſſurus, videntur aliquo ignorantiæ defectu laborare ſtatui beatifico repugnante.

His tamen non obſtantibus reſpondeo omnibus his tribus modis poſſe contingere, vt ſancti in cælo regnantes Deum deprecentur. Et de primis quidem duobus modis habemus certum exemplum in anima Chriſti, illa enim videt in Verbo omnia quæ futura ſunt, ergo quando deprecabatur, pro certo ſciebat euentum ſuæ orationis,

&

& nihilominus rogauit pro Petro, ne deficeret fides eius, & rogauit vt mitteret Spiritum ſanctum, quæ omnia ſciebat infallibiliter fuiſſe futura. Deprecatus eſt etiam, vt à ſe transferret calicem paſſionis, cùm certò ſciret, illud non fuiſſe à Patre concedendum. Idem ergo nunc accidere poteſt ſanctis in cælo orantibus iuxta ſtatum ſuum. Et ratio huius eſt, quia neutra præſcientia excludit orationem. Nam ſi Beati vident orationem ſuam habituram effectum, tunc libentiori animo, & maiori affectu orant, quia ſimul etiam præſciunt effectum illum ſuis precibus obtinendum. Si autem Beati prænoſcunt effectum non eſſe futurum, licèt orare non poſſint voluntate, & affectu abſoluto, ne à Dei voluntate diſcordare videantur, nihilominus orare poſſunt ſaltem ex effectu, & amore talis perſonæ, ſubiiciendo ſuam voluntatem abſolutæ, & efficaci voluntati Dei, quod in honorem, & cultum Dei cedit. De tertio autem modo habemus exemplum in Daniele cap. 10. vbi Angelus Gabriel orauit pro liberatione Iudæorum, & Princeps Regni Perſarum, ideſt, Angelus Præfectus illius Regni dicitur ei reſtitiſſe viginti vno diebus, orando ſ. ne Iudei liberarentur. Quia neſciebant, quid Deus diſpoſuiſſet, & procurabant commodum Regni ſibi commiſſi, donec de diuino beneplacito ſibi conſtaret, ergo interdum ſancti orant, ignorando quem effectum ſua oratio ſit habitura, donec illum poſtea per reuelationem cognoſcant. Non igitur implicat aliquem ſanctum orare pro re aliqua, cuius euentum ignorat iuxta ſuum ſtatum. Et ideo huius ſententiæ ſunt D. Tho. 1. p. q. 113. ar. 8. & in 4. diſt. 45.

q. 3.

q. 3. art. 3. & Caiet. 2. 2. q. 83. art. 4. & 3. p. q. 10. ar. 2.

At ego arbitror, Beatos in Verbo videre futuros euentus pro qualitate ſtatus cuiuſque, quò enim quis perfectiorem beatitudinis gratiam aſſequutus eſt, maiora videt in Verbo, quamobrem anima Chriſti, vtpote perfectiſſima videt omnia futura contingentia. Similiter anima Beatiſſimę Virginis omnia nouit, quæ Deus in Eccleſia facit: reliqui verò ſancti plus, vel minus vident pro ratione ſtatus.

Nec obſtat illud Eccleſ. 9. Mortui nil cognoſcunt ampliùs. Quia illud intelligitur de cognitione naturali, vel de ſtatu legis antiquę, in qua animæ ex hac vita migrantes, non in cælum euolabant, ſed ad limbum deſcendebant.

QVÆSTIO XLVII.

Quomodo Angeli, vel Sancti orant pro nobis.

Respondeo eos orare per deſiderium ſigno, vel mentali nutu expreſſum. Sic D. Aug. in lib. de cura pro mortuis agenda, vbi ait, Sanctos orare pro nobis in voto, ideſt, in deſiderio. Et Gloſſa ſuper illud Iob cap. 1. Satan vbi venis, ait: Sancti loquuntur Deo per deſideria.

QVÆST.

QVÆSTIO XLVIII.

Quid ſibi vult, cùm dicimus Angelos, vel Sanctos Deo præſentare orationem noſtram?

RESPONDEO Sanctos offerre, vel prꝗſentare Deo orationem noſtram, nihil aliud eſſe, quàm narrare apud Deum, quod nos deſideramus, ac petimus. Quod contingit dupliciter. Primò, quando nos deprecamur ſanctos, vt hoc, vel illud nobis beneficium impetrent à Deo, & poſtea ſancti hoc ipſum repreſentant, ſeu narrant, & tunc ipſi non ſolùm repræſentant orationem noſtram, verùm etiam pro nobis intercedunt, vt deſideria noſtra compleantur. Alio verò modo quando nos cupimus quidem petere ab ipſomet Deo, ſed non audemus per nos ipſos accedere, & ideo deprecamur ſanctos, vt orationem noſtram repræſentent Deo. Tunc enim Sancti per ſe primò præſentant Deo petitionem, quam nos ab ipſomet Deo immediatè poſtulamus, ſed in ſignum humilitatis volumus per digniores perſonas preſentare.

QVÆSTIO XLIX.

Vtrùm Sancti orent non ſolùm pro alijs, ſed etiam pro ſeipſis.

DIVVS Thom. 2. 2. q. 83. art. 11. ad 1. tenet animas mortuorum hominum in cælo ſolùm

orare pro corporum ſuorum reſurrectione, quia ſolùm gloria corporum illis deeſt.

Ex quo videtur inferre, Angelos, qui ſunt corporum expertes, nihil orare pro ſeipſis.

At Alex. Alenſ. 4. p. q. 26. m. 3. art. 4. §. 2. docet Angelos, & ſanctorum animas etiam orare pro bono habito, vt continuetur, & pro complemento numeri electorum, & pro iuſtitia in reprobis exequenda. Pro quo

Primò dico, quòd ſancti in cælo non orant, vt à malis, periculis, & miſeriis eripiantur, quibus ſe ſolutos, ac liberos eſſe, ob certam beatitudinem, quam ſunt adepti, cognoſcunt.

Secundò dico, quòd ſancti in cælo non orant pro his, quæ ſpectant ad beatitudinem eſſentialem ſuam. Ratio eſt, quia illam iam habent, ergo vt ſic illam poſtulare non poſſunt.

Tertiò dico, quòd ſancti in cælo non orant pro augmento ſuæ beatitudinis eſſentialis, quia huiuſmodi augmentum ſecundùm ordinariam Dei prouidentiam obtinere nequeunt. Tum quia hoc deſiderium ſtatui beatitudinis repugnat.

Quartò dico, quòd ſancti in cælo non petunt conſeruationem, ſeu perpetuitatem ſuæ beatitudinis, quia neque talem conſeruationem, ſeu perpetuitatem habent in deſiderio, ſed reipſa iam illam poſſident, & illa fruuntur, ſanctorum enim gloria menſuratur æternitate, quæ eſt tota ſimul, & non conſiderant illam vt futuram, ſed vt præſentem, & immutabilem.

Quintò dico, quòd ſancti in cælo orant pro his, quæ ſpectant ad accidentalem gloriam, quia non totam gloriam accidentalem ſimul habent,

ſed

ſed in illa mutationem, & augmentum recipiunt. Vnde Chriſtus in nocte cœnæ orauit ad Patrem Ioan. 17. Clarifica filium tuum. Vbi claritatem ſui nominis per notitiam credentium poſtulauit, quæ pertinet ad gloriam accidentalem Chriſti, vt homo eſt.

Ex quo ſequitur primò animas mortuorum hominum in cælo, poſtulare à Deo ſuorum corporum reſurrectionem. Quia gloria corporis accidentaria eſt reſpectu ſtatus beatifici.

Secundò ſequitur, eas orare pro complemento numeri prædeſtinatorum, nam licèt hæc oratio videatur eſſe pro aliis, tamen etiam redundat in ipſos orantes, quatenus ex complemento illius numeri mirum in modum augebitur accidentalis gloria ſingulorum. Vnde Apoc. 6. narratur vidiſſe Ioannem ſubtus altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei, clamantes ad Deum: Vſquequò Domine non iudicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum.

Tertiò, & vltimò ſequitur, Angelos, & mortuorum hominum Spiritus poſſe orare pro aliquo dono accidentali gloriæ, puta reuelatione aliquarum rerum quas ignorant.

Dices, deſiderium non impletum quantum eſt ex ſe, affligit animam; ergo repugnat beatitudini Sanctorum quæ eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus.

Reſpondeo, circa bona non habita poteſt eſſe in ſanctis ſimplex deſiderium ſine imperfectione ſuo ſtatui repugnante. Quia ſemper habent quidquid eis conuenit ſecundùm ſuum ſtatum, & in futurum nihil petunt niſi iuxta beneplacitum diuinæ

voluntatis, & ſunt pluſquam certi, quòd ſemper habituri ſunt quod ſuo ſtatui conuenit, per media diuinæ diſpoſitioni conuenientia, inter quæ vnum eſt oratio ad Deum.

QVÆSTIO L.

Vtrùm Dæmones, & damnati orare poſſint.

MEDINA C. de oratione q. 6. tenet non poſſe propriè orare.

Nauar. de oratione cap. 20. nu. 13. defendit eos poſſe propriè orare, ſed non bene.

Alij verò non poſſe omnino orare contendunt. Pro quo

Primò dico, quòd Dæmones, & damnati poſſunt aliquid petere à Deo. Patet exemplo diaboli qui poſtulauit à Domino ſibi facultatem dari tentandi Iobi patientiam, & virtutem, & obtinuit Iob 1. & 2. Vnde Gloſſa 2. Cor. 12. ſuper illa verba. Ter Dominum rogaui, &c. ait. Exauditur diabolus Iob petens tentandum: & non exauditur Apoſtolus petens ſtimulum amouendum. Item Matth. 8. Dæmones rogauerunt Chriſtum, vt mitteret eos in porcos, & obtinuerunt. Et Epulo ſepultus in inferno petijt ab Abrahamo iuſto, vt mitteret Lazarum, &c. & non obtinuit, Luc. 16.

Secundò dico, quòd cùm Deus concedit aliquid damnatis, id facit nō propter illorū vtilitatem, ſed vel in ipſorum confuſionem, aut propter aliquem alium bonū finem, à Deo intentū, ſ. vt Chriſti poteſtas oſtenderetur, ſicut accidit, quando Dæmonibus conceſſit, vt in gregem porcorum intrarent.

Tertiò

Tertiò dico, quòd Dæmones, & damnati propriè orare non poſſunt. Ratio eſt, quia oratio eſt actus de ſe bonus, proficiſcens ex virtute Religionis, & ideo ex bono pióque erga Deum affectu, quem damnati non habent, nec habere poſſunt, quia Deum ipſum odio ſummo inceſſanter proſequuntur.

Tum quia eorum petitio cùm non ſit rerum decentium, & ſalutarium à Deo, quod tamen eſt de ratione orationis propriè ſumptæ, non meretur nomen orationis, niſi largè accipiatur oratio, prout importat petitionem vtcunque. Ita Valent. 2.2. diſp. 6. q. 2. puncto 7.

QVÆSTIO LI.

Vtrùm animæ purgatorij pro ſeipſis orent.

RESPONDEO affirmatiuè. Et ratio eſt, quia illæ animæ ſunt iuſtæ, & gratæ Deo, & carent multis bonis, & ex pio affectu petere poſſunt, ergo orant pro ſeipſis.

Tum quia ſi animæ teſte D. Gregorio lib. 4. dialog. petunt à viatoribus, vt adiuuentur, multò magis à Deo petent, & orabunt.

QVÆSTIO LII.

An animæ purgatorij poſſint impetrare.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia illæ animæ charitate ſunt præditæ, ergo ſi aliquid

decens, & ſalutare petunt, dignæ ſunt exaudiri, quia licèt non ſint in ſtatu merendi, hoc neceſſarium non eſt ad impetrandum.

QVÆSTIO LIII.

Maior autem difficultas eſt, quid illæ animæ ſibi petant.

RESPONDEO eas orare pro ſumma fœlicitate obtinenda, nam licèt pro comperto habeant, poſt ſolutionem pœnæ, illá ſibi ſupereſſe, nihilominus rectè faciunt, deſiderando illam, & deſiderium ſuum Deo pandendo. Item humiliter à Deo petere, vt per medium aliquod à diuina prouidentia conſtitutum, quàm citiùs ab illis pœnis liberentur, ſiue hoc ſit immediatè condonando ſibi aliquam partem pœnæ propter Chriſtum, ſiue inſpirando fideles, qui pro eis ſatisfaciant.

QVÆSTIO LIV.

An animæ purgatorij pro nobis orent.

ET quidem certum eſt apud omnes, illas non poſſe orare pro nobis in particulari, ſ. vt hoc, vel illud deſiderium noſtrum impleatur, vel vt in hac, aut illa neceſſitate nobis ſubueniatur, quia ignorant deſideria, aut neceſſitates noſtras in particulari.

QVÆSTIO LV.

Quæſtio ergo, quam hîc inquirimus eſt, An orent pro nobis in generali.

DIVVS Tho. 2. 2. q. 83. art. 11. & Nauar. de oratione in prælud. n. 26. negant; quia nec beatæ ſunt, nec ſunt in ſtatu merendi, aut demerendi, ſed in carcere, in quo magis alienis orationibus indigent, quàm vt ipſi pro aliis orent.

Alij tamen probabilius, & verius eſſe oppoſitum arbitrantur, nimirum animas Purgatorij orare vel pro omnibus viatoribus, vel pro Eccleſia militante, vel in ſpecie pro his, qui ipſis peculiariter in hac vita chari fuerunt, vel qui ipſis ſuffragantur, & curam habent orandi, vel aliqua opera faciendi pro ſua liberatione. Et ratio eſt, quia illæ animæ ſunt charæ Deo, & quamuis ab illo pro tunc affligantur, non tamen vt ab inimico, ſed vt à iuſto iudice, & parente optimo, qui eas beatas efficere cupit, & ideo illas purgat, quam pœnam ipſæ æquiſſimo animo ſuſcipiunt, & patiuntur, vt filij, non vt ſerui, ergo non repugnat illi ſtatui, vt à Deo aliquid petant pro fratribus, & amicis, ac benefactoribus ſuis.

Tum quia ſi animæ illæ non orant pro nobis, vel cauſa eſt, quia non vident Deum, vel quia ſunt in maximis tormentis, vel quia ſunt nobis inferiores, ſed nihil horum dici poteſt. Non primum, quia ante aduentum Chriſti, animæ exiſtentes in limbo orabant Deum pro viuentibus, vt patet ex 2.

Mach. vltimo de Ieremia defuncto, qui aſſiduè pro populo Dei orabat. Et ex cap. 15. Ierem.& 14. Ezech. de Moyſe, Samuele, & Daniele, qui ſoliti erant Dominum orare pro populo Dei, & tamen tunc temporis illi nondum videbant Deum.

Non ſecundũ, quia Epulo in inferno ſepultus orabat Deũ pro quinque fratribus ſuis quos in ſæculo reliquerat, Luc. 16. cùm eſſet tamen in maioribus tormentis, quàm ſint animæ in Purgatorio.

Tum quia martyres in hoc mundo in tormentis conſtituti, orabant pro ſe, & alijs vt patet de ſancto Stephano Act. 7. Tum quia dolor animabus non perturbat vllo modo iudicium rationis, nec impedit effectum bonum voluntatis.

Nec etiam tertium, quia in hoc mundo nos oramus pro ſummis Pontificibus, & Epiſcopis, qui ſunt nobis ſuperiores.

Tum quia animæ Purgatorij, etiamſi nobis ſint inferiores ratione pœnarum, ſunt ſuperiores ratione gratiæ, & charitatis, in qua iam confirmatæ ſunt.

Tandem anima Paſchaſij, & Sancti Seuerini miracula operabantur, etiamſi in Purgatorio degerent, vt patet ex D. Gregorio lib.4.dialog. cap.40. & Petro Damiano in Epiſtola de miraculis ſui temporis, ergo ſignum eſt euidens, animas Purgatorij orare pro viuentibus.

QVÆSTIO LVI.

An Sancti Patres veteris teſtamenti poſt obitum ſuum orauerint.

Respondeo

RESPONDEO eos oraſſe, vt patet 2. Mach. vltimo, vbi legitur, Oniam, & Ieremiam iam dudum defunctos viſos fuiſſe orare pro populo Iudęorum viuentium. In quo apertè docemur, ſanctos defunctos, & Dei amicos pro nobis orare, & eorum orationes quas pro nobis ad Deum fundunt exaudiri. Hoc idem habetur ex Ierem. 15. Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. Et ex Ezech. 14. Si Noë, & Daniel oraſſent pro eis, non eos ſaluarent. Et tamen cõſtat ſanctos illos prophetas defunctos eſſe, & nondum erant in cœlis beati, & tamen ſoliti erant Deum orare pro viatoribus, & à Deo exaudiri.

QVÆSTIO LVII.

An viatoribus tam bonis, quàm malis conueniat orare.

RESPONDEO conuenire. Et ratio eſt, quia omnes indigent gratia Dei, iuſti quidem ne cadant, & mali vt à peccato reſurgant, non enim eſt homo, qui non peccet, vt ait Scriptura. Vnde Ioan. 1. c. 1. Si dixerimus quòd peccatum non habemus, noſmetipſos ſeducimus, atque ita omnibus conuenit quotidie dicere: Dimitte nobis debita noſtra: &, Libera nos à malo. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

QVÆSTIO LVIII.

Sed difficultas eſt, An peccatoribus exiſtentibus in ſtatu peccati mortalis conueniat orare.

IN qua re certum eſt, peccatoribus non deeſſe facultatem orandi, nam ad orandum ex parte intellectus ſufficit fides, & ex parte voluntatis deſiderium bonum, quod ex auxilio Dei ſine gratia iuſtificante, haberi poteſt.

CAPVT LIX.

Sed quod in dubium vertitur eſt, An peccatoribus in peccato mortali perſiſtentibus, conueniat Deum orare.

ET quidem ſi loquamur de peccatoribus pœnitentibus, certum eſt etiam non ſolùm petere, verùm etiam orationem quæ eſt Religionis actus, emittere, eis conuenire. Et ratio eſt, quia iſti peccatores qui ſua peccata recognoſcentes, pœnitét, & humiliter ad Deum confugiunt, veniam poſtulantes, ſine dubio à Domino exaudiuntur, & in eius gratiam admittuntur, prout in ſua lege ſæpiſſime promiſit, exemplóque monſtrauit. Sic petiuit & impetrauit Publicanus Luc. 18. dicens, Deus

pro

propitius eſto mihi peccatori. Item Dauid, Zachæus, Latro, Magdalena, &c. Qui fruſtra oraſſent, ſi peccatores Deus non exaudit, vt rectè annotauit D. Pater Auguſtin. in tract. 44. Vbi idcirco affirmat illud dictum cæci apud Ioan. cap. 7. Scimus quòd peccatores Deus non exaudit, fuiſſe dictum cæci nondum pœnitus illuminati in fide.

QVÆSTIO LX.

Tota igitur quæſtio verſatur de peccatoribus obſtinatis.

MEDINA C. de Oratione quæſt. 5. tenet peccatoribus obſtinatis non competere orationem, citàtque D. Auguſt. in ſermone quodam dicentem: Qua fronte poſtulas, quod promiſit Deus, ſi non facis, quod iuſſit Deus? Priùs audi monitionem, & ſic exige promiſſionem. Et D. Chryſ. ſuper Mat. Qui orat, & peccat, non orat, ſed Deum deludit. Et D. Gregor. in paſtoral: Cùm is qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Item adducit illud Pſalm. 49. Quare tu enarras iuſtitias meas, &c. Et illud Eccleſiaſt. 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatorum. Et illud Prouerbior. 28. Qui declinat aures ſuas, ne audiat legem, ſ. vt eam impleat, oratio eius erit execrabilis. Ex quibus, & multis aliis concludit lethali peccato obſtrictos peccare, ſi in tali ſtatu precentur.

At verò conſtans, & firma, ac certa Theologorum ſententia eſt, eos non peccare. Et ratio eſt, quia obſtinati dum ſunt in via, poſſunt ad Deum mentem eleuare per piam cogitationem, & deſiderium, ergo etiam poſſunt petere à Deo complementum illius deſiderij nullam addendo circunſtantiam malam.

Tum quia iſti obſtinati poſſunt facere multa opera moraliter bona, quia non habent voluntatem obſtinatam in omni malo, neque ſunt ſemper in actuali obſtinatione, ſicut damnati, ergo eadem ratione poterunt aliquam orationem facere, quæ ſit moraliter bona. Vnde Chryſoſt. cap. Quid ergo. de pœnit. diſt.3. Non poteſt malus in omnibus eſſe malus, ſed habet aliqua bona. Et Hieronym. cap. Omnes. 24.q.1. ait, Virtutibus Romani meruerunt imperium. Et D.Thom.2.2.q.10. ar.4. communiter receptus concludit, non ſolùm infideles non non peccare in omnibus quæ faciunt, aut dicunt, ſed etiam nonnulla opera moraliter bona exercere, quantò magis fideles, licèt ſint obſtinati, poſſunt eadem, immò maiori ratione bene orare, quia non ſunt adeò mali, ac infideles.

Tum quia expedit, vt obſtinati aliquam orationem fundant, tum vt ſaltem, dum Deum orant, non peccent.

Tum etiam quia fortaſſe Deus ad miſericordiam prouocabitur, vt auferat cor lapideum, & det eis cor carneum, nunquam enim obſtinatio huius vitæ tanta eſt, quin mutari valeat per diuinam gratiam ſine miraculo.

Hinc, peccatores etiam obſtinati tenentur recitare, & orare Deum, eo prorſus modo quo tenebantur

turante peccatum. Quia non liberantur eo onere propter ſuum prauum ſtatum, aliàs commodum ex ſua prauitate reportarent, & eſſent melioris conditionis, quàm iuſti, maximè quia, vt dixi, in ea obſtinatione poſſunt implere obligationem ſuam ſine nouo peccato.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpódeo, ex illis ſacræ Scripturæ locis, & ſanctorum Patrum authoritatibus, non colligi peccatoribus orationem non conuenire, ſed illorum orationem in mortali factam, non eſſe Deo gratam, & meritoriam vitæ æternæ; vel ſolùm reprehendi orationem peccatoris formaliter, videlicet poſitiuè nolentis conuerti, aut orationem ad prauum finem dirigentis, & hanc orationem Deus non exaudit, niſi ad vindictam iuxta illud D. Auguſt. tract. 73. in Ioan. Multa Deus concedit iratus, quæ negat propitius. Sicut exaudiuit petitionem Iudæorum cùm petierunt carnes in deſerto. Et per Samuelem petierunt Regem 1. Reg. 8. Conſtat enim vtrumque ceſſiſſe in illorum perniciem: & tunc ipſa oratio eſt peccatum, & veluti quædam illuſio Dei.

QVÆSTIO LXI.

Vtrùm Deus ſit à nobis orandus.

CONSTANS eſt omnium Theologorum Catholicorum ſententia Deum eſſe à nobis orandum. Et ratio eſt, quia eſt de neceſſitate ſalutis ad Deum per orationem confugere, vt nobis ſuum

diuinum

diuinum præſidium ad perpetuam fœlicitatem conſequendam largiatur, quoniam ipſe dixit, Sine me nihil poteſtis facere.

QVÆSTIO LXII.

An ſolus Deus ſit à nobis orandus.

Respondeo affirmatiuè. Et ratio eſt, quia vt diximus & probat D.Tho.2.2.q.83.ar.3. Oratio eſt actus latriæ, ſed cultus latriæ ſoli Deo debetur iuxta illud Pauli, Soli Deo honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Et illud Matth. 4. à Domino noſtro citatum, Dominum Deum tuum adorabis; ergo ſolus Deus eſt orandus.

Tum quia ſolus Deus eſt alpha, & omega, ideſt principium, & finis omnium bonorum, ergo ſoli Deo eſt porrigenda oratio, quaſi per ipſum implenda, quamuis etiam Angelis, & ſanctis hominibus cœli ciuibus porrigi poſſit, tanquam his, per quos oratio ſit impetranda. Hoc diſcrimen inuocationis Dei, & ſanctorum inſinuaſſe videtur Dauid Pſalm. 120. Vbi poſtquam dixerat: Leuaui oculos meos ad montes, ideſt ſanctos, vnde veniet auxilium mihi. Vt intelligeremus à ſanctis peti auxilium, non vt ab authoribus, ſed vt ab interceſſoribus, ſtatim ſubiunxit: Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram. Vbi D. Pater Auguſtinus, Noli, inquit, putare, quia montes tibi dabunt auxilium, accipiunt enim quod dent, non de ſuo dant. Quod clarè patet ex modo quo Eccleſia vtitur in orando, quæ quidem à Deo petit,

vt

vt noſtri miſereatur. & ab aliis ſanctis vt orent pro nobis. Et ideo dicitur Apoc. 8. Aſcendit fumus incenſorum de orationibus ſanctorum de manu Angeli coram Deo.

Hinc, malè orat beatam Virginem, qui eam tanquam principalem auctorem vitæ, & ſalutis inuocat: eſt enim mediatrix, & aduocata inter Angelos, & ſanctos præcipua, & quamuis ab Eccleſia, vita, dulcedo, & ſpes noſtra, & ſalus appelletur, non hoc fit, eò quòd ipſa ſit ſalus, &c. Sed quia ex ipſa natus eſt Chriſtus, ſalus, vita, & reſurrectio noſtra.

Hinc errat qui à ſancto Antonio ſuis orationibus petit ab igne liberari, putans ex ſe ipſo tanquam principalem cauſam id efficere poſſe.

Hinc etiam errat, qui tanquam mediatores ſanctos orat, ſed cum vanis cæremoniis, & certis quibuſdam ſuperſtitionibus, vt ſ. faciendo orationem tali die, aut tali loco, aut tali modo, fortunatus erit in contrahendo matrimonium, aut proſperum habebit ſucceſſum in ſuſcepto negotio, aut non morietur ſubitò, aut eiuſmodi aliud quod optat, neceſſariò obtinebit.

Hinc, qui orat, & offert ſanctis *Pater noſter*, & *Aue Maria*, non errat, quia non offert verba ſanctis, ſed *Pater noſter* Deo, & *Aue Maria* Beatæ Virgini ad honorem ſanctorum, quorum patrocinium poſtulat, & quamuis perſonæ idiotæ actualiter non referant hæc verba, vt diximus, virtualiter tamen offerunt, quia intendunt ſe conformare vſui ſanctæ Matris Eccleſiæ.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXIII.

An vna Perſona diuina ſine alia orari poſſit.

Videtvr quòd non, quia ratio ex parte Dei, ob quam ad illum ſingulariter orationem dirigimus, eſt eius omnipotentia, & bonitas, quæ vna eſt communis omnibus perſonis, ergo & oratio neceſſariò eſſe debet omnibus communis.

Pro huius tamen quæſtionis reſolutione dico primò, quòd nunquam eſt ita orandum ad vnam perſonam, vt excludantur reliquæ. Et ratio eſt, quia nihil poteſt dare vna perſona ſine aliis, nam opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa.

Secundò dico, quòd licitum eſt loqui ſpecialiter in oratione cùm vna perſona, non dirigendo colloquium ad alias ex propria, & formali intentione orantis. Et ratio eſt, quia hoc probat vſus Eccleſiæ Romanæ, quæ in Litaniis ſingulas perſonas ſeparatim orat, dicens: Pater de cælis Deus miſerere nobis. Fili Redemptor mundi Deus miſerere nobis. Spiritus ſancte Deus miſerere nobis. Sunt enim æquales, & ita omnibus, & ſingulis oratio fieri poteſt.

Tum quia illæ perſonæ verè ſunt diſtinctæ, ergo poſſumus cogitare de vna, non cogitando actu dé aliis.

Tum quia vnaquaque per ſe ſpectata eſt verus Deus, ergo poſſumus ab vnaquaque ſigillatim petere tanquam à vero Deo, & hoc facit Eccleſia in

Litaniis

Litaniis ad profitendum hanc fidem de diſtinctione perſonarum, & quòd ſingulæ ſint verus Deus: Vt autem profiteatur omnes eſſe eundem Deum, ſubiungit. Sancta Trinitas vnus Deus miſerere nobis.

Tertiò dico, quòd poſſumus nos orare ad totam Trinitatem vt ſic,quod eſt frequens in hymnis Eccleſiæ,& apud ſanctos Patres. Immò nulla eſt collecta, in qua non fiat trium perſonarum mentio, nam ſi ad Patrem dirigitur, in fine. *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, &c. *Et in vnitate Spiritus ſancti* collocatur. Si autem Filio in fine. *Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti Deus*,&c. ponitur.

Dices, hoc eſt contra formam orandi nobis à Chriſto datam Matth. 6. & Ioan. 16. *Pater noſter*, &c. Si quid petieritis à Patre in nomine meo, dabit vobis.

Reſpondeo, in his locis nomen Patris ſumi eſſentialiter,ac proinde dirigi ad totam Trinitatem, quæ nos creauit, & per gratiam in filios adoptauit. Eſt tamen probabile nomen Patris ibi accipi perſonaliter,& ſic dirigi ad ſolam perſonam Patris, per hoc tamen non excluduntur aliæ perſonæ diuinæ vt diximus.

QVÆSTIO LXIV.

An Deitas in abſtracto poſſit orari.

RESPONDEO poſſe, vt conſtat ex vſu Eccleſiæ, nam in hymnis dicit. *Te ſumma Deitas, vna-*

que poſcimus. Et rurſus. *Præſtet hoc nobis Deitas beata.*

QVÆSTIO LXV.

An diuina eſſentia poſſit orare.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia cùm Deus optimus maximus ſit orandus, & Deus ſit ipſamet eſſentia diuina, poterit quoque diuina eſſentia orari.

QVÆSTIO LXVI.

Cur in collectis, in fine dicitur: Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, *& non* per Dominum Patrem, *vel* Dominum Spiritum Sanctum.

RESPONDEO quia per Chriſtum omnia quæ poſcimus, à Deo obtinemus.

Tum quia Chriſtus eſt mediator Dei, & hominum, & per merita ipſius preces noſtræ exaudiuntur, quæ ratio, nec Patri, nec Spiritui ſancto competit.

QVÆSTIO

QVÆSTIO LXVII.

Cur multò plures ſunt collectæ, quæ ad Patrem quàm quæ ad Filium diriguntur.

RESPONDEO rectiſſimè hoc Eccleſia facit, quia Chriſtus Dominus hanc formam orandi ei tradidit, quando dixit: Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, & ideo Eccleſia Patrem deprecatur, & in fine orationis, Chriſti nomen inuocat dicens, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, &c.

Tum quia Eccleſia non ſolet dirigere orationes ſuas ad Spiritum, non quia putat Spiritum ſanctum orandum non eſſe, ſicut aliæ perſonæ, ſed proprietatem Spiritus ſancti attendens, congruentiam quandam in orando obſeruat. Proprium enim eſt Spiritui ſancto eſſe donum Patris, & Filij, & congruit magis donum à largitore doni petere, quàm ab ipſomet dono. Ideo congruentiam hanc ſeruans à Patre, & Filio donum ſibi elargiri petit, & ipſum donum quod Spiritus ſanctus eſt, promereri curat.

Tum quia Eccleſiæ orationes regulariter diriguntur ad primam perſonam tanquam ad primum principium, & fontem diuinitatis. Quia ſicut omnipotentia ob hanc cauſam appropriatur Patri, ita ob eam eandem rationem ad illam dirigit Eccleſia orationes ſuas.

Tum quia ſolus Pater propriè dicitur miſiſſe Filium, licèt tam Filius, quàm Spiritus incarnationem

etiam operati fuerint. Vnde quia Eccleſia conuenit petere per Chriſtum, ideo ad Patrem, qui illum miſit, orationes dirigit. Dum autem Patrem orat, non excludit alias perſonas, ſed potiùs virtute includit, & ad hoc ſignificandum addere ſolet in fine orationum verba illa. *Qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus*, &c.

Verùm nonnullæ orationes Eccleſiæ diriguntur ſpecialiter ad perſonam Filij, quales ſunt orationes de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, in vigilia ſancti Ioannis Baptiſtæ, &c. Sed quia non ſolus Pater, & Filius dant Spiritum ſanctum nobis, ſed ipſemet Spiritus ſanctus dat ſeipſum nobis, cùm ſit hoc opus ad extra, quod omnibus tribus commune eſt, ideo veritatem ſequendo dimiſſa præfata congruentia, dicimus Spiritum ſanctum cum Patre, & Filio adorandum, & cum Patre, & Filio orandum.

QVÆSTIO LXVIII.

Vtrùm Angeli, & beati hominum Spiritus in cælo regnantes ſint à nobis orandi.

Respondeo eſſe à nobis orandos, tanquam mediatores, & interceſſores, vt ſuis precibus, quæ petimus, aſſequamur. Et ratio huius eſt, quia ex multis ſacræ Scripturæ teſtimoniis conſtat Angelos, & beatos hominum Spiritus pro nobis orare: ergo rectè eos inuocamus, vt id crebrò, & efficaciter præſtent. De Angelis habetur Tob. 12. vbi Angelus

gelus dicit ſe obtuliſſe Deo orationes Tobiæ, quæ oblatio non fiebat nuda tantùm exhibitione coram Deo, cùm ipſi omnia ſint nuda, & aperta, ſed cum deprecatione, vt Deus illas exaudiret. Item Iob 5. Voca, ſi quis eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem ſanctorum conuertere. Vbi nomine ſanctorum, intelligit Angelos, vt D. Auguſt. exponit in annotat. ad Iob. qui etiam illud cap. 19. Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei, ad Angelos dici exiſtimat. Et Zach. 1. Angelus orat Deum pro populo Iudaico, dicens: Domine exercituum vſquequò tu non miſereberis Ieruſalem, & vrbium Iudæ quibus iratus es?

De beatis hominum Spiritibus patet 2. Machab. vltimo, vbi Iudas per viſionem vidit Oniam Pontificem, & Ieremiam, qui iam obierant, pro populo Iudæorum orantes. Et Ierem. 15. Dixit Dominus ad me, Si ſteterint Moyſes, & Samuel corã me, non eſt anima mea ad populum iſtum: ergo Moyſes, & Samuel iam mortui poterant, & ſolebant orare pro populo Iudæorum, & tamen nondum erant beati, quantò magis nunc cum Chriſto regnantes orabunt, vbi charitas illorum longè eſt feruentior?

Hoc ipſum comprobatur ex generali totius Eccleſiæ conſuetudine, quæ in orationibus, quæ leguntur in Miſſis, vel in Officio, nihil aliud petit, quàm vt ſanctorum precibus à Deo nobis beneficia concedantur, & in Litaniis ita ait: Sancta Maria ora pro nobis. Omnes ſancti beatorum Spirituum ordines orate pro nobis; & tandem, Omnes ſancti, & ſanctæ Dei intercedite pro nobis. Atqui de eo quod tota per orbem frequentat Eccleſia diſputare, an ita faciendum ſit, inſolentiſſima inſania eſt; vt ait D.

Auguſtinus, epiſt. 148. ad Ianuarium. Vnde Hieronymus in lib. contra Vigilantium cap. 3. Si Apoſtoli, & martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris, quando pro ſe adhuc debent eſſe ſoliciti: quantò magis poſt coronas, victorias, & triũphos. Idem in epitaphio Paulæ: Vale (inquit) ô Paula, & cultoris tui ſenectutē orationibus adiuua. Et Theodoretus q. 67. in Exod. 32. ſuper illa verba, Recordare Domine Abraham, Iſaac, & Iſraël ſeruorum tuorum: ſic ait: Sanctum Moyſem cùm ſe non exiſtimaret ſufficientem ad placandum Deum, adhibuiſſe etiam patrocinium Patriarcharum. Et Sanctus Athanaſius in ſerm. de Virg. Mariæ, Inclina (inquit) aurem tuam, Maria, in preces noſtras, & ne obliuiſcaris populi tui. Et infrà. Intercede Hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis. Et D. Bernardus ſerm. 2. ſuper Euang. Miſſus eſt. In periculis, (inquit) in anguſtiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, & vt impetres eius orationis ſuffragium, non deſeras conuerſationis exemplum.

Tandem eſt concluſio, definita in ſacro Conc. Trid. ſeſſ. 25. in principio, vbi dicitur. Eos qui negant ſanctos, æterna fœlicitate in cælo fruentes, inuocandos eſſe, aut qui aſſerunt, vel illos pro hominibus non orare, impiè agere.

Dices, vnus eſt mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Ieſus, per quem habemus acceſſum ad Patrem, ergo non eſt recurrendum ad Sanctos, alioqui plures eſſent noſtri mediatores apud Deum, quod eſt contra Paulum 1. ad Timoth. 2. Immò id videtur Chriſto iniurium, tanquam ipſius reconciliatio ſit inſufficiens, aut egeat auxilio ſanctorum.

Reſpon

Reſpondeo, Chriſtum eſſe vnicum mediatorem, quia eſt præcipuus, & hoc ob quatuor cauſas.

Primò, quia non tantùm officio, ſed etiam natura eſt mediator, ſeu medius inter Deum, & hominem, cùm ipſe & Deus, & homo ſit, atque vtriuſque naturæ particeps.

Secundò, quia nos reconciliauit Deo Patri non deprecando, ſed condignum pretium exhibendo & ſatisfaciendo.

Tertiò, ſua virtute, ſuiſque meritis; habebat enim vim illam ex intrinſeco, ideſt ex dignitate ſui ſuppoſiti.

Quartò, quia eſt mediator omnium, quia pro omnibus omnino hominibus præteritis, præſentibus, & futuris ſatisfecit. His itaque quatuor modis nullus præter Chriſtum eſt mediator. Sancti verò ſunt tantùm mediatores ſecundarij, quia nec ex propriis meritis reconciliant nos Deo, neque omnes reconciliant, neque per modum ſolutionis, ſed deprecationis, vt fructus meritorum Chriſti nobis applicentur.

Neque hæc interceſſio vllo modo cedit in iniuriam mediatoris Chriſti.

Primò, quia Angeli intercedunt pro nobis orando vt conſtat ex Scriptura, & tamen hæc interceſſio non obſcurat officium mediatoris Chriſti.

Secũdò, quia ſancti adhibẽtur, non vt vice Chriſti fungantur, vel Chriſtũ adiuuẽt, ſed vt adiuuent nos, quò faciliùs à Deo per Chriſtum impetremus quæ petimus, quod non poteſt in iniuriã Chriſti cedere.

Tertiò, quia omnẽ vim intercedẽdi, & impetrãdi quã habẽt Sãcti, acceperũt ex meritis Chriſti, eiúſq; oratione. Vnde potiùs ad honorem eius cedit, quòd

poſſint eſſe ſecundarij mediatores, ſicut ad gloriam primæ cauſæ cedit, quòd creaturæ ſint cauſæ ſecundæ. Vnde omnes orationes quæ in Miſſis, & Officiis dicuntur, illam formam habent: *Concede nobis Deus interceſſione huius ſancti tale beneficium, per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Hinc, non licet à ſanctis petere, vt nobis tanquam auctores primarij diuinorum beneficiorum, gratiam, & gloriam, aliáque ad beatitudinē media concedant, quia hæc omnia ſuperant vires totius naturæ creatæ, ergo nihil debemus à Sanctis petere, niſi vt intercedant apud Deum, quò nobis Chriſti merita applicentur, & per Chriſtum gratiā, & gloriam conſequamur. Vnde Aug. lib. 8. De Ciuit. Dei cap. vlt. clarè docet, Sanctos nō eſſe inuocādos vt Deū, ſed vt qui à Deo impetrare poſſunt, quod volunt. Vnde quando dicimus, Sancte Petre miſerere mei, ſalua me, da mihi ſanitatem, &c. intelliguntur hæc verba hoc modo: Salua me, & miſerere mei, intercedendo pro me, da mihi hoc vel illud tuis precibus, & meritis. Sicut Apoſt. de ſe dicit 1. Cor. 9. Vt omnes facerem ſaluos, non vt Deus, ſed iuuando concionibus, precibus &c. Vnde ad hanc differentiam orationum accommodari ſolent verba illa Pſ. 120. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi, auxilium meum à Domino qui fecit cælum & terram. Montes ſunt homines ſancti, vt exponit D. Aug. tract. 1. in Io. Iubemur ergo leuare oculos ad montes, id eſt ad ſanctos, & ab eis auxiliū expectare: ſed vt intelligamus ab eis auxilium expectandum eſſe, non vt ab auctoribus, ſed vt ab impetratoribus, ideo ſtatim ſubiungitur, auxilium meum à Domino, qui fecit cælum, & terram.

Dices,

Dices, qui ad ſanctos confugit, videtur diffidere de Dei dilectione, & Chriſti meritis, ergo.

Reſpondeo, minimè diffidere, ſicut nec diffidit Eccleſia quando pro nobis, & pro defunctis orat. Etſi enim ſciamus Deum eſſe paratiſſimum ad dandum, & Chriſti merita ſufficientiſſima, tamen iudicamus nos indignos, qui ſoli coram tanta Maieſtate compareamus. Vnde confugimus ad ſanctos, vt nos veluti comitentur, noſtriſque precibus ſuas iungant, qua in re primò reueremur Dei Maieſtatem. Secundò honoramus ſanctos. Tertiò illa ſubmiſſione nos diſponimur ad faciliùs impetrandum.

Tum quia, licèt Deus ſit paratus audire nos, & magis nos diligat, quàm vllus Sanctorum, tamen magis paratus eſt audire Sanctos, quàm nos, & magis diligit Sanctos, quàm nos, quia oratio vt ſit impetratoria, requirit diſpoſitionem in orante, quamnon habemus ſemper, ideo melius eſt, vt ad Deum cum Sanctis eamus, quàm ſoli. Vnde Iob vltimo, dixit Deus. Ite ad ſeruum meum Iob, vt oret pro vobis: nec enim cùm oramus Sanctos, nihil à Deo petimus, vel non petimus cum fiducia, immo ideo Sanctorum preces imploramus, vt cum maiori fiducia ad Deum accedere poſſimus, & faciliùs impetremus quod cupimus.

Et confirmatur, nam ſi hæc ratio valeret, probaret non debere nos à viuentibus petere, vt pro nobis intercedant, quia ſufficit interpellatio Chriſti in cælo, quod eſt contra expreſſa teſtimonia Scripturarum, in quibus exhortantur fideles, vt alij pro alijs orent. 1. ad Timoth. 2. Obſecro vos fieri orationes, poſtulationes, &c. pro omnibus, &c.

Iacobi 5. Orate pro inuicem, vt ſaluemini. Et Apoſtolus à fidelibus petit, vt pro ipſo orent, ad Coloſ. 4. 2. ad Theſſal. 3. & ad Hebr. 3. Immo probaretur illo modo orationes noſtras pro nobis ipſis ſuperfluas, quia Deus promptior eſt ad dandum, quàm nos petere poſſumus.

QVÆSTIO LXIX.

Quæres, per quæ merita Sancti cæleſtis patriæ ciues, orent pro nobis.

RESPONDEO per merita Chriſti. Et ratio eſt, quia quidquid nobis datur, principaliter datur propter merita Chriſti, vt colligitur ex cap. 1. ad Epheſ. Qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus in Chriſto. Secundariò etiam per merita ſua, quæ etſi ex condigno compenſata ſint, tamen ex amicitia, multa eis debentur. Vnde Deus applicat ſe ad benefaciendum nobis propter merita Chriſti orationibus Sanctorum inductus.

Dices, oratio pertinet ad cultum latriæ, ſed cultus latriæ ſoli Deo debetur, ergo oratio ſoli Deo fieri debet, non autem Sanctis.

Reſpondeo, oratio quatenus dirigitur ad Deum mediatè, vel immediatè in recognitionem ſupremi dominij, pertinet ad cultum latriæ, qui ſoli Deo debetur: & qui hoc modo aliquem Sanctum oraret, nimirum vt ſupremum omnium bonorum authorem, idololatraret. At nos Sanctos inuocamus, non tanquam diuinorum beneficiorum authores,

ſed tanquam interceſſores, & aduocatos.

Secundò reſpondeo, quòd oratio non dirigitur ad Sanctos tanquam ad eos, quorum ſit omni ex parte præſtare id omne, quod rogamus: ſed tanquam ad patronos, & aduocatos, qui à Deo impetrent gratiam, & gloriam: oratio igitur propriè dirigitur ad Deũ, per ipſum, hoc eſt, tanquam ad eum, cuius eſt petita plenè & cumulatè concedere: ad Sanctos verò non propter ipſos, ſed propter Deũ, apud quem pro nobis precentur, & à quo impetrẽt, quæ poſtulamus. Deum igitur oramus, vt noſtri miſereatur, gratiam, & gloriam largiatur: Sanctos verò vt apud ipſum pro nobis intercedant.

Hinc fas eſt dicere, Sancte Bernarde miſerere mei, ſalua me, aperi mihi aditum cæli, da mihi ſanitatem corporis, da patientiam, da mihi fortitudinem, &c. dummodo intelligamus, ſalua me, & miſerere mei, orando pro me, da mihi hoc, & illud tuis precibus & meritis.

Obiicies, 1. Ioan. 2. dicitur. Aduocatum habemus apud Patrem Chriſtum Ieſum, qui propitiatur pro nobis. Si igitur Chriſtus pro nobis propitiatur, ſuperfluæ ſunt aliorum Sanctorum preces.

Reſpondeo, etſi Chriſtus pro nobis intercedat, ob id non excluduntur alij interceſſores, immo potiùs ſequitur, debere Sanctos ad imitationem ſui capitis, ſimiliter pro nobis intercedere.

Deinde in dicta Canonica, vbi Chriſtus dicitur Aduocatus noſter, non additur particula excluſiua, ſ. quòd ſolus ipſe ſit aduocatus: & ad Rom. 8. cùm dicitur Chriſtus interpellare pro nobis, non additur, ſolum ipſum interpellare, & ita ſine iniuria Chriſti,

Chriſti, poſſunt ſancti pro nobis interpellare, & vt tales poſſunt à nobis inuocari.

Ex quo fit orationes Sanctorum, quas pro nobis faciunt, non eſſe ſuperfluas, ſicut non ſunt ſuperfluæ orationes Eccleſię, quas pro nobis, vel pro defunctis ad Deum fundit.

Dices, Sancti nequeunt poſtulata concedere, ergo non ſunt à nobis orandi.

Reſpondeo, ſanctos inuocamus tanquam eos, quorum precibus, & meritis impetramus à Deo, quæ poſtulamus: Deum verò oramus, vt præcipuum authorem eorum bonorum, quæ petimus.

Deinde poſſunt Sancti in cælis regnantes cooperari Deo ad aliquod donum nobis præſtandum, non ſolùm orando, ſed etiam miniſterium aliquod ſibi à Deo collatum exhibendo: & tunc licet etiam petere à Sanctis, vt ipſi nobis illud beneficium largiantur, non ſolùm intercedendo, ſed etiam miniſterium aliquod ſibi à Deo collatum exhibendo. Sic poteſt vnuſquiſque orare Angelum ſuum cuſtodem, vt eum illuminet, cuſtodiat, & gubernet, quia hoc munus commiſſum eſt Angelis à Deo, iuxta illud Pſal. 90. Quoniam Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Vnde D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. Dei, loquens de miraculis, quæ ad memoriam Sanctorum fiunt, ait; Faciunt autem iſta martyres, vel potiùs Deus, vel orantibus, aut cooperantibus eis.

Iterum obiicies, Sancti in cœlo cum Chriſto regnantes ſunt extra ſtatum merendi, & demerendi, ergo nihil impetrare poſſunt, atque ex conſequenti non eſt, cur ipſos oremus.

Reſpondeo, quòd licèt Sancti non poſſint mereri,

geri, nec ſibi, nec aliis, poſſunt tamen ex vi præcedentium meritorum impetrare & ſibi, & alijs id quod orando petunt: petunt enim ſibi gloriam corporis, nobis autem omnia quibus indigemus.

Dices, Sancti in cælo præmium acceperunt meritorum ſuorum, ergo nihil amplius eis debetur.

Reſpondeo, eos quidem accepiſſe præmium, ſed ad præmium eorum hoc etiam pertinere, vt ſemper ſint amici Dei, & vt amici impetrent à Deo quidquid ab illo petunt.

Sed rurſus dices, Sancti ignorant precationes noſtras, fruſtra igitur inuocantur.

Reſpondeo, negando Sanctos ignorare orationes noſtras, quoniã ſi Angeli eas vident, vt qui eas Deo offerunt, vt conſtat ex Tob. 12. & Apocalyp. 8. cur non etiam Sancti? Item ſi Angeli qui in cælo ſunt, ſciunt omnes peccatorum conuerſiones, déque illis gaudent, Luc. 15. cur non etiam Sancti, qui in ſtatu beatifico ſunt Angelis æquales? vt colligitur ex Luc. 20. & Apoc. 21. Et in hoc omnes auctores conueniunt.

QVÆSTIO LXX.

Sed tota concertatio conſiſtit de modo quo Sancti cognoſcunt orationes noſtras.

DIvvs Auguſt. in libro de cura pro mortuis agenda, videtur tenere, eos cognoſcere ex reuelatione Angelorum, qui nunc ad cælos aſcendunt, nunc inde ad nos deſcendunt.

Hæc

Hæc tamen ſententia, pace tanti viri ſit dictum, non placet, quia neque Angeli, neque beatorum hominum Spiritus, etiam ſi præſentes ſint, poſſunt cognoſcere naturaliter preces noſtras, quando ſola mente oramus.

Diuus Hieronymus in lib. contra Vigilantium tenet, tam Angelos, quàm Sanctorum hominum Spiritus mira quadam celeritate naturæ, quodammodo eſſe vbique, & per ſe audire preces viuentium.

Sed nec iſta ſententia ſatisfacit, quia ad cognoſcendas orationes, quæ eodem inſtanti fiunt in remotiſſimis locis, non ſufficit celeritas, ſed requiritur vera vbiquitas, quæ ſoli Deo competit.

Diuus Gregor. lib. 12. moral. cap. 13. D. Thomas 3. p. q. 10. ar. 2. & 2.2. q. 83. ar. 4. & Caiet. ibidem, quamuis poſtea 3. p. q. 10. ar. 2. id neget, docent Sanctos videre formaliter in Deo omnia à principio ſuæ beatitudinis, quæ ad ipſos aliquo modo pertinent, & proinde etiam orationes noſtras ad ſe directas.

Diuus Auguſt. in lib. de cura pro mortuis cap. 15. dicit Sanctos non videre formaliter in Verbo orationes noſtras à principio ſuæ beatitudinis, ſed cauſaliter per nouas, & quotidianas reuelationes. Sic enim multi Sancti etiam in hac vita occultiſſima cognouerunt, vt colligitur 1. Reg. 9. & 4. Reg. 5. & Act. 5. quantò magis credendum eſt, Sanctos in cælo hoc dono pollere.

Alij verò, vt Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 37. dub. 6. nu. 33. putat Sanctos cognoſcere preces noſtras, dum ad ipſos diriguntur, inſtar loquutionis Angelorum,

lorum, qui ſeipſos intelligunt, dum vnus mentis ſuæ cogitatus ad alterum dirigit.

Obiicies. Scriptura ſoli Deo tribuit ſcrutari renes, & corda, & ſcire cogitationes hominum, 3. Reg. 8. Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.

Reſpondeo, ſolum Deum cognoſcere cogitationes omnium cordium, ídque naturaliter, & propria virtute: Sanctos autem, aut ſolùm cognoſcere eas, vel in Verbo, vel per nouas, & quotidianas reuelationes.

Dices, Eccleſ. 9. habetur: Viuentes ſciunt ſe morituros, mortui verò nihil nouerunt ampliùs.

Reſpondeo, Iob voluiſſe dicere, naturaliter non cognoſcere defunctos, quid agant viui, ſicut nec viui cognoſcunt, quid agant mortui: tamen Sanctos qui Dei claritate fruuntur, omnia in Deo videre, quæ nimirum ad eos pertinent. Ita D. Greg. lib. 12. mor. c. 13.

Rurſus obiicies illud Iſai. 63. Tu es enim Pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos.

Reſpondeo, Hieronymus in eum locum exponit de cognitione approbationis, vt ſit ſenſus. Abraham neſciuit nos, ideſt, non habet nos pro filiis, non diligit nos, contemnit nos, quia intelligit nos à te receſſiſſe. Vel intelligitur de cognitione, quam habebant toto tempore veteris Teſtamenti, tunc enim erant in limbo, nec fruebantur conſpectu Dei, nec habebant illud admirabile lumen, quo modò fruuntur in cælo.

QVÆ.

QVÆSTIO LXXI.

An liceat colere, & inuocare eum, quem credimus ſaluatum, licèt non ſit in numero Sanctorum relatus.

RESPONDEO licere priuato cultu, non publico, vt habetur ex cap. 1. & 2. de reliquiis, & veneratione Sanctorum. Vbi ſummus Pontifex prohibet publicum cultum, ergo tacitè priuatum cultum indulget. Sic Nau. de orat. cap. 19. nu. 69.

QVÆSTIO LXXII.

Sed quæres, quid nomine publici cultus intelligatur.

QVIDAM intelligunt eum, qui coram aliis exhibetur.

Sed verius eſt, intelligi eum, qui nomine totius Eccleſię, & tanquam ab Eccleſia inſtitutus exhibetur.

Ex quo ſequitur primò, licere non canonizatum, credere, & vocare Sanctum, non tamen prædicare eum tanquam ab Eccleſia inſcriptum Sanctorum catalogo.

Secundò ſequitur, licere inuocare non canonizatum etiam aliis audientibus, vt patet ex Diuo Hieronymo in vita Paulæ.

Tertiò

Tertiò ſequitur, non licere publicum feſtum celebrare: liceret tamen in die natalis ſancti non canonizati peculiariter lætari, & Deo vacare in memoriam eius.

Quartò ſequitur, licere imaginem habere, & venerari, non tamen in templo collocare, eo modo quo aliorum Sanctorum.

Quintò, & vltimò ſequitur, non licere reliquias non canonizati hominis in templo collocare publicè honorandas: liceret tamen eas habere, & venerari etiam aliis videntibus, id enim habet vſus totius Eccleſiæ, mox enim ac Martyres defuncti erant, currebant fideles ad reliquias recipiendas, & ſimiliter quando moriuntur homines clari ſanctitate, multi deuotè oſculantur manus, & pedes, & de veſtibus eorum pro reliquiis ſeruant; ſi enim licet honorare, & inuocare viuentes, quos credimus Sanctos, cur non mortuos.

QVÆSTIO LXXIII.

Ad ſingulos eorum qui in cælis cum Chriſto regnant, iure poſſimus orare, etiam paruulos, qui Baptiſmate abluti ſtatim ad cælum euolarunt.

RESPONDEO, Eccleſiam ſolere ad ſingulos Angelos beatos orationes dirigere, at non ſingulos beatorum hominum Spiritus, qui ſunt in cælum recepti, orare conſueuit, ſed eos tantùm, qui ſunt in Sanctorum numero conſcripti. Priua-

tim tamen, cuique fas eſt, ad eos preces dirigere, quos piè credere poteſt, in beatorum ſupernæ patriæ ciuium numero eſſe conſcriptos. Azor 1. p. inſtit.mor.libro 9. cap. 10. & Naldus verbo oratio num.6.

QVÆSTIO LXXIII.

An qui ſunt in Purgatorio, ſint à nobis orandi.

DIuus Thomas 2. 2.q.83.art.4. ad 3.& art. 11. ad 3. Abulenſis tom.3.ſuper Matt. q. 93.Sylueſt.verbo oratio §.3.Nauar.de oratione cap.1.nu. 11.& plerique alij negant, quia non ſunt adhuc in ſtatu, vt poſſint cognoſcere petitiones noſtras, quia nec in proprio genere, vt ſuppono ob diſtantiam, nec in Verbo, quandoquidem non ſunt cæleſtem patriam conſequuti, & ideo non ſunt à nobis orandi.

Cæterum, quamuis hoc ſatis probabile ſit, at probabilius exiſtimo contrarium; Ducor, quia Sancti in ſæculo viuentes poſſunt à nobis conuenienter orari, vt ex infrà dicendis conſtabit, ergo & qui ſunt in Purgatorio, qui non ſunt minùs Deo grati, quàm qui in hoc ſæculo viuunt.

Tum quia illi qui ſunt in purgatorio, poſſunt ſuis precibus nobis prodeſſe, nam ſi aliquid obſtaret, quominus poſsent, id eſset, quia ſunt in pœnis, ſed hoc non obſtat, quoniam Sancti Martyres dum ſæuiſſimè torquebantur, pro ſuis perſequutoribus orabant.

Tum

Tum quia licèt iſti ſint in pœnis, ſufficit quòd ſint in gratia Dei.

Nec obſtat quòd non ſint in ſtatu merendi; nam ſancti in cælo regnantes, non ſunt in ſtatu merendi, tamen eos vtiliter oramus, & ipſi nobis ſæpe ſuccurrunt.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpondeo, quòd licèt illi qui ſunt in Purgatorio, in particulari neſciant, quis & quomodo eos oret, poſſunt tamen intelligere, aut veriſimiliter ſaltem in genere coniectari, quòd miſeri viuentes Sanctorum precibus cupiunt in ſuis neceſſitatibus adiuuari, ſicut econtra ipſi ſimiliter per viuentes adiuuari deſiderant. Et hæc generalis cognitio ſufficit mouere eos, vt orent pro his, qui ſe illis commendant.

Tum quia poſſibile eſt, vt in particulari ſciant, quis ſe illis commendet, licèt non in proprio genere, nec in Verbo, ſed per reuelationem Angelorum id ſcire poſſint.

QVÆSTIO LXXIV.

An poſſint iuſti adhuc viuentes à nobis orari, vt pro nobis viatoribus intercedant.

Diuus Thomas 2. 2. quæſtione 83. artic. 4. ad vltimum negat, quia per orationem principaliter petitur beatitudo, quam illi nondum habent, & non debet peti ab aliquo id quo ipſe caret.

Sed hæc ratio, (pace tanti viri ſit dictum) non mihi placet, quia nulla petimus à multis, quæ ipſi non habent, non quidem vt ea ipſi præſtent, ſed vt ab aliis impetrent.

Tum quia qua ratione oratio facta Sancto, vt oret Deum pro nobis, cenſetur etiam facta Deo ſaltem tacitè; eadem ratione oratio facta viuo iuſto, cenſetur tacitè facta Deo.

Tum demum, quia ante Chriſtum paſſum poterant orari exiſtentes in limbo patrum, qui tamen nondum erant beati vt conſtat. Quare dicendum eſt, iuſtos adhuc viuentes à nobis orari poſſe, vt pro nobis, aut aliis apud Deum intercedant. Ratio huius eſt, quia iuſti viuentes poſſunt pro nobis ſuis precibus multa impetrare, ergo conuenienter poterunt, vt impetrent, orari. Conſequentia eſt per ſe nota. Antecedens verò probatur ex multis ſacræ Scripturæ locis, Ioannis 12. ad preces Philippi, & Andreæ, Gentiles quidam cupientes videre Chriſtum, ad ipſum Chriſtum adducti ſunt. Et Ioannis 20. ad preces Virginis, Chriſtus aquam in vinum conuertit, & ad preces Apoſtolorum Chananea vt à Chriſto audiretur, & veniam conſequeretur, rogauerunt enim Chriſtum dicentes, Dimitte illam, quia clamat poſt nos. Et Gen. 20. dixit Dominus ad Abimelech, qui vxorem Abrahæ acceperat. Nunc redde vxorem viro ſuo, & orabit pro te, & viues. Et libro 1. Reg. cap. 7. dicunt filij Iſraël ad Samuelem: Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum, vt ſaluet nos de manu Philiſtinorum. Item Iob. vltimo, dixit Dominus ad eos qui Iob increpauerant: Iratus eſt furor meus in vos, quoniam, &c. Et paulò inferiùs: Iob ſer-

uus

uus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia veſtra. Et ſubſequitur: Dominus autem conuerſus eſt ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis ſuis. Et Paulus ad Roman. 15. ait: Obſecro vos, fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum. Idem repetit Epheſ. 6. 1. Theſſ. 5. 2. Theſſ. 3. Coloſſ. 4. & Hebr. 13. ergo iuſti viuentes poſſunt nobis ſuis precibus prodeſſe, atque ex conſequenti conueniens, & vtile eſt, ipſos orare, vt pro nobis intercedant.

Dices, quomodo poſſumus nos, viuentes inuocare, cùm non ſimus certi de eorum ſanctitate.

Reſpondeo, in hoc caſu ſufficere probabilem fidem de alterius ſanctitate. Vnde etiam quoad homines defunctos, vt priuatim nos eorum orationibus commendemus, ſufficit humana fides de eorum ſancta vita, licèt quoad publicum cultum, & orationem, Eccleſiæ authoritas neceſſaria ſit. Immò inter viatores ſufficit generalis ratio præſumendi, vnumquemque bonum eſſe, quem non conſtat eſſe malum. Immò etiam ſi mihi conſtet aliquem eſſe in peccato mortali, dummodo ſit fidelis, poſſum ergo illius preces poſtulare, quia oratio etiam peccatoris poteſt eſſe impetratoria, vt diximus.

QVÆSTIO LXXV.

An poſſimus nos viatores orare pro beatis cæleſtis patriæ ciuibus, qui æterna fœlicitate potiuntur.

IN qua re certum eſt, nos non teneri pro Beatis orare. Et ratio eſt, quia ipſi ab omni prorſus miſeria tum culpæ, tum pœnæ ſunt liberi, nec noſtro adiutorio indigent.

QVÆSTIO LXXVI.

Sed quod in dubium vertitur eſt, An nos poſſimus honeſtè, & conuenienter pro Beatis orare.

NOnnvlli abſolutè negant, quia Beati vt ſic nulla re indigent, & ſi quæ opus habent, ipſi per ſe conuenientiùs illa ſuis precibus obtinere poſſunt, ergo ſuperflua, & præſumptuoſa erit talis oratio vergens in ipſorum iniuriam, iuxta illud vulgatum D. Auguſtini ſerm. 17. de verbis Apoſt. Iniuriam facit martyri, qui orat pro martyre.

Alij verò rectiùs affirmant. Pro quo dico primò, quòd poſſumus nos Deo gratias agere pro gloria eſſentiali Sanctorum, quam iam habent, vt patet primò ex vſu Eccleſiæ. Secundò, quia ille affectus & erga Deum, & erga Sanctos eſt per ſe bonus, ergo poſſumus illis deſiderare gloriam, quam non habent, ſed aliquando habituri ſunt, ergo poſſumus Deo hoc deſiderium pandere, & illius complementum poſtulare. Et in hoc ſenſu intelligenda venit illa collecta, qua qui celebrat, offert ſacrificium vt proſit Sanctis ad gloriam, ſicut prodeſt nobis ad medelam.

Secundò dico, quòd eodem modo poſſumus

nos

nos orare pro Deo ipſo, quatenus Deus eſt capax alicuius gloriæ extrinſecæ, vel honoris, quoniam ſi admittimus nos poſſe orare pro ſanctis, quia poſſumus aliquod augmentum accidentalis gloriæ illis poſtulare, etiam admitti debet, nos pro Deo orare, quando petimus ab ipſo, vt ſuam gloriam procuret, & augeat, & hoc eſt illud quod in primis in oratione Dominica petimus, quando dicimus, Sanctificetur nomen tuum. vt rectè D. Auguſt. exponit lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 10. & D. Bernard. ſerm. 6. quadrag.

Et confirmatur, nam Chriſtus Dominus verè pro ſe orauit, quando Ioan. 17. petiit claritatem ſui nominis, quæ tantùm erat quædam extrinſeca gloria per notitiam, & fidem aliorum. Immò multi Auctores dicunt, Chriſtum tunc non tantùm ſibi vt homini, ſed etiam vt Deo claritatem illam à Patre poſtulaſſe. Quod probabilitate non caret.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpondeo, talem orationem non fieri ex præſumptione plus valendi apud Deum, quàm valeant ipſi Beati, ſed ſolùm ex affectu charitatis, & quia ſcimus Deum gaudere multorum interceſſione. Nec etiam fit tali exiſtimatione, vt eorum gloria quaſi in dubium reuocetur; quo ſenſu intelligitur illud vulgatum D. Auguſtini, Iniuriam facit Martyri, qui orat pro eo.

Ex quo ſequitur, orationem noſtram non prodeſſe Beatis quoad meritum, neque quoad impetrationem, vel ſatisfactionem, ſed ſolùm quoad honorem, & cultum.

QVÆSTIO LXXVII.

An liceat orare Deum pro his, qui ad inferos detruſi, perpetua gehennæ ſupplicia patiuntur, vt reſtituantur ad vitam, & per viuam fidem, & veram cordis pœnitentiam ad cæleſtem gloriam perueniant.

ET videtur quòd ſic. Nam D. Damaſcenus in ſerm. de dormientibus ait, quòd Beatus Gregorius pro Traiani impij, & infidelis Principis anima orauit, & vocem ad ſe diuinitus delatam audiuit vocem tuam audiui, & Traiano veniam do. Cuius rei (ait Damaſcenus) teſtis eſt Oriens & Occidens. Sed conſtat Traianum in inferno fuiſſe damnatum, quia crudelem mortem multorum martyrum inſtituit, vt ibidem Damaſcenus dicit, ergò pro damnatis licitum eſt Deum orare, vt ſaluentur.

Deinde in vita Sanctæ Agnetis, deſcripta à B. Ambroſio habemus, ab ea filium Præfecti è morte excitatum, qui tamen ob ſcelus ſuum perierat.

Item ex Dialogis B. Gregorij refertur de quodam Monacho qui contra votum paupertatis furtum commiſerat, quo per B. Gregorium cognito, præcepit fratribus vt illum mortuum cum pecunia in ſterquilinio ſepelirent, clamantes omnes; Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Ex quo apparet Mona

Monachum illum æternis ſupplicijs addictum fuiſſe, & tamen poſtea per triginta ſacrificia, quæ pro illo fecerunt, fuit B.Gregorij,& aliorum precibus ſaluatus.

Ex hiſtoria Palladij item probatur Macharij Monachi precibus ad vitam reuocatum quemdam, qui fuerat ad ſupplicia æterna damnatus.

Item Iudas 2. Machab. 12. iuſſit decem millia drachmas argenti offerri pro his, qui in bello ceciderunt, & tamen ibidem conſtat eos ob lethale peccatum in conflictu victos obiiſſe.

Sulpitius quoque in vita Sancti Martini refert eius oratione mortuum catechumenum reuixiſſe, ac ſuſcepiſſe Baptiſmum.

Beatus etiam Apoſtolus Petrus fertur,ſuſcitaſſe affinem quendam Cæſaris ethnicum , & impium, quem poſtea creditur,cum fide viua, & vera cordis pœnitentia diſceſſiſſe , & vitam æternam fuiſſe adeptum.

Tandem Eccleſia generatim orat pro animabus omnium fidelium defunctorum: vt fidelium aliqui cum Epulone æterno igni damnantur. Petit item à Deo , vt liberet eas de profundo lacu , & à pœnis inferni , & eis det requiem , & gloriam æternam.

His tamen minimè ſuffragantibus veritas eſt indubitata , non licere orare Deum pro illis , quos certò nouimus æternis ignibus cruciari , vt reuocentur ad vitam , & pœnitentiam agentes , ſaluentur , niſi ex ſpeciali reuelatione , vel motione diuina id fiat. Ratio eſt , quia regulariter loquendo non licet petere à Deo , niſi quod non eſt contra legem poſitum , vel quod ſecundùm illam ab

ipſo poſſumus impetrare, vt ex communi omnium ſententia probat Sotus in 4.diſt.45. quæſt.2. artic. 2.Sed non eſt tale, quòd perpetuis ſuppliciis addicti reſtituantur ad vitam, vt pœnitentiam agentes ad cæli gloriam perueniant, ergo id à Deo poſtulare non eſt licitum, niſi ex ſpeciali reuelatione, vel motione Spiritus ſancti id fiat.

Tum quia fide tenemus in inferno nullam eſſe redemptionem vt patet ex libr. Iob. Et ex illo Eccleſiaſt. 11. Vbi ceciderit lignum ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, ibi ſemper erit. Quod ad ſtatum gratiæ, vel mortalis peccati referendum eſt.

Et confirmatur, nam certa, & determinata voluntas Dei eſt, vt qui in mortali culpa vitam finiunt,ad infernum ſine ſpe vlla redemptionis æternaliter puniendi deſcendant. Et certè ſi de quibuſdam intelligi poteſt illud 1. Ioan. 5. Eſt peccatum ad mortem, non dico, vt pro illo roget quis, maximè poteſt intelligi de his, qui in peccato mortali deceſſerunt, atque adeò in inferno cum Epulone ſepulti probabiliter creduntur. Et in capit. Obeuntibus. 13. quæſt. 2. dicitur: Pro impiis, quamuis Chriſtiani fuerint, oblationes, & ſacrificia facere, non licere. Et hoc idem iuſſum fuit in Concil. Brachar. vt ſ. pro his, qui in peccatis impœnitentes deceſſerunt, nulla prorſus fiat commemoratio. Idem ſignificatur cap. Placuit. 23. quæſt. 5. cap. Quicunque. & cap. Audiuimus. de reliquiis, & veneratione Sanctorum. Vnde D. Gregor. libro 34. moral. capite 12. ait, Orant iuſti pro inimicis ſuis eo tempore,quo poſſunt ad fructuoſam pœnitentiam eorum corda

conuertere, atque ipſa conuerſione ſaluare. At pro illis tunc non orabitur, quando iam nullatenus poſſunt ad iuſtitiæ opera ab iniquitate commutari. Et libro 4. dialogorum capite 44. Eadem (inquit) cauſa eſt, cur non oretur pro hominibus æterno igni damnatis, quæ eſt, vt non oretur pro diabolo, Angelíſque eius æterno ſupplicio deputatis: Et quæ nunc etiam cauſa eſt, cur non orent Sancti homines pro infidelibus, impiíſque defunctis. Quia pro his vtique, quos æterno deputatos ſupplicio iam nouerunt, ante illum Iuſti Iudicis conſpectum orationis ſuæ meritum caſſari refugiunt.

Dices, quamuis oratio quæ fit pro damnatis, non eis proſit, vt ab æternis ſuppliciis liberentur, valet tamen, vt à temporali pœna liberētur, cui obnoxij ſunt ob peccata, de quibus hîc doluerunt, non tamen ſatisfecerunt, nam illa pœna in inferno temporalis eſt.

Reſpondeo, communem eſſe Theologorum ſententiam, nullam orationem nec priuatam, nec communem damnatis prodeſſe, etiam ad temporalis pœnæ remiſſionem. Legimus enim de eo qui in Spiritum Sanctum peccauit, hoc eſt, qui in finali impœnitentia deceſſit, prout multi Sancti exponunt, quòd non remittetur ei, nec in hoc ſæculo, nec in futuro. Quod exponens B. Gregorius dicit, quòd taliter peccantes in inferno ſine miſericordia punientur, quia ſoluent ad vnguem, quod pro hîc commiſſis debebant. Legimus etiam de illo ſeruo, qui ſuo conſeruo miſericordiam non fecit, quòd traditus eſt torroribus ſine miſericordia cruciandus, cui dictum eſt: Non exibis inde,

inde, donec ſoluas nouiſſimum quadrantem. Huic etiam fauet hiſtoria Epulonis, qui cùm in inferno eſſet, & ab Abraham vnam guttulam aquæ, qua mitiùs torqueretur, exigeret, nullum miſericordię verbum audiuit. Vnde & Iacob in ſua canonica. Iudicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecit miſericordiam. Qui autem ſine pœnitentia in peccato mortali ex hac vita migrauit, miſericordiam ſibi ipſi denegauit; non minùs ergo debet in inferno torqueri, quàm ſi proximo miſericordiam non feciſſet, quandoquidem miſericordia à ſeipſo incipere debet, iuxta illud Eccleſ. 30. Miſerere animæ tuæ placens Deo.

Obiicies Auguſtinum in Enchir. cap. 109. dicentem, Eccleſiæ ſacrificiis, & ſuffragiis mortuos iuuari, vt vel plena ſit eorum remiſſio, vel tolerabilior eorum damnatio.

Reſpondeo, Auguſtinum damnationis nomine tantùm intellexiſſe ignis purgatorij pœnam: ſic enim vſitato more dicimus, improbos damnari ad carcerem, ad metalla, ad beſtias, ad exilium, quamuis condemnatio perpetua non ſit.

Hinc, ſi Papa vellet indulgẽtias etiam pro damnatis per modum ſuffragij concedere, illis nullatenus prodeſſent, quia indulgentiæ valent ex meritis Chriſti, & Sanctorum: At verò Chriſtus, & Sancti nunquam ſua merita damnatis applicuerunt.

Hinc, ſummopere cauendum eſt, ne oremus Deum pro ſalute, vel refrigerio vllo eorum, quos ſcimus, vel firmiter credimus eſſe perpetuo ſupplicio damnatos. Tum quia id prohibitum eſt cap. Pro obeuntibus. 13. quæſt. 2. & cap. Placuit. 23. q. 5.

Tum

Tum quia non licet aliquid horum facere pro diabolo, & quoad hoc damnati pares ſunt diabolis iuxta illud D. Auguſtini: Si ſcirem patrem meum eſſe in inferno, non magis rogarem pro eo, quàm pro diabolo. Tum quia non minùs illi odio nos habent, quàm diaboli, quia vtrique omni charitate carent, & odio redundant, iuxta illud Iob 10. In eis nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.

Reliquum eſt iam vt argumentis initio poſitis ſatisfaciamus, & ad primum de Traiano Imperatore dicit Abulenſis 4. Reg. quæſt. 57. quòd B. Gregorius peccauit mortaliter petendo Traiani reſtitutionem ad vitam.

Alij verò exiſtimant hiſtoriam illam non eſſe omnino certam, quod ego vehementer ſuſpicor, ſicut de ea dubitant Abulenſis, Bellarminus, Baronius, & Sotus in 4. diſt. 45. q. 2. art. 2. & Melch. Cano libro 11. de locis Theolog. planè & audacter negauit, cùm id non extet in vita S. Gregor. nec eſt veriſimile, quòd D. Gregorius illam, ſi vera eſſet, literis non mandaſſet in dialogis, in quibus multa alia minora ſcripſit. Vel ſi admittamus hiſtoriam, dicendum eſt, vel quòd Traianus in morte egerit pœnitentiam, cuius indicia nonnulla monſtrauit, vnde motus fuit Gregorius ad orandum pro illo, neſciens an in peccato mortali deceſſiſſet. Nec credendum eſt, quòd pro illo preces Deo obtuliſſet, ſi in peccato mortali finalis impœnitentiæ, illum deceſſiſſe putaret; quia vt paulò antè dixi, planè docuit non eſſe pro infidelibus, & impiis vita functis orandum. Vel quòd Beatus Gregorius, & omnes alij Sancti,

qui

qui infideles ad vitam reſuſcitauerunt, id ex peculiari aliquo inſtinctu Dei, qui poteſt nimirum in aliquo caſu facere quidpiam præter ordinarias ſuas leges, fecerunt. Nec tunc illi erant finaliter, & irreuocabiliter damnati, ſicut ſunt alij de lege communi, ſed certo quodam loco ad tempus detenti, & Beati Gregorij & aliorum precibus ad hanc vitam reuocati, & per fidem viuam, ac veram cordis pœnitentiam, ſalutem fuerunt adepti.

Alij totum illud opuſculum Damaſceni eſſe inficiantur, eo quòd in eo Auctor referat multos ab inferis liberatos, qui in Chriſtum Dominum eò deſcendentem crediderant. Sed hoc non ſatis concludit id opus non eſſe Damaſceni, cùm ex Græcis Patribus nonnulli eiuſdem quoque ſententiæ fuerint.

At Diuus Thomas in 4. diſtinct. 45. q. 1. art. 2. ad 5. quem communiter ſequuntur Theologi, hiſtoriam illam recipit quidem, at Traianum negat fuiſſe ad inferos damnatum, ſed certo quodam loco ad tempus detentum, & B. Gregorij precibus ad hanc vitam reuocatum, & per veram cordis pœnitentiam vitam æternam conſequutum.

Verùm, quidquid ſit de veritate, & fide huius hiſtorię, dicendum arbitror, ea quæ præter ordinariam legem ex ſpeciali Dei motione, & poteſtate fiunt, non eſſe in exemplum trahenda. Valent. 2. 2. diſt. 6. q. 2. p. 8.

Hinc, non eſt audiendus Abulenſis, qui dixit B. Gregorium in orando pro Traiano, quem credebat eſſe damnatum, mortiferè peccaſſe. Tum quia non eſt veriſimile Deum iuſtiſſimum conceſſurum

rum fuiſſe tam inſignem gratiam, tam inſigniter in ea petenda peccanti. Tum quia tam facilè ſaluari poteſt ipſe, ac alij Prophetæ, & Apoſtoli, & alij Sancti, qui rogauerunt Deum pro reſurrectione illorum, quos credebant eſſe damnatos, eò quòd ſciebant illos in ſua infidelitate obiiſſe.

Tum quia Gregorius non rogauit, vt Traianus recto tramite ex inferno in paradiſum duceretur, ſed vt ad vitam temporalem reuocaret, & poſtea ſi faceret ea quæ ſaluti æternæ conſequendæ ſufficerent, ſaluaretur.

Tum quia par eſt credere, Deum optimum inſpiraſſe Gregorio voluntatem id petendi, ſicut & aliis Sanctis inſpirauit voluntatem petendi aliorum damnatorum reſuſcitationem: & licèt regulariter mortaliter peccet, qui violat præceptum, non tamen peccat, immò bene meretur, quando inſpirante, vel iubente Domino, facit id, quod aliàs eſſet contra diuinum præceptum, vt Abraham qui voluit filium ſuum occidere, & Samſon occidit ſe, & Philiſtæos demoliendo domum, quos nullatenus peccaſſe, ſed bene meritos fuiſſe defendit D. Aug. relatus à Gratiano in cap. Si non licet. 23. q. 5.

Hinc, non eſt audiendus idem Abulenſis, qui addit ob hanc petitionem fuiſſe Gregorium à Deo punitum dolore ſtomachi, & pedum. Tum quia hiſtoria verior (quæ eſt Diaconorum Ioannis, & Petri) non habet, quòd in pœnam peccati pro Traiani anima orando ádmiſſi fuerit ſtomachi, & pedum dolore punitus, ſed quòd non eſſet liberandus ab illo, eò quòd pro anima illa orauerit, quorum verba non habent eum peccaſſe, neque punitum

tum fuiſſe,ſed potiùs voluiſſe Dominum per illum dolorem, ipſum in humilitatis virtute continere, contra tentationes ſuperbiæ, quæ de tam magnæ petitionis conceſſione naſci poterant, iuxtà illud Pauli 2.Cor.12. Ne magnitudo reuelationum extollat me,datus eſt mihi ſtimulus carnis,&c.

Ad ſecundum patet ſolutio ex dictis.

Ad tertium reſpondeo, credendum eſſe Religioſum illum ſui peccati in morte pœnituiſſe, quamuis Beatus Gregorius ad aliorum terrorem, & exemplum illum in ſterquilinio ſepeliri fecerit: & tam Gregorij, & aliorum precibus non de inferno, ſed de purgatorio fuit liberatus.

Ad quartum patet etiam ex dictis.

Ad quintum reſpondeo primò, Iudam Machabæum illas drachmas argenti obtuliſſe pro his, qui in bello perierant, neque enim conſtabat eos in inferno eſſe ſepultos, aut ſine pœnitentia obiiſſe.

Secundò reſpondeo, eos ob ſua peccata in bello deuictos periiſſe,ſed in vitæ fine de ſuis illi peccatis doluerunt, ac pro illis ſacrificatum eſt ad pœnarum,non autem culparum remiſſionem.

Ad ſextum,& ſeptimum reſpondeo eodem prorſus modo quo ad quartum.

Ad octauum reſpondeo, Eccleſiam generatim quidem orationem fundere pro omnibus fidelibus defunctis,ſed pro his, quos piè credit in purgatorio peccatorum pœnas exoluere, quibus dum viuerent non plenè ſatisfecerunt.

Dices, Eccleſia in oratione pro defunctis petit, vt eos à pœnis inferni eripiat.

Reſpon

Reſpondeo, Eccleſiam hoc non petere, pro damnatis, ſed pro exiſtentibus in purgatorio.

Obiicies, Eccleſia in Miſſa funebri pro mortuis precari ſolet, videlicet vt mortui liberentur de profundo lacu, de pœnis inferni, & de ore leonis, &c. Hæc enim nequeunt intelligi commodè, niſi de ijs qui damnantur ad inferos perpetuò cruciandi.

Reſpondeo primò, ea Eccleſiæ verba intelligi poſſunt de Miſſis, quas Eccleſia offerre ſolebat pro agonizantibus, quibus prædicta verba non ineptè conueniunt.

Secundò reſpondeo, prædicta verba, ſi pro iis, qui iam ex hac vita migrarunt, dicuntur, per metaphoram accipienda ſunt. Vnde per profundum lacum & pœnas inferni intelligit locum ſubterraneum, vbi igne purgatorij expiantur.

QVÆSTIO LXXVIII.

An liceat orare pro his, qui cum ſolo originali ex hac vita migrarunt.

RESPONDEO non licere, cùm pro certo habeamus eorum animas hac vita functas in limbo perpetuò permanſuras. Nauar. de oratione cap. 19. nu. 64.

Hinc errant, qui celebrant, aut curant celebrari Miſſas, & officia defunctorum pro infantibus, qui ante vſum rationis moriuntur, exiſtimantes eos illis indigere. Quoniam ſi ritè baptizati obierunt, recto in cælum tramite euolarunt: ſin minùs,

in tenebris ſempiternis permanſuri. Exiſtimo tamen poſſe cauſa mortis eorum peragi eiuſmodi officia ad agendum Deo gratias vt poſt D. Tho. docet Palud. in 4. d. 15. q. 1. col. 5. Et ideo nulla oratio ſingulariter eſt eis applicanda, dicendo animam eius, aut pro animabus eorum, vel alia ſimilia.

QVÆSTIO LXXIX.

An ſit orandum pro his, qui ſunt in Purgatorio.

RESPONDEO quòd ſic, vt patet tum ex eo quod habetur 2. Machab. 12. Sancta, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt peccatis ſoluantur.

Tum ex illo Tob. 4. Panem tuum, & vinum tuum, pone ſuper ſepulturam iuſti. Quod certè ſuperuacaneum eſſet, ſi ſuffragia noſtra pro defunctis facta illis non prodeſſent.

Tum etiam ex communi omnium Theologorum doctrina, qui tenent, quòd ſuffragia, quæ viui pro defunctis faciunt, valent illis vt vel inde totaliter liberétur, vel citiùs, vel ſaltem vt mitiùs torqueantur. Vnde B. Gregorius vt habetur 13. q. 2. cap. animæ, ait. Animæ defunctorum quatuor modis ſoluuntur, aut oblationibus ſacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemoſynis, aut ieiunio cognatorum, & Diuus Auguſt. in enchirid. loquens de orationibus, & ſuffragiis quæ pro defunctis in purgatorio exiſtentibus

bus fiunt, dicit. Quibus autem proſunt, aut hæc proſunt, vt illis plena fiat remiſſio, aut certè, vt tolerabilior fiat ipſa damnatio.

Ex quo ſequitur orationem alienam poſſe prodeſſe animabus in purgatorio exiſtentibus, dummodo orans ſit in gratia, vel eius oratio ſit Miſſa, quæ vt omnes fatentur, ex opere operato efficaciam habet: vel ſit Pater noſter, & Aue Maria, vel alia oratio Eccleſiæ, quæ ſecundùm quorundam probabilem opinionem, habet virtutem, & efficaciam ex opere operato, eò quòd ſit à Chriſto compoſita, vel ab Eccleſia ſua dilectiſſima ſponſa, aut eam dicit iuſſu, vel rogatu alicuius exiſtentis in gratia, vel ſicut miniſter Eccleſiæ vniuerſalis, quæ ſemper eſt iuſta, & ſancta, vt Diuus Thomas in 4. diſt. 45. q. 1. art. 1.

QVÆSTIO LXXX.

Dices, Ad quid prodeſt oratio aliena exiſtentibus in Purgatorio.

RESPONDEO eis prodeſſe primò, quoad conſolationem, quam recipiunt, quando ſciunt ſuos amicos & cognatos pro eis orare. Secundò ad ſatisfaciendum in totum, vel in partem pro pœna, ad quam ibi ſatisfaciendam ſunt damnati. Non autem poteſt prodeſſe, vt ibi augeatur eis gratia, vel gloria in paradiſo.

QVÆSTIO LXXXI.

Quæres, Qua via oratio aliena prodeſt alteri viuo, vel mortuo, an via iuſtitiæ, & obligationis, an verò via liberalitatis, & decentiæ.

Respondeo quoad vnum ſolum via iuſtitiæ, ad alia verò via liberalitatis.

QVÆSTIO LXXXII.

Sed dices, Quod eſt illud vnum?

Respondeo quòd eſt ſatisfactio pro pœna temporali ſufferenda in purgatorio ob peccatum veniale, vel mortale condonatum debita.

QVÆSTIO LXXXIII.

An debeamus pro nobis orare.

Respondeo debere. Et ratio eſt, quia cùm ratione & ordine charitatis debeamus nobis ipſis bona præcipuè deſiderare, debemus, & illa per orationem à Deo pro nobis ipſis petere.

QVÆST.

QVÆSTIO LXXXIV.

An debeamus pro omnibus orare, petendo illis beatitudinem.

ET quidem certum eſt apud omnes, nos licitè poſſe pro quibuſcunque aliis orare, petendo illis beatitudinem. Et ratio eſt, quia quod licitè omnibus optamus, poſſumus illud à Deo petere: atqui omnibus licitè optamus beatitudinem, & alia bona tum temporalia, tum etiam ſpiritualia, ergo etiam illa petere.

QVÆSTIO LXXXV.

Sed quod in dubium vertitur eſt, An debeamus pro omnibus hominibus indifferenter orare, petendo illam ſummam fœlicitatem.

RESPONDEO debere. Nam vt rectè D. Tho. 2.2. q. 83. ar. 7. argumentatur, id quod debemus aliis optare, debemus pro aliis petere. Sed ex charitate non ſolùm nobis, ſed etiam aliis debemus multa bona optare, ergo etiam petere.

Tum quia ex charitate tenemur diligere omnes ſicut nos ipſos, & omnes ſunt in graui neceſſitate, indigéntque auxilio Dei, cuius ſunt capaces, quandiu viuunt, & Deus de ſe paratus eſt ad dandum omnibus.

Tum quia Eccleſia pro omnibus orat peccatoribus, ſiue ſchiſmatici ſint, ſiue hæretici, ſiue Iudæi, ſiue gentiles, vt patet ex officio Veneris ſancti. Vnde Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. Obſecro primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Et Iacobus cap. 5. ſuæ Canonicæ dicit: Orate pro inuicem, vt ſaluemini. Quod ad omnes vniuerſaliter nemine excepto dictum eſſe conſtat, cùm omnes Dei iuſſu diligere teneamur, & idcirco pro eis precari, vt ſaluentur, vt conformes ſimus voluntati Dei, de quo Apoſtolus, quòd vult omnes homines ſaluos fieri. Chriſtus etiam pro omnibus venit,& pro omnibus paſſus eſt, quantumuis per peccatum, peccatores ſint, prout ipſe dixit. Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Omnium igitur ſalutem procurauit,& pro omnium ſalute, quod in ſe fuit, fecit. Nos igitur Chriſtum imitati, ſimiliter debemus omnibus ſalutem optare, & pro omnibus orare.

Hinc, non licet ab oratione vniuerſali, qua abſolutè petitur, vt homines beatitudinem conſequantur, aliquem in particulari abſolutè excludere, quaſi deſperando de eius ſalute. Ratio eſt, quia nullus quantumuis peccator, eſt iudicandus reprobus, quandiu hîc viuit, & compos eſt ſui, & excitationis ad pœnitentiam, ergo ita à nobis iuuandus eſt, quantum eſt ex parte noſtra, ſicut is qui eſſe poteſt in numero prædeſtinatorum.

Obiicies, inter omnes viuentes multi ſunt reprobi, qui ſecundùm legem ordinariam Dei non ſunt adepturi beatitudinem, ergo præſumptuosè, & cõtra legem ordinariam facit, qui pro omnibus

omnino

omnino viuentibus beatitudinem petit. Nam eſt talis certus, ſe pro aliquibus reprobis eam petere.

Reſpondeo, non debere orare nos, vt abſolutè, & reipſa omnes viatores ſalutem conſequantur, ſed tantùm, vt illi eam conſequantur, qui ex ſua parte præſtiterint, quod Deus ſecundùm legem ordinariam requirit. Nec enim Chriſtus orauit, vt omnes conſequerentur beatitudinem; ſed tantùm, vt illi qui ſibi non eſſent defecturi in conſequenda æterna fœlicitate. Ego inquit, Ioan. 17. pro eis rogo, hoc eſt, Apoſtolis, non pro mundo rogo, ſed pro illis, qui credituri ſunt per verbum illorum in me. Hoc tamen non obſtat, quominus poſſimus aliter orare pro prędeſtinatis, & aliter pro reprobis: illis efficaciter poſtulando, vt cum effectu beatitudinem obtineant, his ſolùm conditionatè, ſ. quantum eſt ex parte Dei, ſeu ſi illi non reſiſtant. Quæ intentio interdum haberi poteſt explicitè, non tamen eſt neceſſarium, ſatis eſt enim habere illam habitu, ſeu virtute.

Ex quo ſequitur, licitum eſſe in oratione generali pro prædeſtinatis, excludere præſcitos, non tamen materialiter hunc vel illum hominem.

Dices, interdum ſunt in aliquo tot ſigna reprobationis, vt magna morali probabilitate iudicetur illum eſſe reprobum, ergo hoc ſatis erit ad excludendum illum ab oratione, nam ad bene operandum, ſufficit iudicium probabile.

Reſpondeo, nulla indicia eſſe ſufficientia ad iudicandum practicè, & moraliter, poſſe deſperari de ſalute alicuius, quantumuis peccatoris, quandiu viuit. Nam vt quis teneatur pro alio orare, ſatis eſt iudicium, quo iudicet omnibus

conſideratis poſſibile eſſe moraliter, vt talis ſaluetur, & ſit prædeſtinatus. Sed non obſtantibus quibuſcunque coniecturis de reprobatione alterius, adhuc poteſt quis iudicare poſſibile eſſe moraliter, vt talis ſaluetur, & ſit prædeſt inatus, ergo adhuc tenebitur pro illo orare.

QVÆSTIO LXXXVI.

An poſſimus licitè pro inimicis orare.

Respondeo poſſe, vti fecit Dominus Lucæ 23. in cruce, & Sanctus Stephanus cùm lapidum grandinibus obrueretur, ſecundùm diuinam illam Euangelij doctrinam Matth. 5. Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. Et ratio huius eſt, quia orare pro inimicis eſt opus charitatis, nam quòd inimici ſint peccatores, non obſtat, quominus ex charitate diligi poſſint, & conſequenter quòd poſſimus pro illis apud Deum intercedere.

QVÆSTIO LXXXVII.

An teneamur pro inimicis orare.

Et quidem, quòd teneamur pro inimicis orare, certum eſt, cùm teneamur illos diligere. Vnde Chriſtus Dominus Matth. 5. ait. Diligite inimicos veſtros, benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos.

QVÆST.

QVÆSTIO LXXXVIII.

Sed difficultas eſt, qualiter teneamur pro illis orare.

RESPONDEO, pro inimicis ita debemus orare, ſicut illos ex charitate diligere: tenemur autem diligere inimicos ſaltem in generali, quæ generalis dilectio conſiſtit in hoc, vt quando proximos generatim diligimus, ab illa dilectione non excludamus inimicos, ergo eadem ratione tenemur pro inimicis orare in communi, non reiiciendo videlicet illos à generalibus orationibus, quas pro illis generatim facimus. In particulari autem ſicut non tenemur præcepto charitatis illos diligere ſpeciali motu dilectionis, cùm nec etiam hoc ſit neceſſarium reſpectu aliorum hominum, qui non ſunt inimici, niſi interueniente graui neceſſitate, ita neque orare. Ita D. Th. 2.2. q. 83. ar. 8.

Ex quo ſequitur, quòd licèt non teneamur ordinariè actu orare pro inimicis in particulari, tenemur nihilominus ad habendum animi præparationem ad orandum in particulari, ſi id fuerit neceſſarium, ſicut de dilectione inimicorum docet D. Th. 2. 2. q. 25. ar. 8. & alij communiter.

Quam doctrinam D. Thomæ arbitror eſſe veram in primis in orationibus publicis, ideſt, quæ fiunt nomine totius Eccleſiæ, quia debemus conformari intentioni Eccleſiæ, & illos excludere, quos ipſa excludit. v. g. excommunicatos, & non excludere quos ipſa non excludit, nempe inimicos, quia hoc

eſſet diſcordare ab intentione eius, quod non licet, eſſétque manifeſtum indicium odij.

Hinc, qui dicit *Pater noſter*, &c, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, & eximere vellet ſuos inimicos, peccaret.

Secundò cenſeo eſſe veram in orationibus communibus, quæ fiunt ex obligatione communis charitatis, quomodo tenemur interdum orare pro Eccleſia, vel pro patria, aut ſimili alia communitate, quia tunc non poſſumus excludere inimicos, quia ſunt partes illius communitatis, ratione cuius eis orationes illæ debentur.

Tertiò cenſeo eſſe verum in orationibus etiam voluntariis, quæ fiunt pro aliqua communitate, ſub aliqua ratione communi, quæ de ſe æquè comprehendit amicos, & inimicos, quia tunc non licet ab his orationibus excludere inimicos, quia illa eſſet quædam irrationabilis acceptio perſonarum continens virtuale odium. Vnde licèt abſolutè non teneamur orare pro tali communitate, ſuppoſito quòd oramus, tenemur ſine tali iniqua exceptione orare.

Hinc, ſi ego pro congregatione mea oro, & in ea excipiam Ioannem, & Andream mihi inimicos, pecco. Et ſic de ſimilibus.

QVÆSTIO LXXXIX.

Tota igitur lis eſt de orationibus priuatis, quæ ſine obligatione fiunt.

SED reſpondeo, quòd per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo, non videtur intrinſecè malum excludere

cludere inimicos à quacunque oratione,in qua pro aliis oramus. Nam ſicut poſſumus pro iuſtis,& non pro iniuſtis,pro prędeſtinatis,& non pro reprobis, pro cognatis, aut benefactoribus, & non pro aliis, ita pari modo poſſumus orare pro amicis, & non pro inimicis,quia in his orandi modis nulla apparet intrinſeca malitia per ſe loquendo,quia nullum eſt præceptum, quod obliget tunc ad faciendam communiſſimam orationem. Verùm cauendus eſt talis orandi modus tanquam periculoſus, includit enim affectum adeò auerſum ab inimicis, vt ad odium accedere videatur.

QVÆSTIO XC.

An pro infidelibus, Iudæis, Mauris, & paganis ſit orandum.

RESPONDEO quòd ſic,dicente Apoſtolo 1. ad Timoth.2.Obſecro fieri orationes pro omnibus, pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt. Certum eſt autem tempore Pauli omnes Reges, quibus orationes fundendas eſſe dicit,fuiſſe infideles. Vnde D. Aug. in epiſt. 107. ad Vitalem. Conſuetudinem eſſe,inquit, ab Apoſtolis acceptam, qua preces Deo fundimus pro his, qui ſunt ab Eccleſia alieni,vt infidelibus detur fides, vt idolorum cultores ab impietatis errore auocentur, vt Iudæi lumen veritatis accipiant, vt catechumeni ſalutaris baptiſmatis aqua renati, in fide confirmentur,ac bonis operibus ſtudeant.

Dices,Prophetæ,& alij ſancti improbis, ac perditis

ditis hominibus frequenter mala imprecantur, & interdum damnationem æternam, ait enim Dauid Pſalm. 54. Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viuentes. Et infrà: Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui eſt ante ſæcula. Et Pſalm. 58. Intende ad viſitandas omnes gentes, non miſereberis omnibus qui operantur iniquitatem. Et Pſalm. 68. Deleantur de libro viuentium.

Reſpondeo, eas precationes potius eſſe quaſdam futurorum euentuum prænunciationes, quàm abſolutas imprecationes, ideſt, id dicunt non orando, ſed quod futurum in illis eſt, pronunciando. Vel vt dicit D. Aug. Sancti imprecantur mala inimicis, non prout homines ſunt, ſed prout impij, & inimici, ſ. vt quatenus tales ſunt, pereant, ideſt vt tales eſſe deſinant, & amici fiant, & ſuum peccatũ agnoſcant. Vel in illis ſignificatur conformatio voluntatis cum decreto iuſtitiæ diuinæ circa damnationem impiorum. Vel ſub ea tandem conditione, ſi perſeuerent, nam perinde eſt, ac ſi dicerent, erubeſcant, deleantur de libro viuentium, ſi perſeuerare in malis velint.

QVÆSTIO XCI.

An liceat Miſſæ ſacrificium offerre pro Turcis, & aliis qui ſunt Chriſtianæ fidei expertes, vt conuertantur ad Chriſtum.

IN quà re certum eſt primò, non licere pro eis Miſſæ ſacrificium offerre, vt eſt ſatisfactorium. Et ratio eſt, quia improbis pœnæ debitæ non condonantur,

donantur, dum in ſua improbitate perſiſtunt.

Secundò etiam eſt certum, non licere offerre pro ipſis Miſſæ ſacrificium, vt Deus eis bonâ temporalia concedat, quin potius Eccleſia preces in Miſſa contra infideles inſtituit, in quibus orat diuinam clementiam, vt dexteræ ipſius potentia conterantur.

QVÆSTIO XCII.

Difficultas ergo, quam hîc inquirimus eſt, An pro huiuſmodi hominibus fas ſit Sacerdoti, Miſſæ ſacrificium offerre, vt ipſi Chriſti fidem ſuſcipiant.

D. Thomas 3. p.q.79.ar.7. ad 2. negat. ibi enim ſic ait: Corpus Chriſti non offertur niſi pro iis, qui ſunt membra Chriſti, vnde & in Canone Miſſæ non oratur pro iis qui ſunt extra Eccleſiam. Hoc idem tenet Sotus lib.9.q.2.ar.2.ad 3. vbi dicit errorem eſſe Capellaniam inſtituere, aut Miſſas, pro infidelibus.

At verò alij, vt Ledeſm. in 4. p.2.q.23. ar. 1. rectiùs affirmant id eſſe licitum. Pro quo facit primò, quia fas eſt ſacerdotibus Miſſæ ſacrificium offerre pro incremento fidei, & Chriſtianę Religionis propagatione, & amplificatione Eccleſiæ in toto terrarum orbe, ſed hoc nihil aliud eſt, quàm offerre pro conuerſione paganorum, & infidelium, ergo.

Secundò facit, quia in Miſſæ ſacrificio oramus, vt

calix

calix ſalutaris in conſpectu diuinæ Maieſtatis aſcendat pro noſtra,& totius mundi ſalute, ergo licet Miſſam offerre pro totius Eccleſiæ,& omnium ſalute.

Tertiò facit, quia Eccleſia in die paraſceue publicam orationem fundit, vt Turcæ, Saraceni, & pagani à ſuis erroribus reuocentur, & ad fidei, & Religionis Chriſtianæ veritatem conuertantur.

Quartò, & vltimò facit, quia nullibi eſt interdictum, ne ſacerdos offerat pro infidelium conuerſione:neque enim extat ius,vel lex Eccleſiæ id prohibens,cùm tamen vetuerit pro hæreticis,ſchiſmaticis,vel excommunicatis,atque interdictis Miſſam offerre.

QVÆSTIO XCIII.

An pro hæreticis, & ſchiſmaticis,& cæteris excommunicatione affectis ſit orandum.

Ratio dubij eſt, quia Eccleſia pro his non orat,& eos arcet à communibus piorum ſuffragiis,& precibus.

Sed hoc non obſtante,tenendum eſt, vnicuique fas eſſe pro his priuatim,& ſuo nomine Deum precari, vt depoſitis, & abiectis erroribus ad Eccleſiæ gremium reuertantur. At verò Eccleſia prohibet pro his orare oratione publica, quæ dicitur pro membris Eccleſiæ, ſecundùm D.Th.in 4.diſtin.18.

q.2.

q.2.ar.1. q.2. Quales modò ſunt omnes orationes Miſſarum,& horarum canonicarum, quæ nomine Eccleſiæ dicuntur.

Hinc,ſi Rex,vel Prælatus eſſet excommunicatus, non poſſet in canone nominari.

Nec obſtat,quòd ſacerdos, vt miniſter Eccleſiæ in die paraſceue ſpecialiter orat pro hæreticis, & ſchiſmaticis,qui ſunt excommunicati in Bulla Cœnæ Domini. Quia hoc facit ex imitatione Chriſti, qui in illo die pro omnibus ſine exceptione mortuus eſt. Non tamen orat pro iſtis ſub nomine excommunicationis,quia illo tempore, quo Eccleſia orat pro illis,quantum ad id,cenſentur abſoluti ab excommunicatione.

Tum quia licèt Eccleſia oret publicè pro hæreticis, & ſchiſmaticis, non tamen hoc facit orationibus compoſitis pro ſuis membris,ſed aliis inſtitutis pro iis,qui tales non ſunt.

QVÆSTIO XCIV.

An Sacerdos in Memento poſſit pro excommunicatis orare.

RESPONDEO, tanquam publicam perſonam,& miniſtrum Eccleſiæ non poſſe pro excommunicatis denominatim denunciatis, vel publicis clerici percuſſoribus orare, quia id eſt ei interdictum cap. Sacris. & cap. A vobis. 2. de ſent.excomm. Et ratio huius eſt, quia eos Eccleſia ſuis communibus piorum ſuffragiis priuat, & arcet ab omni conſortio,& conuictu hominum. Secus, vt perſona priuata,

priuata,quia tunc in canone Miſſæ, dum ſubmiſſa voce occultam cõmemorationem facit amicorum, etiam pro excommunicatis poterit Deum precari, non tamen ipſum ſaçrificium ipſis applicando. Et ratio eſt, quia huiuſmodi precatio fit priuato nomine, & Eccleſia ſolùm vetat Miſſam, aut publicas preces,& quæ nomine ipſius funduntur,offerri pro excommunicatis,nunquam tamen iubet,ne in Miſſa priuato ſuo nomine ſacerdos pro excommunicatis precetur. Sic Sylueſt. verb. excommunicatio. 1. num.2. & verb. Miſſa. 1. num.8. Nauar. De orat. cap.19. num.71. Couarr. cap. Alma mater. p. 1. §. 6. num.4. Tolet. lib 1. cap. 12. num. 2. Maiol. De irreg.lib.3.cap.25.num.3. & multi alij.

QVÆSTIO XCV.

An peccet mortaliter, qui pro iis qui ſunt denominatim excommunicati, & denunciati, vel publici clericorum percuſſores, Miſſæ ſacrificium offert,non quidem publicè, id enim omnino eſt interdictum, ſed priuatim, itaut ſacerdos dum generatim pro omnibus fidelibus celebrat, voluntatem ſuam ad excommunicatos extendat.

SYlveſt.verb.excommunicatio.1.n.2.Tab.ibidem num.5.& Armilla n.9.abſolutè negant. Alij

Alij verò Doctores non minoris nominis rectiùs affirmant. Quia Eccleſiæ præceptū, quo vetatur pro excommunicatis Miſſæ ſacrificium offerri violat, & hoc in re graui, ergo peccat mortaliter.

QVÆSTIO XCVI.

An liceat Sacerdoti Miſſæ ſacrificium offerre pro excommunicatis occultis, qui non ſunt denunciati, nec publici clericorum percuſſores.

RESPONDEO licere. Et ratio eſt, quia huiuſmodi excommunicatos vitare non cogimur. Nauar. in Man. cap. 27. nu. 36.

QVÆSTIO XCVII.

An fas ſit Sacerdoti Miſſam facere pro excommunicatis, quos credit pœnitere peccati, ob quod fuerunt excommunicati, nondum tamen ab excommunicationis vinculo abſolutis.

LEDESM. in 4. q. 23. art. 1. affirmat non licere; ſed ſacrificium oblatum eſſe eis fructuoſum, cùm illi iam ſint gratiæ diuinæ reſtituti.

Sotus in 4. diſt. 22. q. 1. ar. 1. putat eis ſacrificium vt ſatisfactorium non prodeſſe ad remiſſionem

pœnarum, quæ peccatis debentur. Quia etſi in Dei gratiam redierint, adhuc tamen ſunt vinculo excommunicationis ligati, in qua quandiu perſiſtunt, communium piorum operum capaces non ſunt.

Mihi verò videtur licere orare, & eis applicare Miſſam, eiúſque valorem ſaltem ſub conditione, ſi eos verè pœnitet, modò publicè non fiat, nec expreſſim, & nominatim pro iis excommunicatis offeratur ſacrificium Miſſæ. Et ratio huius eſt, quia Eccleſiæ mens non eſt vt excommunicati qui ſunt per veram cordis pœnitentiam ad Deum conuerſi, communium Eccleſiæ ſuffragiorum capaces non ſint, quandiu per ipſos non ſtat, quominus ab excommunicationis vinculo abſoluantur. Et idem arbitror dicendum de inualidè, ſiue nulliter excommunicatis, quos iure Sacerdos non reputat excommunicatos excommunicatione valida. Nauar. De oratione cap. 19. nu. 68.

QVÆSTIO XCVIII.

An ſit orandum pro his, quorum peccatum eſt ad mortem.

Et videtur quòd non. Nam Ioannes in prima ſua canonica cap. 5. dicit: Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis. Ergo pro huiuſmodi qui peccant ad mortem, ex ſententia Ioannis non eſt orandum.

Deciſio huius quæſtionis dependet ex intelligentia huius loci apud Ioannem, de quo Doctores ſunt varij.

Gloſſa

Gloſſa ſuper illum locum Matth. 12. Qui dixerit verbum contra Filium, &c. affirmat peccatum ad mortem vocari ſolùm finalem impœnitentiam.

Alij verò communiter dicunt, vocari à Ioanne peccatum ad mortem illud, quod Chriſtus Matth. 12. alio nomine appellat peccatum in Spiritum ſanctum cùm dicit: Qui dixerit verbum contra Filium, remittetur ei, qui autem dixerit verbum in Spiritum ſanctum, non remittetur ei, &c. Sed quia non omnes eodem modo explicant, quid à Chriſto intelligatur per peccatum in Spiritum ſanctum, idcirco variæ ſunt auctorum ſententiæ.

D. Hieronym. ſuper Matth. 12. dicit verbum *in Filium hominis* eſſe blaſphemiam in Chriſti humanitatem iactatam. Quales fuerunt illæ, quibus dixerunt, Chriſtum eſſe voracem, potatorem, &c. Verbum autem *in Spiritum ſanctum*, eſſe blaſphemiam in Chriſti diuinitatem prolatam. Qualis fuit illa, In Beelzebuc Principe dæmoniorum eijcit dæmonia, qua, opera diuina virtute facta, virtuti Dæmonis tribuebant.

D. Auguſtin. in Enchir. cap. 83. docet blaſphemiam in Spiritum ſanctum eſſe finalem impœnitentiam, quia excludit remiſſionem, quæ ſpecialiter Spiritui ſancto tribuitur: blaſphemia autem in Filium eſſe quodcunque aliud peccatum.

D. Tho. in addit. ad 3. p. qu. 14. ar. 1. dicit, quòd peccata, quæ committuntur per fragilitatem, ſunt in Patrem, cui attribuitur potentia. Quæ verò per ignorantiam, ſunt in Filium, cui tribuitur ſapientia. Quæ autem procedunt ex certa malitia, illa ſunt in Spiritum ſanctum, cui tribuitur bonitas. Et

hæc à Chriſto dicuntur non remitti nec in hoc ſæculo, nec in futuro, non quia ſimpliciter, aut ſecundùm legem remitti non poſſint, ſed propter difficultatem remiſſionis vt dicunt, vel quia taliter ex malitia pura peccantes, non ſunt pœnitiui, vt dicit Ariſtoteles, rarò enim pœnitent, cùm non habeant in ſe cauſam pœnitendi, ſicut homines, qui ex ignorantia, aut paſſione peccant.

Dices, ſi huiuſmodi peccata in Spiritum ſanctum, aliquando ſunt remiſſibilia, quare in dicta epiſtola canonica dicitur: Pro huiuſmodi peccatis non eſſe orandum?

Reſpondeo, illa verba eſſe poſita ſolùm ad deterrendum homines ab huiuſmodi peccatis, non ad prohibendum homini orationem. Immo vt exiſtimo, non ſunt ſcripta ad remittendum affectum orandi pro huiuſmodi peccantibus, ſed ad exaggerandum, non quamcunque orationem, ſed valdè feruentem, vel hominis multùm Deo grati, eſſe neceſſariam pro huiuſmodi peccatis.

Alij verò ſic hunc locum interpretantur. Quando Ioannes in ſua canonica dicit: Qui ſcit fratrem ſuum peccare non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Loquitur de peccatis venialibus, quæ per orationem Dominicam remitti poſſe dicit: eſt enim oratio Dominica in remiſſionem venialium peccatorum à Chriſto inſtituta, vt D. Auguſtinus teſtatur. Quando autem dicit: eſt peccatum ad mortẽ, non pro illo dico, vt roget quis; loquitur de peccatis mortalibus, ad quorum remiſſionem orationem Dominicã non ſufficere affirmat, quia neceſſe eſt illa ſacramẽtaliter cõfiteri, & pro illis ieiuniis, & lachrymis ſatisfacere.

Nec

Nec ex hoc ſequitur, eſſe aliquos peccatores ab oratione excludendos, vt locus citatus probare videbatur, ſed tantùm, quòd oratio Dominica de qua ſolùm ibi fit mentio, non eſt efficax remedium ad remittenda peccata mortalia.

QVÆSTIO XCIX.
An liceat orare pro obſtinatis.

RESPONDEO licere. Ratio eſt, quia de nullo homine quantumlibet obſtinato quandiu viuit, deſperandum eſt, quin poſſit in momento Deo aſpirante conuerti, vt rectè D. Auguſtinus monet. Vnde Apoſtolus 1. Timoth. 2. pro omnibus hominibus iubet fieri obſecrationes, orationes, & poſtulationes, quia Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionẽ veritatis venire. Quare nihil obſtat, quin pro eis orandum ſit, vt ſanctę fidei lumen recipiant, & ab impietatis errore, improbitatéque conuerſi, ad ſanam mentem, bonámque frugem reuocentur.

QVÆSTIO C.
An liceat orare pro reprobis.

ET videtur quòd non, quia non eſt licitum petere vt abſolutum decretum diuinæ voluntatis mutetur, ſed petere vitam perpetuam reprobis, eſt petere aliquid contra decretum abſolutum diuinæ voluntatis, ergo non licet orando petere reprobis æternam vitam.

Tum quia reprobi ſunt à Deo proiecti, ſuperfluum autem omnino videtur velle reducere, quos Deus proiecit iuxta illud Eccleſ. 7. Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit. Ergo pro reprobis orandum non eſt.

Et confirmatur, nam oratio pro talibus fuſa, eſſet omnino ſuperflua, cùm impoſſibile ſit, præſcitos à Deo ſaluari, ergo.

Tum quia Chriſtus non legitur pro reprobis oraſſe ſed pro electis, & aliis qui in eum erant credituri, vt habetur Ioan. 17.

Hinc, ſi Deus reuelet mihi quod pater meus viuens ſit præſcitus, non poſſum pro illo orare. Similiter ſi Deus reuelet mihi meam damnationẽ, quia præſcitus ſum, non debeo pro me orare, ne videar diuinæ voluntati contrauenire. Huius opinionis videtur eſſe D. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 7. ad 3. vbi ait, Ideo non poſſumus nos alicui negare orationis beneficium, quia non poſſumus diſtinguere prædeſtinatos à reprobis, ergo è conuerſo, ſi per ſpecialem reuelationem poſſemus hos à prædeſtinatis diſtinguere, non poſſemus orare pro illis. Hæc ille.

Medina C. de oratione q. 6. & Cordub. l. 1. q. q. 51. vt reſpondeant, ſupponunt Deum duobus modis reprobare homines. Vno modo abſolutè, & ſimpliciter nullius omnino humani operis habita ratione ex parte reprobati. Alio modo ex cauſa penes reprobatũ adhęrẽte, nempe propter ſcelera, quę in reprobo ad finẽ vſque vitæ futura præuouit. Qua diſtinctione ſuppoſita, dicit quòd pro eo, de quo conſtat, eſſe reprobum primo modo, non licet pro eo orare, quia talis oratio eſſet omnino ſuperflua, cùm ſit omnino impoſſibile, reprobum à Deo ſaluari.

ſaluari. At verò pro eo de quo conſtat eſſe reprobum ſecundo modo, eſt orandum, quia tunc illius damnatio ex libero eius arbitrio pendet, ita vt poſſit, ſi velit oblatam Dei gratiam admittere, & de malefactis per veram cordis pœnitentiam dolere.

Sed hic dicendi modus non placet, quia præſupponit non eſſe in Deo vnam, & eandem rationem reprobandi homines, ſed illum quoſdam reprobaſſe ex ſe, & ex ſua ſola voluntate, nulla præuiſa culpa, alios autem culpa præuiſa, quod eſt omnino falſum, vt ex D. Thom. colligunt Doctores 1. part. quæſt. 23. art. 3. Quia Deus nullum prædeſtinat ad malum, neque vllum vult eiicere à Regno ex ſupremo dominio, & abſoluta poteſtate, ſed ſolùm iuxta exigentiam vindicatiuæ iuſtitiæ.

Vt in hac autem graui, & perdifficili quæſtione dicam, quod ſentio, obſeruandum eſt primò, quòd diuina reuelatio de malo, quod ſibi vel alteri eſt euenturum, eſt duplex, ſcilicet, abſoluta, & conditionata. Abſoluta eſt illa, quæ fertur in res, reſpectu quarum diuina voluntas ita eſt determinata, vt ab ipſis nunquam flectatur. Quod regulariter contingit in punitione damnatorum in inferno, vbi nulla eſt redemptio. Et idem inuenitur interdum in aliquibus punitionibus temporalibus propter crimina quædam, quas ſine vlla reuocatione Deus facere decreuit, etiam ſi pro miſericordia oretur iuxta illud 1. Reg. 15. Scidit Dominus Regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. Porrò triumphator Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur, & ci

Et Ierem. 7. Tu ergo noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam.

Conditionata verò ſeu comminatoria reuelatio eſt illa, quæ fertur in res pendentes ex noſtro libero arbitrio, cuiuſmodi eſt illa Iſa. 38. vbi dicitur Ezechiæ, Morieris, & non viues. Et illa Ionæ 3. vbi dicitur de Niniuitis: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.

Secundò eſt obſeruandum, quòd Deus potentia ordinaria poteſt reuelare alicui viatori reuelatione conditionata, ſeu comminatoria ſuam, vel aliorum damnationem, quia hæc reuelatio non repugnat legi, & ordinationi diuinæ. Et ſic intelligenda eſt illa reuelatio facta à Chriſto Phariſæis Ioannis 8. Et in peccato veſtro moriemini.

Abſoluta autem reuelatione non poteſt Deus de potentia ordinaria reuelare alicui ſuam damnationem. Et ratio eſt, quia hæc reuelatio repugnat legi diuinæ, qua Deus ſtatuit, vt omnes ſperent beatitudinem.

Tum quia ille homo induceretur in deſperationem, & fieret negligens in obſeruatione præceptorum, immo incitaretur ad peccandum, quæ omnia ſunt cõtra legẽ diuinam. Vnde quoties alicui fit reuelatio de ſua, vel aliorum damnatione, etiã ſi nulla apponatur cõditio, tenetur credere talem reuelationem non eſſe prophetiam præſcientiæ, ſed comminationis, quæ reuelatio includit conditionem, vt docet D.Th. in 3. diſt. 38. q. vnica ar. 4. & de veritate q. 23. ar. 8.

Hinc, nõn eſt audiendus D. Bonauentura in 1. diſt. 38. qu. 1. Qui aſſerit fieri non poſſe, etiam de potentia Dei abſoluta, quòd alicui viatori, manente

nente viatore, fiat abſoluta reuelatio à Deo de ſua æterna damnatione. Quia talis homo non poſſet ſperare, nec conſequi beatitudinem, quod rationi viatoris repugnat. Non eſt igitur audiendus, quia non magis repugnat ſtatui viatorum certa, & abſoluta reuelatio de ſua condemnatione, quàm de æterna beatitudine, ſed Deus alicui de facto reuelauit ſuam prædeſtinationem, ſ. Beatiſſimæ Virgini, Beatis Apoſtolis, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, & S. Franciſco, ergo etiam poterit reuelare æternam damnationem. His itaque iactis fundamentis

Primò dico, quòd licitè poſſumus nominatim rogare Deum pro prædeſtinatis, nulla facta mentione de reprobis. Tum quia non ſemper quòd orationem fundimus ad Deum, tenemur orare pro omnibus.

Tum etiam quia mos eſt Eccleſię interdum pro ſolis prędeſtinatis orare, vt conſtat ex illa oratione, quæ incipit, *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum*, &c.

Secundò dico, quòd nulla ratione cogimur reprobos nec in genere, nec in particulari à noſtris orationibus excipere. Quod patet exemplo Chriſti, qui cùm eſſet in cruce, pro crucifixoribus Patrem rogauit, quorum aliquos, certũ eſt fuiſſe reprobos.

Tum quia licèt noſtra oratio pro reprobis fuſa pro gloria obtinenda prodeſſe non poſſit, vt minùs tamen peccent, atque ex conſequenti, vt minùs puniantur, poterit prodeſſe, & ſic erit vtile etiam pro reprobis orare.

Tertiò dico, quòd ſi Deus mihi reuelet Petrum eſſe reprobum, regulariter loquendo poſſum, & debeo pro illius ſalute æterna orare. Et ratio eſt,

 quia

quia talis reuelatio regulariter loquendo eſt intelligenda fieri conditionaliter, etiamſi conditio non exprimatur, ſed reuelatio conditionalis non tollit, quominus ſperemus propriam, vel aliorũ ſalutem, ergo nec quòd pro illius conſequutione oremus.

Quartò dico, quòd ſi per reuelationem certò mihi conſtat, aliquem eſſe reprobum, poſſum pro illo orare ex affectu ſimplici, deſiderando, quantum eſt ex parte noſtra, ſalutem eius, & petendo vt Deus det illi ſufficiens auxilium, quo ſaluus eſſe poſſit, ſi velit, quia talis petitio eſt conſentanea charitati proximi, & non eſt repugnans voluntati Dei, qui vult omnes homines ſaluos fieri.

Quintò, & vltimò dico, quòd ſi per reuelationem certò mihi conſtat Caium eſſe præſcitum, non mihi licet orare pro illo petendo vitam æternam, ex abſoluta, & efficaci voluntate, id eſt abſolutè petendo, vt reipſa ſalutem conſequatur. Ratio eſt, quia cùm in hoc caſu voluntas Dei ſit abſoluta, eſſet ſuperflua, & temeraria oratio.

Hinc, non poſſum in hoc caſu deſiderare reprobo auxilium efficax. Et ratio eſt, quia ex tali reuelatione conſtat, Deum ex ſe, & abſolutè decreuiſſe non dare tali reprobo huiuſmodi auxilium, ſed non licet deſiderare, etiam ſimplici affectu, vt fiat oppoſitum eius, quod Deus ſic decreuit, ergo.

Dices, Caius in eo caſu teneretur pro ſe orare, & de ſua ſalute æterna ſperare, ergo & nos ſimiliter poſſumus de ſua ſalute ſperare, & conſequenter pro eo orare.

Huic obiectioni Magiſter Victoria reſpondet dicens, quòd Caius in tali caſu ſimpliciter, & abſolutè poteſt, & tenetur ſperare. Et probat, quia ſi in caſu poſito non teneretur ſperare, ſequeretur, quòd nec etiam teneretur ſeruare præcepta diuina, atque ex conſequenti, quòd ea violans non peccaret. Conſequens eſt falſum, ergo. Probatur ſequela, nam ſi non poſſet ſperare beatitudinem, nec etiam poſſet velle efficaciter illam conſequi, & conſequenter nec ponere media neceſſaria ad illam obtinendam.

Cæterum ſolidum huius ſententiæ fundamentum non video, & ideo non placet, ſed exiſtimo in eo caſu, Caium non poſſe, nec teneri ſperare beatitudinem. Et ratio eſt, quia deeſt illi obiectum ſpei, quod ſperare non poteſt. Probo antecedens, obiectum ſpei eſt bonum arduum poſſibile, ſed ille non apprehendit beatitudinem vt bonum ſibi poſſibile: certò enim credit ſe fore damnandum, ergo non habet obiectum ſpei.

Et confirmatur, nam Diuus Tho. ſuprà q. 18. art. 3. probat damnatos non poſſe habere ſpem, quia non apprehendunt beatitudinem vt poſſibilem: ſed eadem eſt ratio de Caio, cui, vt ſuppono, facta eſt reuelatio abſoluta de ſua æterna damnatione, ergo.

Tum quia ſpes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis, ſed Caius in hoc caſu non poteſt habere certitudinem de ſua beatitudine, ſed potius de oppoſito, ergo nec poteſt, nec debet illam ſperare, cùm impoſſibilium nulla ſit obligatio.

Ex quo ſequitur, eum, cui facta eſt talis abſoluta

reuelatio

reuelatio de ſua æterna damnatione, nec debere, nec poſſe efficaciter intendere, aut petere beatitudinem, cùm hæc oratio tunc non minùs fruſtra fieret, quàm ſi Deus abſolutè reuelaſſet quoduis aliud malum temporale euenturum, vt diximus. Poſſet tamen & deberet petere auxilium Dei ad non peccandum. Similiter poſſet, & deberet conari ad vtendum illo auxilio cum effectu, quia hoc totum eſt ſimpliciter poſſibile, non obſtante diuina præſcientia. Poſſet tandem, & deberet petere auxilium ad minuenda peccata, & ad bene operandum, quod per ſe honeſtum eſt.

Et ad fundamentum Victoriæ reſpondeo negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia licèt ſit verum, quòd Caius in caſu poſito non teneatur ſeruare præcepta diuina, inquantum ſunt media ordinata ad beatitudinem, tenetur tamen illa ſeruare ad vitandam nouam culpam, & maiorem pœnam.

QVÆSTIO CI.

Quænam petenda ſint in oratione.

PRo huius quæſtionis intelligentia, obſeruandum eſt, primò, quòd bona, quæ poſſunt à Deo poſtulari, ſunt in duplici differentia. Quædam enim ſunt, quæ abſolutè, & ſimpliciter, & per ſe bona ſunt, & ſecūdùm ſe appetibilia, quibus homo malè vti non poteſt, qualia ſunt, peccatorum venia, vita æterna, fides, ſpes, charitas, gratia, ac cæteræ virtutes morum, & Spiritus ſancti dona, quæ charitatem comitantur.

Alia autem ſunt bona, quadam tantùm ex parte, quibus homo poteſt bene, & malè vti. Qualia ſunt, aut bona interna animi, vt ingenij perſpicuitas, artes, diſciplinæ: aut bona corporis, vt vita, ſalus, integritas membrorum, pulchritudo, agilitas: aut ſunt bona externa, vt ſunt amicitiæ, opes, vxor ſpecioſa, pulchræ proles, dignitates, honores, potentiæ, & ſimilia, ad quæ reducuntur quædam ſupernaturalia dona iuſtis, & iniuſtis cómunia, quales ſunt gratiæ gratis datæ, vt donum linguarum, interpretatio ſermonum, gratia ſanitatum, &c. Quo poſito certum eſt apud omnes, hæc omnia ſupradicta poſſe licitè à Deo peti: & ratio eſt, quia licitum eſt in oratione petere id quod licitum eſt deſiderare, vt ait D. Aug. ad Probam. Atqui licitum eſt hæc omnia deſiderare, ergo licitum eſt ea in oratione petere.

QVÆSTIO CII.

Sed quod in dubium vertitur eſt, An hæc bona poſſint abſolutè, & determinatè à Deo peti.

RESPONDEO, & dico primò, quòd prioris generis bona poſſunt abſolutè, & determinatè à Deo peti. Et ratio eſt, quia hæc bona ſunt maximè per ſe honeſta, & amabilia & præcipuè à Deo intenta, & in gloriam ſuam, ac bonum noſtrum deſiderata, ergo abſolutè, & determinatè à nobis peti poſſunt.

Tum quia illa ſunt abſolutè petenda, quibus non

non poſſumus malè vti, & quæ ex ſe conducunt, vel neceſſaria ſunt ad æternam vitam: talia autem ſunt bona primi generis, ergo.

Hoc idem conſtat ex oratione Dominica, in qua ſimpliciter petimus: Sanctificetur nomen tuum: Adueniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.

Patet etiam exemplo Chriſti, qui vt exemplum nobis daret, rogauit abſolutè pro fide Petri, & pro remiſſione peccati crucifigentium ipſum. Hoc ipſum fecerunt ſancti, vt conſtat ex illo Pſal. 26. Dirige me in ſemita recta propter inimicos meos. Et ex illo Pſal. Oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. Item Eccleſia abſolutè petit: Omnipotens, ſempiterne Deus, da nobis fidei, ſpei & charitatis augmentum.

Dices, etſi hæc bona ſecundùm ſe ſint maximè appetibilia, nihilominus poſſumus ex illis ſuperbire, & ita illis aliquo modo abuti, & ideo non obſtante qualitate talium bonorum, reſpiciendo ad noſtram miſeram conditionem, debemus ea ſub conditione petere.

Reſpondeo, hanc occaſionem mali eſſe omnino per accidens, & extraneum reſpectu taliũ bonorum.

Secundò dico, quòd bona ſecundi generis non ſunt abſolutè, & determinatè à Deo petenda, niſi quatenus vel neceſſaria ſunt, vel vtilia, aut conuenientia ad æternam vitam, ſeu quatenus Deo placuerit ea conferre, & prout ipſe viderit expedire. Patet primò, exemplo Chriſti, qui cùm Patrem oraret, vt calicem eius transferret, rem totam reiecit in Patris voluntatem, dicens: Veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat.

Secundò

Secundò patet ex Dominica oratione, in qua petimus: Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra. Cui petitioni contraire videtur, qui abſolutè, & determinatè aliquid horum petit. Vnde filij Zebedæi à Chriſto repulſi ſunt, cùm abſolutè ab eo peterent, vt vnum poneret à dextris, & alterum à ſiniſtris in Regno ſuo. Neſcitis, inquit Chriſtus, quid petatis.

Tertiò patet ratione, quia iis poſſumus malè vti, & ſæpe ſunt nobis exitio, de quo certi eſſe non poſſumus, vt ait Apoſtolus ad Rom. 8. Quid oremus, ſicut oportet neſcimus: ergo temeritas quædam eſt illa abſolutè petere, ſed cum remiſſione ad Dei beneplacitum, ſi ipſa profutura cognouerit ad æternę beatitudinis conſequutionem. Vnde Gloſſa 2. Cor. 12. ait, quando temporalia petitis, cum modo petite, & cum timore ei committite, vt ſi proſint, det, ſi ſcit obeſſe, non det: quid enim proſit, vel obſit medicus nouit, non ægrotus. Hęc Gloſſa Auguſtini. Quare tenenda eſt Regula, quam tradit D. Auguſtinus, quem citat, & ſequitur Nauar. de oratione cap. 19. nu. 162. nimirum nos ſanctè petere poſſe à Deo bona temporalia, tum in genere, tum in ſpecie, non quidem propter ſe, & tanquam finem, ſed propter aliud, & tanquam inſtrumenta virtutum, vt ſic meliùs Deo ſeruiamus, & caſtiùs, iuſtiùs, temperantiùs, ſtudioſiùs, & ſanctiùs viuamus: adiecta tacite, vel expreſsè conditione, *ſi placuerit ſuæ Maieſtati*.

Ex quo infertur, in iſtis optimam orandi formã eſſe rogare Deum, vt nobiſcum agat, ſicut nouit expedire ad ſuam gloriam, & ſalutem noſtram.

Hinc, qui à Deo in oratione petit bona temporalia

ralia tanquam vltimum finem, peccat mortaliter. Et ratio eſt, quia affectus ad temporale bonum, vt ad vltimum finem, eſt peccatum mortale, contrarium dilectioni Dei ſuper omnia.

Tum quia poſtulare à Deo complementum huius deſiderij, ſeu affectus, ſpeciale peccatum eſt contra Religionem, quia eſt petere à Deo complementum praui deſiderij.

QVÆSTIO CII.

An ſemper ſit neceſſarium, quòd talis conditio in oratione exprimatur, an verò ſatis ſit, quòd virtute in petitione ſubintelligatur.

RESPONDEO ſatis eſſe illam virtute ſubintelligi: nec eſt opus, vt verbis explicetur, vt conſtat ex illo Prouerb. 30. vbi Salomon ſine aliqua conditione bona temporalia poſtulabat, dicens: Diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, ſed tantùm victui meo tribue neceſſaria. Item ex illa petitione orationis Dominicę: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Per quam ſuppono peti ſine conditione panem etiam corporalem, vt Chryſoſtomus, & alij exponunt.

Conſonat etiam illud Gen. 28. Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum, &c. erit mihi Dominus in Deum. Vbi petitio talium bonorum non ſolùm abſoluta eſt, ſed etiam voto confirmata.

Patet

Patet etiam ex vſu Eccleſiæ, quæ in litaniis, & collectis ſæpe abſolutè poſtulat, vt Deus pluuiam, vel ſerenitatem, vel fructus terræ dare, & conſeruare dignetur.

QVÆSTIO CIII.

Vtrùm ſit peccatum bona temporalia per ſe deſiderare & petere à Deo.

VALENTIA 2.2.diſp.6.q.2.p.5.affirmat. Putat enim petitionem iſtam, vt ſic non poſſe pertinere ad diuinum cultum, quia continet petitionem rei indecentis à Deo.

Mihi tamen placet opinio aliorum aſſerentium, quòd ſi is qui orat, ita ea deſiderat, ac petit, vt non curet, ſíntne ipſi futura ſalutaria, an nòn, peccat. Et ratio eſt, quia illa plus amat, quàm propriam ſalutem. Si tamen ſperet non futura nociua ſaluti, non videtur deſiderium, quo illa per ſe appetuntur, eſſe malum, modò ea cum moderatione appetantur, quia ſunt bona indifferentia. Vnde ſi quis ea ſic petit à Deo, non videtur peccare, nam Iudæi talia à Deo petebant, & talium bonorum in veteri teſtamento promiſſiones pro legis obſeruatione acceperant, ſi tamen deſiderium, & ſolicitudo modum excedant, peccatum eſt.

Tum quia huiuſmodi bona conferuntur à Deo in præmium, & remunerationem bonorum operum, quæ in ſtatu lethalis peccati fiunt, iuxta illud, Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona ter-

ræ, ergo peti poſſunt abſque peccato, præmium enim expeti poteſt.

Tum quia huiuſmodi oratio licet proficiſcatur à deſiderio habendi rem indifferentem, nihilominus petitio, ſeu deſiderium habendi rem indifferentem, ſi ex bono motiuo eliciatur, vel ſi res illa conſentanea ſit naturæ, non eſt indifferens, nec malum.

Tum quia actus circa rem indifferentem, ſi iuxta dictamen rectæ rationis fiat, bonus eſt in indiuiduo, vt docui in noſtro ſpeculo confeſſariorum. Dum autem huiuſmodi res in oratione petuntur, regulariter petuntur iuxta dictamen rectæ rationis, præſcribentis non ſolùm ea peti poſſe, quæ ad Dei cultum referuntur, verùm etiam quæ ad vitam noſtram traducendam conducunt: ſicut enim cuique à natura datum eſt, vt ſeipſum tueatur, & ſeruet: ita etiam tributum eſt, vt debitis vtatur mediis ad hunc finem obtinendum.

Tum demum, quia res indifferens non tollit bonitatem, quam actus ex ſua natura, & ex obiecto habet: oratio autem eſt actus ex ſua natura bonus, reſpiciens Deum tanquam obiectum.

Et ad fundamentum Valentiæ reſpondeo, negando huiuſmodi petitionem non pertinere ad Dei cultum, ſi fiat iuxta rationis dictamen, & ſine immoderato affectu, vel ſine periculo abutendi temporalibus bonis.

QVÆSTIO CIV.

An petere à Deo huiuſmodi bona temporalia ſit opus imperfectionis.

Svnt,

SVNT, qui affirmant. Quia conſilij Euangelici eſt, bona temporalia contemnere, iuxta illud Matth. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, vende quæ habes,& da pauperibus. Et illud Matth. 6. Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis: ergo opus imperfectionis eſt, hæc omnia poſtulare.

Ego autem in primis exiſtimo, quòd non eſt opus imperfectionis ea bona temporalia petere à Deo, quæ ad huius vitæ conſeruationem ſunt neceſſaria. Ratio eſt, quia vnuſquiſque ex charitate tenetur ſeipſum diligere, ac proinde ea bona quærere, quæ neceſſaria ſunt ad ſui conſeruationem, ergo ſi illa petat à Deo, non erit opus hominis imperfecti.

Secundò exiſtimo, quòd opus imperfectionis eſt, ea bona à Deo poſtulare, quæ ſuperflua ſunt, etiamſi ad bonum finem ordinentur. Ratio eſt, quia horum bonorum petitio, quamuis licita ſit, ſi id fiat ob bonum finem, ſemper tamen eſt valdè periculoſa, iuxta illud pſalm. 36. Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas. Et illud Prouerb. 30. Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi. Sed fieri non poteſt, vt ſit opus perfectionis ea bona petere à Deo, quorum poſſeſſio ſine periculo animæ non inuenitur, ergo illa petere, erit opus imperfectionis.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpondeo, falſum eſt, eſſe opus hominis perfecti ea bona temporalia contemnere, quæ ad vitæ conſeruationem ſunt neceſſaria. Nec obſtat illud Matthæi 19. Si vis perfectus eſſe,&c. quia Chriſtus eo in loco ſolùm conſuluit, vt ſolùm abiiciamus rerum tẽ-

poralium dominium, non autem vſum facti.

Ad illud verò Matth. 6. reſpondetur, ibi ſolùm prohiberi de huiuſmodi bonis nimiam, & anxiam ſolicitudinem, quæ perturbat animum: qui autem illa petit à Deo, non eſt anxius.

Dices, Matth. 6. Chriſtus dixit. Primùm quærite Regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Super quo Diuus Auguſtinus ait bona temporalia non eſſe quærenda.

Reſpondeo, Chriſtum eos tantùm damnare, qui principaliter de craſtino ſoliciti ſunt, quid ſ. cras comedent, quid induent, non tamen prohibet, quin minùs principaliter poſſint quæri & appeti.

Iterum obiicies illud Pſalmi 61. Diuitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Vbi videtur prohiberi affectus, & deſiderium diuitiarum.

Reſpondeo, Chriſtum contra eos loqui, qui diuitiis cor apponunt, quales ſunt, qui eas appetunt, & quærunt vt eis fruantur, finem ſuum vltimum in illis collocantes: non tamen damnat eos, qui diuitias poſſident, & petunt, vt eas in pias cauſas, & gloriam Dei expendant.

QVÆSTIO CV.

An liceat abſolutè petere in oratione omnes virtutes morales.

MEDINA C. de oratione negat. Quia multæ ſunt virtutes in ſpecie, quæ ſine bonis temporalibus haberi non poſſunt: ſed hæc non ſunt abſolutè, & determinatè petenda, ergo neque præfatæ

ſatæ virtutes. Minor propoſitio patet ex dictis. Maior verò probatur, de liberalitate, & magnificentia, quæ citra bona fortunæ comparari non poſſunt: & de fortitudine bellica, quam dicit citra arma,& vires haberi non poſſe.

Sed hæc opinio mihi non probatur, quia vt egregiè monet D.Thom. cum Magiſtro in 3. diſt. 31.quæſt.2.art.4.& 1.2.quæſt.67.ar.1.virtutes morales manent in patria,& tamen certum eſt,ibi nulla futura bona temporalia, quæ per liberalitatem, & magnificentiam diſtribuantur. Quare dicendum eſt in vniuerſum omnes virtutes morales eſſe abſolutè petendas.Et ratio eſt, quia omnis virtus ex ſe eſt bonum honeſtum, bonum autem honeſtum nulla ratione fieri poteſt,vt ſit periculoſum, & ſic non eſt,cur ſub conditione petatur.

Argumentum autem Medinæ ſolùm concludit, quantum ad exteriorem actum,ſeu exercitium virtutum moralium: quia licèt ille vſus ſimpliciter bonus ſit, nihilominus propter periculum non eſt abſolutè, & determinatè petendus,ſed adhibita cõditione: hoc tamen non obſtante, quoad ſubſtantiam earum, deſiderari, & peti poſſunt, immò & exercere, quoad affectum, & internum animi propoſitum, nam per ſe honeſtæ ſunt. Vnde vt aliquis ſit magnificus, aut liberalis, ſufficit voluntas efficax magnificè, & liberaliter operandi, quod autem in ipſis plus, aut minus poſſit, eſt per accidens.

Ex quo ſequitur, multos non habentes diuitias, poſſe,& ſolere ſæpius habere voluntatem dãdi, ſi eis abundarent,& multos debiles,& infirmos poſſe,& ſolere velle iuſtè pugnare, occidere, &

mori ob defenſionem Reipublicæ, ſi poſſent: Et hi actus ſunt proprij liberalitatis, & fortitudinis, ac proinde poſſunt eas gignere, quia illæ ſunt habitus, & habitus ex frequentatis actibus generantur.

Dices quandoque contingit, vt virtutibus abutamur, ergo etiam virtutes ſunt petendæ ſub conditione, ſi nobis profuturæ ſint ad ſalutem animæ.

Reſpondeo, hoc eſſe valde per accidens, non enim tunc ipſæ ſunt directè inſtrumenta peccati, ſed occaſionaliter, & remotè. At bona temporalia quia ſunt in ſe indifferentia, æquè poſſunt directè conferre ad æternam mortem, atque ad æternam vitam, & propterea cùm petuntur, opus eſt peculiari eorum relatione ad æternam vitam.

QVÆSTIO CVI.

Vtrùm auxilium ſufficiens ſit à Deo petendum.

ET, videtur quòd non, quia ſuperfluum eſt petere id quod ſcimus Deum ex ſe ſtatuiſſe omnibus dare, atqui tale eſt auxilium ſufficiens, ergo non eſt à Deo petendum.

Hoc tamen minimè ſuffragante, eſt contrarium dicendum. Ducor, quia licèt Deus paratus ſit ad dandum auxilium ſufficiens, tamen hanc ipſam voluntatem vult habere ſuum effectum, media oratione noſtra.

QVÆ-

QVÆSTIO CVII.

An liceat abſolutè petere auxilium efficax.

IN qua re, inprimis certum eſt, auxilium ſufficiens abſolutè eſſe petendum. Et ratio eſt, quia hoc ſemper eſt conforme diuinæ voluntati.

QVÆSTIO CVIII.

Sed totum controuerſiæ diſſidium verſatur, de auxilio efficaci, An ſcilicet ſit abſolutè petendum.

NONNVLLI negant, quia huiuſmodi auxilium omninò pendet ex diuina præordinatione, & ideo non videtur licitè illud petere niſi adhibita conditione.

Contraria tamen ſententia vera eſt, & tenenda, nempe, abſolutè eſſe deſiderandum, & petendum, ſicut etiam perſeuerantia in gratia; & æterna vita abſolutè deſideranda eſt; nulla quoad hoc habita ratione illius diuinæ voluntatis, qua quoſdam elegit, & efficaciter ordinauit ad gloriam per media congrua, quoſdam verò non ita elegit, aut ordinauit, quia nos non tenemur conformari huic voluntati diuinæ, ſed illius, qua vult nos procurare ſalutem noſtram, nam hoc eſt, quod ad nos ſpectat.

QVÆSTIO CIX.

An liceat abſolutè petere à Deo, tantam gratiæ perfectionem, quantam Beata Virgo habuit.

QVIDAM abſolutè negant, quia videtur temerarium, cùm ſit hoc omninò miraculoſum, & extra legem ordinariam prouidentiæ diuinæ.

Alij verò affirmant, quia tota illa ſanctitas ſecundùm ſe maximè appetibilis eſt, & quantum eſt ex parte noſtra, vnicuique eſſet maximè conueniens, ſi ei daretur, ergo.

Tum quia Deus ex ſe paratus eſt ad dandum nobis quamcunque perfectionem, aliàs quòd ſimus minus ſancti ex Deo eſſet, & non ex nobis, quod dici non poteſt. Pro quo

Dico primò, quòd loquendo de quodam affectu ſimplici, vel voluntate conditionata, quæ interdum exercetur ad excitandum affectum erga Deum, ſic non eſt illicitum deſiderare gratiam, & ſanctitatem, quam habuit Beatiſſima Virgo, quia hoc ſolùm eſt complacere in excellentia illius ſanctitatis, & in habenda illa, ſi nobis conferre Deo placuiſſet.

Secundò dico, quòd per modum intentionis efficacis, velle conſequi puritatem Beatæ Virginis, vel illam petere, animo, & fiducia eam obtinendi, temerarium eſt, quia eſt omnino miraculoſum, & contra legem ordinariam prouidentiæ diuinæ, etiam ſupernaturalis. Vnde quoad ſimiles effectus,

non eſt abſurdum concedere Deum ex ſe non eſſe paratum ad præſtandos, neque dediſſe media ſecundùm legem ordinariam ad obtinendam tantam gratiæ puritatem. Poteſt autem peti abſolutè tota illa ſanctitatis perfectio, quæ ſecundùm legem ordinariam comparari poteſt per media præſtituta à Deo, quæ ſine miraculo conferri ſolent.

QVÆSTIO CX.

An liceat orando petere à Deo abſolutè, vt nos à malis eripiat.

SVPPOSITO, quòd mala, à quibus petimus liberari, ſunt in duplici differentia, quædam enim ſunt, quæ ſimpliciter per ſe, & omnino mala ſunt, qualia ſunt mala culpæ. Alia verò ſunt mala quadam tantùm ex parte, qualia ſunt mala pœnæ. Nunc ad propoſitam quæſtionem reſpondeo, quòd à malis quidem culpæ ſimpliciter, & abſolutè à Deo petimus, vt nos eripiat; vt patet ex oratione Dominica, vbi abſolutè petimus, Dimitte nobis debita noſtra. Et, Libera nos à malo. A malis verò pœnæ adhibita conditione petimus liberari, exemplo Chriſti, qui cùm poſtularet, vt à ſe calix tranſiret, rem totam Patris voluntati ſubiecit, dicens: Veruntamen, non mea, ſed tua voluntas fiat.

QVÆSTIO CXI.

An liceat in oratione petere à Deo aliqua mala, ſibi, vel aliis.

ET quidem certum eſt, nullo modo licere mala culpæ, vel ſibi, vel aliis quantumcunque inimicis imprecari, aut illa petere à Deo. Ratio eſt, quia hoc eſt contra charitatem, qua nos, & proximos diligere debemus.

QVÆSTIO CXII.

Sed tota difficultas eſt de malis pœnæ.

SED, reſpondeo, & dico primò, quòd non eſt de malum, petere hujuſmodi mala, vel ſibi, vel aliis. Ratio eſt, quia huiuſmodi mala, non ſunt mala ſimpliciter, ſed indifferentia, eruntque bona, ſi ob finem bonum, & honeſtum appetantur, ergo ex tali intentione licitè etiam peti poſſunt à Deo.

Secundò dico, quòd nullo modo poſſumus nos hæc mala nobis inferre. Ratio eſt, quia non quidquid licet deſiderare, licet facere, quia poteſt deſiderari, vt ab alio fiat, à quo licitè fieri poteſt. Sic Iob, & Paulus mortem deſiderabant, quam inferre ſibi non poterant.

Tertiò dico, quòd nõ licet petere hæc mala proximis, vt à nobis orantibus inferenda, vt petenda à Deo vires, & auxilium, quo poſſimus

de

de inimicis vindicare. Et ratio eſt, quia hoc eſt petere id quod facere nobis non licet, & ideo talis oratio non ſolùm Deó non placet, ſed etiam fit nobis in peccatum, iuxta illud Pſalmi 108. Et oratio eius fiat in peccatum.

Quartò dico, quòd non licet petere malum proximo, in malum eius, ibi ſiſtendo, quia hoc eſſet petere ex odio proximi, quod intrinſecè malum eſt.

Quintò dico, quòd non licet petere hæc mala proximo in vindictam iniuriæ, aut damni nobis illati. Ratio eſt, quia hoc nullam habet rationem honeſti, immò eſt contra præceptum de dilectione inimicorum.

Hinc malè orant, qui cùm non poſſint de inimicis vindictam aliunde ſumere, vel non audent, petunt à Deo, Domine vindica me.

Sextò dico, quòd licitum eſt in oratione petere inimicis mortem, exilium, paupertatem, &c. non ſolùm vt peccatum agnoſcant, & conuertantur, aut vt non tam grauiter peccent, ſed etiam in omnibus illis caſibus, in quibus licitum eſt nobis illis malum inferre, immò & illos interficere. Ratio eſt, quia quando inimici nos ioppugnant, aut noſtra bona iniuſtè inuadunt, licitè poſſumus ſeruata iuris forma illa mala eis inferre; habemus enim tunc bellum iuſtum, in quo omnia illa mala inferre licitum eſt, vt in noſtro Speculo confeſſariorum latè diximus, ergo etiam eſt licitum tunc illa mala eis optare, peteréque à Deo, vt ipſe ea inferat, nulla habita ratione conuerſionis eorum.

Hinc licitum eſt petere à Deo, vt è vita tollat

Tur

Turcam, aut tyrannum aliquem, vt ceſſent eorum peccata, & hæreſiarcham, vt finem eius hæreſes habeant, ſi aliter illud malum vitari non poteſt. Quia in tali caſu præferimus commune bonum priuato incommodo, vel poſtponimus corporale detrimentum ſpirituali, quod eſt officium charitatis. Vnde Cyrillus in quadam epiſtol. ad Auguſtinum orabat Deum, vt hæreticum quemdam, reſipiſcere nolentem occideret. Et Sancta Anaſtaſia rogabat Deum vt ſuum maritum Publium de medio tolleret, vt daret locum Sanctis, ſi non erat finaliter corrigendus.

Septimò dico, quòd licet petere mortem homini peccatori non abſolutè, ſed conditionaliter, ſi tandem ſe non ſit emendaturus. Et ratio eſt; quia qui perſeueraturus eſt in peccato uſque ad mortem, bonum eſt, vt quàm citiſſimè moriatur, cùm quantò citiùs obierit, tantò minùs peccabit, & tantò minùs in inferno cruciabitur: ſed omne id, quod habet rationem boni reſpectu aliorum, poteſt licitè peti, ergo & quòd ille moriatur.

Octauò dico, quòd homini iuſto licitum eſt mortem optare, illámque petere à Deo, ſi probabiliter timetur, ne diutius viuens damnandus ſit. Et ratio eſt, quia maximum Dei beneficium eſt, quòd iuſti eripiantur ab hoc ſæculo nequam, iuxta illud Sap. 7. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum illius, aut fictio deciperet animam eius. Sed quodcunque Dei beneficium eſt ſemper licitum petere ab illo, ergo & quòd iuſto mortem inferat, quando eſt timor quòd longior vita allatura eſt occaſionem peccandi.

Nonò

Nonò dico, quòd licitum eſt optare hæc incommoda temporalia proximo propter maiorem profectum eius ſpiritualem, nam hoc etiam eſt officium charitatis.

Decimò,& vltimò dico, quòd non ſolùm propter culpam vitandam, ſed etiam vt vitemus alias huius vitæ calamitates, quæ nobis inferunt moleſtiam, licitum eſt, nobis mortem optare, illámque petere à Deo. Quia vt dicit Sapiens Eccleſ. 30. Melior eſt mors, quàm vita amara. Sed è duobus malis minus licitè eligitur. Vnde Iob graui illa ſua miſeria oppreſſus, dicitur mortem optaſſe, pro illáque Deum oraſſe, nec in eo peccauit, vt Scriptura eo in loco affirmat. Et Helias 3. Reg. 19. huius vitæ, atque laborum, quos à Iezabella impia Regina perferebat, tædio affectus mortem optabat.

QVÆSTIO CXIII.

An bona temporalia per Chriſtum peti poſſint, aut debeant.

ET quidem certum eſt, ſpiritualia omnia per Chriſtum peti poſſe, ac debere, vt ex infrà dicendis conſtabit.

Sed tota difficultas conſiſtit, de bonis temporalibus.

In qua re etiam eſt certum, bona temporalia quatenus ſunt adminicula virtutum, peti poſſe per Chriſtum. Et ratio eſt, quia talia bona ſub ea ratione conſiderata ſpiritualia cenſentur. Vnde ſub

merito

merito cadere poſſunt, & ideo etiam Chriſtus illa nobis promeruit. Vnde Eccleſia quando ſalutem corporalem, pluuiam, ſerenitatem, victoriam contra inimicos, & alia huiuſmodi petit, concludit orationem, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Quia ſemper poſtulat hæc bona in ordine ad ſpiritualem ſalutem, vt in oratione pro infirmis ait: vt reddita ſibi ſanitate, gratiarum tibi in Eccleſia tunc referant actiones. In oratione pluuiæ: Vt præſentibus ſubſidiis ſufficienter adiuti ſempiterna fiducialiùs appetamus. Et ſic de aliis.

QVÆSTIO CXIV.

Totum ergo huius controuerſiæ diſſidium eſt, quando hæc bona poſtulantur à Deo tantùm propter commoditatem naturæ, recta ratione regulatam.

Svnt qui negant, quoniam petere aliquid per Chriſtum eſt propter eius merita poſtulare, at Chriſtus non meruit nobis temporalia bona ſub ea oratione ſpectata, quia non venit, vt hæc temporalia commoda nobis mereretur, ſed vt ſalutem æternam, & media ad illam obtinendam, nobis obtineret, ergo non poſſumus nos temporalia bona hoc modo conſiderata per ipſum poſtulare. Quod etiam voluit ſignificare D. Auguſtinus tract. 73. & 102. in Ioannem, quando dixit: Non petitur

in nomine Saluatoris, quidquid petitur contra rationem ſalutis.

Mihi tamen placet opinio aliorum aſſerentium, quacunque ratione boni honeſti hæc bona petantur, poſſe peti per Chriſtum. Et ratio eſt, quia quidquid ipſe Chriſtus in oratione ſua petere docuit, poteſt per ipſum poſtulari: atqui ipſe docuit petere etiam ſubſidium temporale dicens: Panem noſtrum quotidianum, ergo.

Tum quia, quidquid petitur ſub ratione boni honeſti, etiamſi à petente non referatur ad altiorem finem, ex ſe eſt aptum referri, & eſt quoddam adminiculum quo adiuuemur ad obtinendam beatitudinem, & ex parte Dei ſemper datur propter hunc finem, ergo iuſtè poteſt peti per Chriſtum.

Tum quia qui prudenter, & ex vera fide, & Religione huiuſmodi bona à Deo petit, non abſolutè, ſed tacitè ſub remiſſione ad ipſius beneplacitum, ſi ipſe profutura cognouerit ad æternæ ſalutis conſequutionem ea poſtulat, ergo hoc ſatis eſt, ac ſufficit, vt talia poſſimus per Chriſtum poſtulare. Vnde arbitror Chriſtum nobis meruiſſe hæc bona temporalia, quatenus ſunt inſtrumenta virtutum, & quamuis à nobis quandoque illa petuntur, ad hunc finem non referantur, ſemper de ſe conferunt ad illum finem, & à Deo ſub ea ratione ſemper traduntur.

Patet etiam hoc ex vſu Eccleſiæ, quæ ſemper per Chriſtum petit, etiamſi interdum temporalia petat, non facta expreſſa mentione profectus ſpiritualis, vt in multis orationibus contra perſecutores, vel pro peſte animalium, &c.

QVÆSTIO CXV.

An Deus orari poſſit non ſolùm in virtute meritorum Chriſti, verùm ètiam Sanctorum.

RESPONDEO affirmatiuè, vt conſtat ex illo pſal. 131. Memento Domine Dauid, & omnis mãſuetudinis eius. Et ex illo Danielis cap. 30. Ne auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham ſeruum tuum.

QVÆSTIO CXVI.

An qui à Deo petit aliquid, quod eſt peccatum mortale, peccet mortaliter.

RESPONDEO, eum peccare mortaliter duplici ratione. Primò propter malam voluntatem quam habet committendi illud peccatum. Secundò propter contumeliam quam per talem petitionem Deo irrogat, faciendo eum authorem peccati. Vnde vtramque hanc malitiam neceſſariò tenetur in confeſſione explicare.

QVÆSTIO CXVII.

An qui à Deo petit aliquid, quod eſt peccatum veniale, peccet mortaliter.

ET videtur quòd non, cùm ſit de re leui. Contrarium tamen arbitror eſſe dicendum, quo

quoniam ſi is qui ita Deum precatur, ſcit eſſe peccatum, quod petit, & nihilominus à Deo id petit, grauem ei infert iniuriam; quia quantum in ſe eſt, deſtruit infinitam Dei bonitatem, quæ non patitur ſecum approbationem alicuius peccati: & eſt peccatum blaſphemiæ, quia dum ſciens, & prudens petit à Deo quod ſcit eſſe peccatum, inſinuat Deo placere tale peccatum, atque ex conſequenti Deum non eſſe ſummè bonum. Vnde in hoc caſu reſpectu Dei non poteſt dari materia leuis, ſed tota eſt grauis; ſicut in iuramento aſſertorio, ſemper eſt peccatum mortale, etiam ſi mendacium, quod iuratur, ſit de re leuiſſima, quia facere Deum teſtem falſi, ingens blaſphemia eſt, ita ergo petere ab illo, vt ſit aut hoc peccati, etiam minimi, valde eſt illi iniurioſum, ac proinde peccatum mortale.

QVÆSTIO CXVIII.

An qui à Deo petit rem indifferentem, id eſt, nec turpem, neque honeſtam, nec relatam ad honeſtatem, aliquod peccatum committat: Vt ſi quis dum ludit, petit à Deo fœlicem exitum, & lucrum, nihil aliud quàm lucrum reſpiciendo.

RESPONDEO cum peccare. Et ratio eſt, quia petit rem indecentem à Deo. Et in hoc omnes Auctores conueniunt.

QVÆSTIO CXIX.

Sed dubium eſt, An peccet mortaliter.

AIVNT quidam eum peccare mortaliter. Mihi autem videtur dicendum, eum peccare ſolùm venialiter. Ducor, quia qui ſic Deum precatur, non petit rem, quæ ſine peccato fieri non poteſt, nam cùm ſit indifferens, quantum eſt ex ſe, poteſt ſine peccato deſiderari, aut fieri; & quamuis peccet, qui ſine fine honeſto id deſiderat, aut petit, tamen qui ſic orat, non petit ipſam carentiam honeſti finis; ſed ſolùm rem indifferentem; & licèt ipſe in modo petendi, peccet, tamen quia ipſe non petit modum, ſed rem, quæ poteſt haberi ſine peccato, ideò non petit à Deo peccatum: ac proindè licèt illa oratio bona non ſit, non eſt tamen mortalis.

Ex his omnibus infertur primò, eum peccare mortaliter contra virtutem Religionis, qui iniuria affectus rogat Deum, vt opem ei conferat ad vindictam ſuæ iniuriæ authoritate priuata faciendam: & qui prouocatus ad ſingulare certamen, antequã ad locum deſcendat, orat Deum, vt victoriam obtineat: vel rogat Deum vt ipſe citra matrimoniũ aliqua muliere potiatur: vel iniuſtè litigans, petit opem à Deo, ne cauſa cadat, ſed vincat: vel tandem rogat Deum, vt frater ſuus maior moriatur, quò ſuccedat in eius hæreditatem, vel primogenituram. Ratio horum omnium eſt, quia his omnibus petitur, quod non licet, quódque peccatum eſt.

Secundò

Secundò infertur, peccaſſe matrem filiorum Zebedæi, quæ petiit à Domino vt eos collocaret in ſuo Regno, vnum ad dexteram, alterum verò ad ſiniſtram. Et ratio eſt, quia petiit quod non debebat, nimirum ſedes gloriæ temporalis in Regno temporali, & quia etiam ſi petiiſſet ſedes gloriæ ſpiritualis, eas nec dum merebantur, ſecundùm Bedam ſuper cap. 10. Marci. Et quia petebat primos accubitus, poſtpoſitis cæteris Apoſtolis, ſecundùm Caietanum ſuper cap. 20. Matthæi.

Tertiò, & vltimò infertur, eos peccare, qui aliquid poſtulant à Deo ob honorem, vel gloriam vanam. Ratio eſt, quia licet poſtulent quod debent, non tamen petunt in finem debitum, & conſequenter deficit circunſtantia boni finis.

QVÆSTIO CXX.

An quæ oratione vocali petuntur debeant ſemper voce exprimi.

RESPONDEO minimè. Ratio eſt, quia Deus intuetur cor, & ſcit, antequam petamus, quibus rebus indigemus, eſt enim ſignum maioris fidei, & ſpei, neceſſitatem in genere Deo proponere. Vnde à ſanctis Patribus oratio Marthæ, & Magdalenæ, qua dixerunt, Ecce quem amas, infirmatur, nihil ampliùs addendo. Et oratio Cananeæ; Filia mea malè à Dæmonio vexatur: & Centurionis oratio: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, maximè commendatur.

QVÆSTIO CXXI.

Quænam ſint, quæ deſiderantur ad hoc, vt oratio infallibiliter ſit impetratoria.

ET quidem, vt oratio ſit meritoria, vel ſatisfactoria pro peccatis, ſatis eſt, ſi ex charitate fiat, vt habetur 1. Cor. 13.

QVÆSTIO CXXII.

Sed dubium eſt, Quotnam requirantur, vt oratio ſit infallibiliter impetratoria.

IN qua re etiam eſt certum, dari aliquam orationem infallibiliter impetratoriam. Patet ex multis ſacræ Scripturæ locis. Et primò ex teſtamento veteri, vt Pſal. 49. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Et Pſal. 65. Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me. Vnde D. Auguſtinus. Securi, inquit, de pollicitatione ipſius, non deficiamus orando, & hoc ex beneficio ipſius eſt, propterea dixit, Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me. Cùm videris non à te amotam deprecationem ſuam, ſecurus es, quia non eſt à te amota miſericordia eius. Et in teſtamento nouo conſtat ex illa promiſſione facta à Chriſto Matth. 7. & Lucæ 11. Petite, & accipietis; &, Omnis qui petit, accipit. Et Ioannis 16. Si quid petieritis

petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et alibi. Quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis.

Qvæstio CXXIII.

Sed quod in dubium vertitur, eſt ſcire, quot, & quænam conditiones requirantur, vt oratio ſit efficax ad impetrandum.

Respondeo decem. Prima conditio eſt fides, de hac enim ſcribit Apoſtolus ad Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Et Sanctus Iacobus in ſua canonica prima: ſi quis indiget ſapientia, poſtulet eam à Domino. Et ſequitur: Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Non ergo exiſtimet homo ille qui hæſitat, quòd accipiet aliquid à Domino. Et ipſe Dominus Matth. 9. Creditis, quia hoc poſſum facere vobis. Et eiuſdem cap. 21. Si habueritis fidem, & non hæſitaueritis, non ſolùm de ficulnea facietis, ſed & ſi huic monti dixeritis, Tolle, & iacta te in mare, fiet. Et ſequitur: Et omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes, accipietis. Et rurſus: Quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Et Marci 9. vbi cuidam petenti liberationem filij ſui à Dæmone, dixit Dominus: Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti. Et eiuſdem cap. 11. Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & eueniet vobis. Et Ioannis 14. Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Vnde Apoſtolus qui precibus à Domino

impetrauerat, vt pedibus ſuper aquam adueniret, cùm venti procellam inter ambulandum animaduertiſſet, ſtatim animo concidit, moríque cœpit, ac proinde audire meruit eam vocem, Modicæ fidei quare dubitaſti? Vnde D. Auguſtinus. Si fides deficit, oratio perit. Et Diuus Bernardus, Cæleſti benedictione indignus conuincitur, qui Deum dubio quærit affectu. Ex quibus apertè colligitur fidem eſſe neceſſariam ad efficaciam orationis. Cuius ratio ea eſſe poteſt, quia orationis promiſſio per ſe primò ordinatur ad aſſequutionem ſalutis æternæ, iuxta illud Matth. 7. Quærite primùm Regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Fides autem eſt principium, & fundamentum ſalutis, ſecundùm illud Pauli Heb. 11. Accedentem ad Deum, oportet credere. Et ideo promiſſio non fit orationi, niſi ex fide procedat.

QVÆSTIO CXXIV.

Sed quæres, de quo obiecto, vel de qua materia oportet eſſe talem fidem.

ET quidem certum eſt, hoc non de abſoluta fide eſſe intelligendum, quia non tenemur dum oramus, nobis perſuadere, obtenturos nos eſſe quod petimus. Nam Paulus cùm 2. Cor. 12. petebat ſibi auferri ſtimulum carnis, ex fide profectò orabat, & tamen non erat certus, ſe accepturum, quod petebat, ſed contrarium potius illi reuelatum eſt. Eodem modo hæſitaſſe videtur Dauid

uid 2. Reg. 12. quando orans Deum, pro ſalute filij dicebat: Quis ſcit, ſi fortè donet eum mihi Dominus? ſicut & Niniuitæ dicebant Ionæ 3. Quis ſcit, ſi conuertatur & ignoſcat Deus? Quos tamen ex fide oraſſe, effectus monſtrauit. Sed ſolùm de fide, qua certò credamus Deum eſſe potentiſſimum, ſapientiſſimum, clementiſſimum, iuſtiſſimũ, ac in ſuis promiſſis fideliſſimum: ideóque poſſe,& ſcire, ac etiam velle facere,quod petimus, ſi & nobis expediat, & ex parte noſtra non ſit impedimentum, de quo tamen certi eſſe non poſſumus:nec conſequenter ſcire certò poſſumus Deum eſſe abſolutè facturum, quod petimus. Vnde nulla eſt abſoluta promiſſio Dei, qua certi efficiamur, nos abſolutè, quidquid petierimus impetraturos, cùm ſemper intelligatur ſubintellecta conditio; ſi debito modo petierimus.

Secunda conditio eſt ſpes,ſeu fiducia, qua diuinæ benignitati firmiter innixi, certò confidamus Deum conceſſurum eſſe quod petimus, iuxta illud Pſalm.90.Quoniam in me ſperauit, liberabo eum, clamauit ad me, & ego exaudiam eum. Et illud 1. Timoth. 5. Quæ autem verè vidua eſt, & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus, & orationibus nocte, & die. Et illud Daniel. 3. Non eſt confuſio confidentibus in te. Et cap. 13. Exclamauit omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum, qui ſaluat ſperantes in ſe. Hanc fiduciam quæſiuit Dominus in paralytico, cui dixit Matth. 9. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Eandem quęrit Apoſtolus ad Hebr. 4. cùm ait: Adeamus ergo cum fiducia ad Thronum gratiæ, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus,

in auxilio opportuno. Huic autem fiduciæ opponitur hæſitatio: nam qui hæſitat, quaſi hæret, & non audet petere: fiducia verò impellit ad opus, & ſi vehemens ſit, facit poſtulare magno affectu, & efficacitate, quod bene explicat ſimilitudo, quam adducit Iacobus in ſua canonica dicens. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur, & circunfertur. Quia qui hanc fiduciam non habet, neque in deſiderando, neque in petendo, habet ſtabilitatem. Hoc etiam optimè declarant verba Pauli ad Rom. 4. vbi de Abraham dicit, quòd contra ſpem in ſpe credidit. Et infrà. In repromiſſione Dei non hæſitauit diffidentia, ſed confortatus eſt fide.

Ad obtinendam autem hanc impetrandi ſpem, atque fiduciam, multa faciunt. Primò ipſa propenſa in nos Dei voluntas, ſumma eiuſdem in omnibus dictis, & promiſſis exoluendis conſtantia: numerus eorum qui Deum exorauerunt penè infinitus: tum verò ſummus ille precator, qui nobis ſemper præſto adeſt Chriſtus Dominus, de quo Ioannis 1. 2. ait. Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Paulus quoque Rom. 8. Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, immò qui reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.

Tandem ſpem noſtram roborat ipſe Spiritus ſanctus, qui eſt noſtræ orationis author. Accepimus enim Spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba Pater. Vnde Caſſian. collat. 9. c. 32. Signum certum, inquit, impetrationis eſt,

cùm

cùm quis in oratione ſentit magnam impetrandi fiduciam: Deo ſ. in corde orantis quandam lætitiæ ſuauitatem infundente. Deus enim quando non exaudit,non infundit fiduciam, cùm verò exaudire decernit, fiduciam, & lætitiam ingentem in corde orantis infundit.

Eſt autem circa hanc conditionem cauendum, ne fiducia tranſeat in præſumptionem,& ideo dicit D.Bernardus, orationē ita debere eſſe cum fiducia, vt tamen ſimul ſit cum humilitate,quia fiducia illa debet principaliter fundari in Deo,& non in ſe,vnde dicitur Pſalm.101.Reſpexit in orationem humilium,& non ſpreuit preces eorum. Et Eccl.35.Oratio humiliantis ſe,nubes penetrat.

Dices,ergò qui orat,non poteſt ponere fiduciam aliquam in propriis meritis,conſequens eſt falſum, ergo,& id,vnde ſequitur.Sequela probatur ex multis ſacræ Scripturæ locis, vbi conſtat bona opera multùm conferre ad dandam vim orationi, vt ſit impetratoria, vt ex illo Tob. 4. & Iſai. 58. vbi petuntur opera miſericordiæ, & poſtea ſubiungitur: Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet. Et ex illo Pſalm. 33. Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum.

Reſpondeo,non dicimus nos merita propria nihil valere ad hoc vt oratio ſit impetratoria, ſed quòd non debet principaliter fiduciam impetrandi ponere in ſuis meritis,ita vt credat ratione meritorum ſibi eſſe debitum,quod petit, quia in hoc magnum eſt periculum ſuperbiæ,& deceptionis, quod declarauit Chriſtus Dominus in parabola de Phariſæo,& publicano Lucæ 18. Poſſunt tamen interdum conſiderari opera noſtra ad expellendam ni-

miam puſillanimitatem, recognoſcendo ſemper illa tanquam beneficia Dei, & concipiendo ſpem, non in nobis, ſed in ipſo, qui illa contulit: & hoc modo legimus interdum ſanctos in oratione ſua commemoraſſe præcedentia merita, vt Ezechias Iſa. 38. Obſecro Domine, memento, quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto. Et Dauid Pſal. 118. In toto corde meo exquiſiui te, ne repellas me à mandatis tuis.

Tertia conditio eſt charitas, qua bene affecti ad Deum obſequamur mandatis eius. Hæc conditio petit, vt inquiramus.

QVÆSTIO CXXV.

An charitas ſit omnino neceſſaria ad efficacem impetrationem orationis?

SVnt, qui affirmant eſſe neceſſariam, & probant per illud Ioannis 15. Si vos manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Et per illud eiuſdem Ioannis in prima ſua canonica, cap. 3. Chariſſimi ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habeamus ad Deum, & quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus. Et illud Pſalm. 33. Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Et rurſus: Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſaluos faciet eos. Cui à contrario conſonat illud pſalmi 65. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet

exaudiet Dominus. Et illud Prouerb.21.Qui declinat aures ſuas,ne exaudiat legem, oratio eius erit execrabilis. Et illud Ioannis 9. Scimus, quia Deus peccatores non audit.Et illud Iſa.1,Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Quem locum D. Baſilius præclara ſimilitudine illuſtrat,velut ſi quis (inquit) filium alicuius vnicè dilectum neci tradiderit, íſque manus ſanguine filij cruentatas ſupplex prece porrigat ad patrem: an non reſponderemus filij ſanguinem in manibus filicidij, acriùs exarcebare patrem tali iniuria affectum? Itaque vt oratio certò impetret, oportet eam procedere ex radice charitatis. Quòd ſi peccatores interdũ à Deo exaudiantur, id non eſt tribuendum virtuti orationis ipſorum,ſed vel virtuti fidei in Chriſtum, iuxta illud Act. 3. Fides quæ per eum eſt, dedit integram ſanitatem iſtam. Sicut & perpetratio miraculorum de qua Domino dicturi ſunt reprobi, Matth. 7. Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Aut certè iræ Dei, vt quòd Iſraelitæ in deſerto impetrarunt carnes, Numeror. 11. De quo in Pſalm. 77. Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos. Vnde Auguſt. tract. 73.in Ioannem: Metuendum eſt, inquit, ne id, quod poſſet non dare propitius, det iratus. Aut demum extraordinariæ cuidam benignitati, qua Deus vult peccatorem beneficiis ad ſuum amorem allicere. Vnde Gregorius ſuper Iob: Sunt nonnulli intra Eccleſiam, qui prolixas ad Deum preces habent, ſed vitam deprecantium non habent. Et in dialogis: Quid mirum, ſi poſtulantes tardè à Domino

exaudi

exaudimur, qui præcipientem Dominum tardè, aut etiam nullo modo audimus. Et in Moralibus: Clamorem anguſtiæ tempore Dominus non audit, qui tranquillitatis tempore in præceptis ſuis ipſe clamantem Dominum non audiuit. Et Iſidorus: Non poteſt habere precum certam fiduciam, qui adhuc in præceptis Dei pigritat, & quem peccandi recordatio delectat. Qui à præceptis Dei auertitur, quod in oratione poſtulat, non meretur: nec impetrat ab illo bonum, quod poſcit, cuius legi non obedit. Et iterum: Si id quod Deus præcepit facimus: id quod petimus ſine dubio obtinemus. Et D. Aug. in libro de opere Monach. Citiùs exauditur vna obedientis oratio, quàm decem millia contemptoris.

Alij contra negant, charitatem eſſe ſimpliciter neceſſariam ad impetrandum. Pro quo

Primò dico, quòd in hoc cauendum eſt, ne quis putet peccatorem nunquam exaudiri à Deo, hoc enim ſentire, erroneum eſt, cùm Luc. 18. publicanus qui erat peccator, & ideo extra charitatem, indulgentiam impetrauerit, orans: Deus propitius eſto mihi peccatori. Eſt etiam cauendum, ne quiſpiam exiſtimet peccatorem ſemper exaudiri à Deo, quod eſt adeò clarum ex diuinis Scripturis, vt vix videatur probatione huius rei opus eſſe, clariſſima namque ſunt teſtimonia illa Ioannis 1. ſuæ canon. c. 3. Pſalm. 65. Prouerb. 21. Iſa. 1. &c.

Secundò dico, quòd licèt Deus libentiùs audiat iuſtos, quàm peccatores, tamen ſi peccator petat bona conducibilia ad ſalutem, ſemper exauditur à Deo, dummodo aliqua ex conditionibus neceſſariò requiſitis ad impetrandum,

non

non deficiat. Et ratio huius eſt, quia promiſſiones Chriſti generales ſunt, & non limitatæ, ergo oratio ſiue ſit iuſti, ſiue iniuſti impetratoria eſt.

Tum quia orationis vis in impetrando, non fundatur in dignitate perſonæ, ſed in miſericordia diuina, & verbo eius, ergo indignitas peccatoris non obſtabit impetrationi etiam infallibili, ſi alia neceſſaria concurrant.

Tum quia Lucæ 18. Publicanus peccator erat, & tamen deſcendit iuſtificatus in domum ſuam. Quo exemplo adductus D. Auguſtinus tract. 44. in Ioannem dicit, cæcum illum non fuiſſe adhuc illuminatum, cùm dixit: Scimus quia peccatores Deus non exaudit. Si peccatores, inquit, Deus non exaudiret, fruſtra publicanus oculos in terram demittens, & pectus ſuum percutiens diceret: Deus propitius eſto mihi peccatori.

Tum quia nunquam Deus hortaretur peccatores ad petenda ſua dona, niſi illa eſſet petentibus conceſſurus, Deus enim, & natura nihil faciunt fruſtra; Sed Deus hortatur, vt conſtat ex illo Matth. 7. Petite, & dabitur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur, ergo. Vnde D. Chryſoſtom. in imperfecta Matth. homil. 18. expreſsè docet hanc promiſſionem non ſolùm ad iuſtos, ſed etiam ad peccatores pertinere. Quod colligit ex illa particula, *Omnis*, quæ vniuerſalis eſt. Hoc idem tenent D. Auguſt. tract. 44. in Ioannem. Et lib. 2. contra Epiſtol. Parmeniani cap. 8. Diuus Baſilius in conſtitut. Monaſt. capit. 1. & D. Thomas 2. 2. quæſt. 83. artic. 16. loquens de oratione

pecca

peccatoris, ſimpliciter ait, eam fore exaudiendam, ſi habeat omnia neceſſaria ad efficaciam orationis.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpondeo, illa teſtimonia ſacræ Scripturæ, quæ dicunt Deum non exaudire orationes peccatorum, intelligenda eſſe, quando ſcilicet peccatores petunt prauum aliquod opus; vel temporalia bona ex deſiderio peccandi, tunc enim Deus eos non exaudit, iuxta illud Iacobi in ſua can. cap. 4. Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis. Vel dic, quòd Deus non audit orationem peccatoris ab eo vt tali, hoc eſt, peccando factam, etiamſi veniali duntaxat peccato ſit irretita, ſaltem in vtilitatem eius. Nulla enim actio, quæ aliquo reſpectu eſt peccatum, ſaltem veniale, eſt Deo accepta, & oratio peccatoris facta ab eo vti tali, hoc eſt peccando, eſt peccatum ſaltem veniale.

Dixi *ſaltem in vtilitatem eius*, quia in eius damnum ſæpius audit Deus; & concedit poſtulata in punitionem malæ petitionis, iuxta illud S. Auguſt. in ſerm. 55. de verbis Domini: Deus quædam negat propitius, quæ concedit iratus.

Nec obſtat ſententia illa: Scimus quia peccatores Deus non exaudit; quia intelligenda eſt de oratione poſtulante miracula, quibus confirmetur ſimulata ſanctitas, eam enim non exaudit, quia non poteſt teſtificari falſum: vel vt dicit D. Auguſtinus, fuit ſententia cæci non adhuc illuminati. Vnde quando dicunt Doctores ad efficacitatem orationis neceſſariam eſſe charitatem, intelligendi ſunt de charitate, actu vel virtualiter, nimirum ex bono naturæ deſiderio, ita petendo, vt

poſſit talis petendi actus tanquam omnino bonus, & per ſe ad gloriam Dei pertinens, proficiſci ex charitate. Quod fit, ſi is qui petit, non habeat animum peccandi, ſed potius placendi Deo, & obſeruandi mandata eius, vt eleganter exponit ille omniſcius D. Thom. 2. 2. quæſt. 83. ar. 16. ad 2.

Quarta conditio eſt, vt oratio ſit de re bona, & honeſta, vt patet ex definitione orationis ſuperiùs tradita. Oratio eſt petitio decentium à Deo. Vnde oratio de re mala non meretur nomen orationis, quia licèt ſic interdum appelletur propter generalem rationem petitionis, iuxta illud Pſalmi 108. Oratio eius fiat in peccatum: tamen, vt nunc de oratione agimus, prout eſt actus virtutis Religionis, nomen orationis non meretur. Vnde promiſſiones Chriſti ad talem orationem non ſpectant.

Quinta conditio eſt, vt id quod petitur, neceſſarium ſit ad ſalutem, vel ad illam conducat, maiuſque animæ bonum non impediat. Iuxta illud 1. Ioan. 5. Hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcunque petierimus ſecundùm voluntatem eius, audit nos. Quid autem ſecundùm voluntatem eius petendum ſit, indicatur per illud Matt. 6. Primùm quærite Regnum Dei, & iuſtitiam eius, &c. Vnde in oratione Dominica præmittitur petitio beatitudinis, cùm dicitur: Adueniat regnum tuum. Et Iacob. 4. Petitis, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in concupiſcẽtiis veſtris inſumatis. Et ratio huius ea eſſe poteſt, quia vt ab æterno Patre aliquid impetremus, illud petẽdũ eſt in nomine Chriſti filij ſui, qui nobis illud meruit. At Chriſtus

Dominus

Dominus nobis non meruit, niſi quæ ad ſalutem noſtram conducunt, ergo. Vnde D. Auguſtin. in tractat. 102. in Ioan. ſuper illud eiuſdem cap. 16. Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis: ſic ait: Non petitur in nomine Saluatoris, quidquid petitur contra rationem ſalutis. Ergo vt oratio ſit efficax ad impetrandum, opus eſt, vt quod petitur, neceſſarium ſit, vel vtile ad ſalutem. Et quia interdum neſcimus, an quod petimus, ad beatitudinem conducat, ſcit autem Deus: ideo opus eſt, vt omnia noſtra vota Deo committamus. Nam quid oremus, ſicut oportet, inquit Paulus, neſcimus. Vnde ſi ſæpe iuſti oratio non exauditur, ideo eſt, quia id quod petitur, ipſi oranti non expedit. Sicut non expediebat Paulo, quòd Deus exaudiret illum, quando vt auferret ab eo ſtimulum carnis à Domino petebat, etiam ſi inſtanter id petierit, vt ipſe dicit 2. Cor. 12.

Illud tamen eſt hîc obſeruandum, quòd quando dicimus id quod petimus debere eſſe vtile ad ſalutem, non intelligitur ſolùm de vtilitate, quam poteſt res ex ſe habere, ſed quam de facto, & reipſa habitura eſt; multa enim poſſunt eſſe ex ſe vtilia, quæ nouit Deus futura eſſe noxia petenti, & hoc ſatis eſt, vt miſericorditer non concedantur, ac proinde vt oratio eâ parte non ſit infallibilis, vt patet ex oratione Pauli. Vnde Chryſoſtom. hom. 30. in Gen. rectè monet agendas eſſe Deo gratias, non minùs cùm negat, quàm cùm tribuit id quod petimus. Et D. Aug. tract. 73. in Ioannem dicit, inter alia, quæ petimus, cùm bene petimus, illud & eſſe debere, vt petamus nobis non dari, quod ignorantes non benè petimus. Et alibi: Nos in oratione audiri,

non

non tamen ſemper ad voluntatem noſtram, ſed ad vtilitatem quæ eſt ſalus noſtra, & gloria Dei, quod hoc exemplo declarat. Medicus (inquit) ſecat, ſcindit, vrit vulnus, clamat ægrotus, nec Medicus tollit manum, niſi ſecuerit, quantum putat expedire: non propterea crudelis eſt Medicus, aut clamantem infirmum non exaudit, quia à ſecando non ceſſat. Si enim vulneri parceret, capite, & vita periclitaretur ægrotus. Sic Deus tanquam Medicus ſalutaris, & tanquam benignus Pater, petita non concedit, vt ſanet, vt in perpetuum ignoſcat, vt erudiat, & vt merita noſtra auctiora & copioſiora reddat. Secat, & vrit hîc, vt in futuro parcat: denegat poſtulata, vt longè vtiliora, maiora, & meliora concedat. Putant orantes ſe non exaudiri, quia petita non impetrant: neſciunt tamen ſe fructuoſiora, magíſque ſalutaria recipere.

Sexta conditio quæ requiritur ad infallibiliter impetrandum, eſt perſeuerantia, vt oſtendit Dominus Luc. 11. exemplo illius, qui panes neceſſarios accommodauit, improbitate amici deprecantis deuictus. Et exemplo iudicis iniqui Deum non timentis, & homines non reuerentis, qui improbitate viduæ victus, vindictam fecit ei de aduerſario ſuo, Lucæ 18. In quibus locis apertè docemur, non ſatis eſſe Deum orare, etiamſi amici eius ſimus, niſi in oratione perſeueremus, vt certa ſit noſtræ petitionis impetratio. Atque in hoc ſenſu dicitur Luc. 21. Vigilate omni tempore. Et Eccleſiaſt. 18. Ne impediaris orare ſemper. Et ad Rom. 12. Orationi inſtate. Et 1. ad Theſſal. vltimo, Sine intermiſſione orate. Quæ quidem perſeuerantia conſiſtit, non quidem in eo, vt ab oratione nunquam ceſſemus

(quod eſt nobis impoſſibile in hac vita) ſed vt nullas orandi occaſiones, ſiue noctu, ſiue interdiu oblatas negligamus. Vel dicitur, quòd oportet ſemper orare, & non deficere, id eſt, non deſiſtere quouſque fiat, quod in oratione petitur. Vnde D. Chryſoſtom. in libro de compunctione cordis ait: Ab oratione non recedas, donec accipias finem poſtulati. Et B. Gregor. in moralibus ait: Virtutis pondus oratio non habet, quam nequaquam perſeuerantia continui amoris tenet. Ratio autem huius conditionis ea eſſe poteſt, quia expedit ſæpe, vt Deus non ſtatim concedat quod poſtulamus, vel quia non ſumus pro tunc ritè diſpoſiti ad illud recipiendum: vel quia tunc non erit nobis vtile, quod petimus, erit autem poſtea: vel vt res poſtulata in maiori habeatur æſtimatione, & deſiderium eius creſcat: vel denique vt fides noſtra exerceatur. Vnde D. Aug. ſerm. 5. de verbis Domini ait: Si aliquando Dominus tardiùs dat, commendat dona, non negat ea, quoniam diu deſiderata dulciùs obtinentur: citò autem data vileſcunt, petendo, & quærendo creſcis, vt capias, ſeruat tibi Deus, quod non vult citò dare, vt & tu diſcas magna magnè deſiderare. Et Nilus lib. de oratione cap. 32. Ne petas à Deo imperiosè, quod ſtatim velis impetrare, vult enim te beneficiis afficere in oratione perſeuerantem. Quid enim excellentiùs, quàm cum Deo colloqui, & vſu eius detineri: & hæc eſt vis Deo grata. Vnde non abs re dixit Beatus Iacobus in ſua canonica: Multùm valet deprecatio iuſti aſſidua.

Septima conditio eſt, vt qui orat, pro ſe oret, & non pro alio. Hæc conditio petit, vt inquiramus.

QVÆSTIO CXXVI.

An hæc conditio ſit ſimpliciter neceſſaria.

DIuus Thomas 2. 2.quæſt. 83.artic.15.& 16. quem communiter ſequuntur Scholaſtici,docet hanc conditionem eſſe ſimpliciter neceſſariam.Quod colligit ex verbis illis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.Ioan. 16. Et iterum Quæcunque petieritis in nomine meo,accipietis.Et alibi : Omnis qui petit , accipit , & qui quærit,inuenit.Vnde D.Aug. tract.102. in Ioannẽ. Sanè(inquit)intelligendum eſt,quod ait:Dabit vobis:vt ea beneficia ſignificata intelligantur his verbis,quæ ad eos qui petunt , propriè pertinent. Exaudiuntur omnes Sancti pro ſeipſis,non autem pro omnibus exaudiuntur,vel amicis vel inimicis ſuis, vel quibuſlibet aliis:quia non vtcunque dictum eſt, dabit,ſed dabit vobis.

Ego verò contrarium verius puto, nimirum hanc conditionem non eſſe ſimpliciter neceſſariam , ſed promiſſionem eſſe vniuerſalem , ſiue vnus pro ſe, ſiue pro aliis oret , modò ex parte aliorũ non adſit incapacitas,nec cæteræ conditiones deſint.Et ratio huius eſt,quia aliis in locis fit abſoluta promiſſio,vt Ioannis 14.Quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam.Et alibi.Omnis qui petit,accipit,& qui quærit,inuenit.Et eiuſdẽ in ſua canonica c.5. Hæc eſt fiducia,quã habemus ad Deũ, quia quodcunque petierimus:ſecundũ voluntatem eius audit nos. Et iterum.Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatũ non

ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem.

Et confirmatur, nam quando pro aliis oramus, poſtulamus ſecundùm voluntatem Dei, qui hoc nobis in Scriptura ſummopere commendat, iuxta illud eiuſdem: Orate pro inuicem vt ſaluemini. Ex quibus omnibus clarè patet generalem eſſe promiſſionem, non ſolùm pro nobis, ſed etiam quando pro aliis precamur.

Dices, qui orat pro alio, non poteſt eius oratio eſſe infallibilis, quia non ſemper ille, pro quo orat, eſt ad recipiendum idoneus.

Reſpondeo, ſi hæc ratio concluderet, etiam probaret orationem vniuſcuiuſque pro ſeipſo non eſſe pro certo impetratoriam, quia non ſemper qui pro ſe orat, eſt diſpoſitus ad recipiendum, quod poſtulat. Vnde oratio etiam pro ſeipſo habet ſubintellectam illam conditionem, ſi ſit ad recipiendum idoneus, & ſic oratio vnius pro alio debita fuſa ex parte orantis ſemper exauditur, ſi alter non ponat impedimentum. Vnde cùm dicit D. Thomas, ad efficaciam orationis neceſſariò requiri, vt oratio fiat pro ipſomet orante, eſt, ac ſi diceret, oportere, vt is pro quo petitur, ſit ad accipiendum diſpoſitus.

Octaua conditio eſt humilitas, qua is qui orat, non in ſuis meritis, ſed in Dei benignitate confidat, iuxta illud Danielis 9. Neque in iuſtificationibus noſtris, proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Et illud pſalm. 101. Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum. Et Eccleſiaſt. 35. Oratio humiliantis ſe, nubes penetrabit, & donec

pro

propinquet,non conſolabitur,& non diſcedet,donec Altiſſimus aſpiciat.Et Iudith 9. Humilium,& manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio. Et Iacob. 4. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.Et pſalm.50.Cor contritum,& humiliatum Deus non deſpiciet.Et Geneſ. 18. Loquar ad Dominum, cùm ſim puluis, & cinis. Vnde D. Bernardus ſerm. 5. de quadrageſima, fortaſſis aliqui non in humilitate quærunt,ſed tanquam in fiducia ſuorum meritorum.Nec hoc dico, quin accepta gratia, fiduciam doceat orandi, ſed nõ oportet, vt in ea conſtituat quiſquam fiduciam impetrandi.Et infrà.Sit(inquit) oratio in omni humilitate, præſumens de ſola,vt dignum eſt,miſeratione diuina.Et D.Gregor.in moralibus. Ille Deo veram orationem exhibet,qui ſemetipſum cognoſcit, quia puluis ſit:humiliter videt,qui nihil ſibi virtutis tribuit,qui bona quæ agit, eſſe de miſericordia conditoris agnoſcit.Vnde vt huius humilitatis neceſſitatem Dominus commendaret, parabolam illam Publicani, & Phariſæi narrauit Luc. 18. Dixit enim eam parabolam ad quoſdam, qui in ſe confidebant, tanquam iuſti, & aſpernabantur cæteros,vt ipſe Euangeliſta teſtatur.Humilitate obtinuit Cananæa à Chriſto, quod voluit, catello ſe comparans, cùm Chriſtus eam cani comparaſſet Matth.15.& Marc.7.&Matth.8.poſt illud verbum humile Centurionis, Domine non ſum dignus,vt intres,&c.dictum eſt ei à Chriſto, Sicut credidiſti, fiat tibi. Et Lucæ 15. poſtquam filius prodigus dixit: Non ſum dignus vocari filius tuus: pater occurrens cecidit ſuper collum eius.

Nona conditio eſt deuotio, id eſt, ſtudium attentè,

tentè, diligenter, & cum feruore orandi, vt conſtat Iſai. 29. citato à Domino noſtro Matth. 15. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Et ex illo Iere. 48. vbi maledictus pronunciatur, qui facit opus Dei negligenter. Oritur autem hæc deuotio ex fide. Qui enim attentè & firmiſſima fide cogitat, quanta ſit Maieſtas Dei, quanta vilitas noſtra, quàm magna res, quam petimus, vix fieri poteſt, vt non humiliter, reuerenter, & ardenter ad orandum accedat. Vnde D. Bernardus in ſerm. de 4. modis orandi. Omnino oportet nos orationis tempore curiam intrare cæleſtem, illã vtique curiam, in qua Rex Regum ſtellato ſedet ſolio, circundante innumerabili, & ineffabili beatorum ſpirituum exercitu. Quanta ergo cum reuerentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude ſua procedens, & repens ranuncula vilis: quàm tremebundus, quàm ſupplex, quàm denique humilis, & ſollicitus, & toto intentus animo, Maieſtati gloriæ, in præſentia Angelorum, in Concilio iuſtorum, & congregatione aſſiſtere poterit miſer homuncio. In cunctis igitur actionibus noſtris multa eſt opus animi vigilantia, ſed præcipuè in oratione.

Decima, & poſtrema conditio eſt, vt qui orat non prætermittat media congrua ſibi poſſibilia, ad acquirendum quod petit. Et ratio eſt, quia qui aliquid à Deo petit, ad cuius exequutionem ipſe humana remedia conuenientia habet, per quæ illud acquiri poteſt, & ſolet, & ea negligens à ſolo Deo illud ſperat, hic non videtur Deum orare, ſed tentare, ſecundùm D. Thom. 2. 2. q. 97. ar. 1. ad 3.

Hinc qui nititur ſola oratione bona temporalia à

lia à Deo impetrare prætermiſſis mediis naturalibus: aut ſi à Deo remiſſionem peccatorum petat, & medium ad eam ordinatum dimittat, ſ. pœnitentiam: aut ſi ſcientiam petat, & ipſe lectioni vacare nolit: aut ſi ſanitatem petat, & ipſe medicos, ac medicinam negligat, indignus eſt, vt à Deo exaudiatur, quia, vel irridet, vel tentat Deum. Vnde Chriſtus reprehendit duos diſcipulos filios Zebedæi, qui cùm peterent cum Chriſto in Regno eius ſedere, & medium ad id eſſet, tollere crucem & ſequi Chriſtum, de medio tamen non cogitabant. Et ideo meritò Chriſtus eos interrogauit dicens: Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum. Valent. 2.2. diſp. 6. q. 14. punct. 1.

His igitur conditionibus concurrentibus, nulli debet eſſe dubium, quin eius oratio à Deo exaudiatur, ſítque impetratoria, quandoquidem Chriſtus ad id ſua ſe promiſſione obligauit, & quanquam non ſtatim vota orantis Deus compleat, non propter hoc diffidendum eſt, quia nobis perſeuerantibus adimplebit. Differt enim aliquando vota complere prout ipſe ſcit ad gloriam ſuam, aut ſalutem noſtram magis expedire. Vnde D. Auguſt. Ipſe Dominus, qui dare vult, differt dare, vt ampliùs deſideres, quod differtur, & vt deſiderando capax inueniaris, vt cùm venerit, ampliùs implearis. Et iterum ait: Qui nos hortatur, vt petamus, & cui diſplicet, ſi non petimus, ſi aliquando tardiùs dat, commendat dona, non negat.

Hîc tamen vnum notare oportet, hæc omnia ſupradicta non eſſe omnino neceſſaria, vt oratio ſit impetratoria, quia multis ex his deficientibus ſolet Dominus poſtulata concedere, non ex vi

promiſſionis, ſed ex ſua gratia, & liberalitate. Tamen ſi hæc omnia adſint, ex debito promiſſionis ad votum condeſcendet orantis.

Obiicies, ſi poſitis his conditionibus, oratio eſt omnino impetratoria, cur ſacra Scriptura addit particulam illam *fortè*, cùm agit de oratione peccatoris.

Reſpondeo, quòd hoc facit, vel quia incertum eſt, an is qui orat, habeat diſpoſitionem ſufficientem ad obtinendum quod petit. Quo ſenſu dixit Apoſtolus ad Simonem Magum Act. 8. Pœnitentiam age, & roga Deum, ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Et Daniel 4. Forſitan ignoſcet Deus delictis tuis. Vel quia non ſolùm poſtulatur quod ad ſalutem æternam neceſſarium eſt, ſed etiam remiſſio alicuius pœnæ temporalis huius vitæ, quæ per ſe nôn habet infallibilem impetrationem, ſicut orauerunt Niniuitæ Ion. 3.

Dices, interdum fit, vt quamuis homo in oratione adhibeat omnia ad illam requiſita, tamen non ſtatim exauditur, ergo oratio tunc non eſt infallibilis.

Huic obiectioni reſpondet D. Aug. tract. 102. in Ioannem ſic. Qui (inquit) in nomine Chriſti petit, accipit, quod petit, accipit autem quando debet accipere: quædam enim non negantur, ſed vt congruo dentur tempore, differuntur. Et iterum ſuper pſalm. 65. Ne deficias in oratione, Deus quod conceſſurus eſt, etſi differt, non aufert: non leuitate vtitur: qui promiſit, non facilè de ſententia mouetur, quod promiſit, eſt fixum: fallere non poteſt, habet vnde faciat.

QVÆ

QVÆSTIO CXXVII.

An poſitis his conditionibus oratio ſit impetratoria ex iuſtitiæ debito.

MEDIN. C. de orat. q.17. cenſet concurrentibus his omnibus conditionibus, impetrationem orationis eſſe ex iuſtitia, quia eſt veluti præmium debitum ex condigno ratione promiſſionis ſub talibus conditionibus, quas vt ſuppono, implet is, qui orat. Huius opinionis videtur fuiſſe D. Auguſt. qui ſuper cap.5. ad Rom. ait: Si Deus confugientes ad ſe, non reciperet, eſſet in eo iniquitas, aut iniuſtitia.

Sed verius, ac probabilius multò eſt, orationem eſſe impetratoriam ex fidelitate, non autem ex iuſtitia. Ducor: nam ad rationem debiti ex iuſtitia requiritur æqualitas ex parte operationis, oratio autem remuneratur æqualiter per augmentum gratiæ, & gloriæ, ergo res alia quæ iuſto datur, eſt vltra æqualitatem, & ideo non debetur ex iuſtitia.

Tum quia meritum de iuſtitia non eſt neceſſarium ad efficacitatem orationis, nam Beati non ſunt capaces meriti, & tamen ſunt capaces impetrationis etiam infallibilis.

Tum quia iuſtus dum orat, non fundatur in ſuis meritis, ſed in infinita Dei miſericordia, iuxta illud Danielis 9. Non in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed

in miſerationibus tuis multis.

Tum etiam quia peccator nulla iuſtitiæ lege poteſt obligare Deum, cùm ipſe poſſit eum de iuſtitia damnare, & tamen habet in eo locum infallibilis impetratio, vt rectè docet D.Thom. 2.2.q.83. art.16.vbi ait, peccatorem poſſe impetrare, licèt non poſſit mereri, quia meritum innititur iuſtitiæ, impetratio autem innititur gratiæ.

Tum denique, quia non quæuis promiſſio ſufficit ad inducendum debitum iuſtitiæ diuinæ, ſed opus eſt, vt ſit promiſſio conferendi aliquid in cõpenſationem operis. In hoc autem caſu non eſt talis promiſſio, nam oratio non compenſatur, ſed exauditur. Vnde Deus tantùm promiſit ſe infallibiliter daturum poſtulata, ſi adſint prædictæ conditiones, non quidem ex iuſtitiæ debito, in compenſationem ipſius orationis, ſed ſolùm ex fidelitate, & miſericordia. Vt ſi v.g. aliquis promitteret ſe ſemper daturum eleemoſynam pauperibus, is daret quidem ſemper ex promiſſione, ſed tamen ſolùm ex fidelitate & miſericordia.

QVÆSTIO CXXVIII.

Sed quæres, Quare Deus non ſtatim concedit quod petimus.

Respondeo, quòd hoc facit primò vt creſcat in nobis deſiderium talis rei. Vnde D. Aug. inquit, Seruat tibi Deus, quòd non citò vult dare, vt tu diſcas deſiderare. Quia iuxtà D. Greg. deſideria dilatióne creſcunt: ideo inquit Ouidius.

Niti

Nitimur in vetitum ſemper, cupimúſque negata.
Secundò, vt meliùs cuſtodiatur donatum, & charius habeatur, iuxta illud Proſperi:

Gratior eſt fructus, quem ſpes productior edit.
Et illud Caſſiodori lib. 9. epiſt. epiſt. 44. Habet hoc humana conditio, vt celeriter adepta faſtidio ſint. Quando ergo Deus aliquid rarò concedit, illud hominibus gratius eſſe ſolet, iuxta illud Senecæ. Quod gratioſum vis habere, rarò effice: omne enim rarum charum, vt dicitur in Auth. de conſult. §. 1. Et in cap. legimus §. ſed dices 93. diſt. dicitur, quòd omne rarum eſt pretioſum.

QVÆSTIO CXXIX.

Quot, & quænam ſint cauſæ, ob quas interdum in oratione Deus poſtulata non concedit.

RESPONDEO, decem. Prima eſt peccatum orantis iuxta illud Iſai. 1. Cùm multiplicaueritis orationes veſtras, non exaudiam: manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Et eiuſdem 59. Peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret. Et illud Thren. 3. Nos iniquè egimus, & ad iracūdiam prouocauimus, idcirco inexorabilis es. Et illud pſalm. 65. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo non exaudiet Dominus.

Secunda eſt orantis dubietas, iuxta illud Iacobi 1. Poſtulet in fide, nihil hæſitans: non enim exiſtimet homo ille quòd accipiat aliquid à Domino. Vnde D. Bernar. Indignus cæleſti benedictione eſſe

conuin

conuincitur, qui Deum dubio quærit affectu.

Tertia eſt indignitas eius,pro quo oratur, iuxta illud Ierem.7. & 11.Noli orare pro populo iſto, neque aſſumas pro eis laudem, & orationem, quia non exaudiam. Et illud eiuſdem 15. Si ſteterint Moyſes, & Samuël coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum.

Quarta eſt, quòd non petitur,quod petendum eſt, quia ſ.vile eſt,quod petitur, vel fortè ſuperuacaneum,aut noxium petenti,iuxta illud Iacobi 4. Petitis,& non accipitis,eò quòd malè petatis.Quędam enim Deus negat propitius, & cócedit iratus, prout B.Paulum petentem liberari à ſtimulo carnis non exaudiuit:Iſraëlitas verò ardentes concupiſcentia carnium exaudiuit quidem, ſed confeſtim eorum concupiſcentiam caſtigauit. Magna itaque Dei benignitate vota noſtra non exaudiuntur,quia multò ampliora dona nobis exinde proueniunt.

Quinta eſt ſuperbia,iuxta illud pſal.101.Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum.Et illud Iudith:Humilium,& manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.

Sexta eſt diuinæ legis contemptus, iuxta illud Prouerb. 28. Qui declinat aurem ſuam, ne audiat legem,eius oratio erit execrabilis.Vnde D.Greg.in Mor.Omnipotens Deus ſæpe eius preces in perturbatione deſerit,qui pręcepta illius in tranquillitate contemnit. Et iterum. Dignum profectò eſt, vt ab eius beneficiis ſit quiſque extraneus, cuius iuſſionibus non vult eſſe ſubiectus.

Septima eſt implacabilitas in iniuriis,iuxta illud Matth.6. Cùm ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habebitis aduerſum aliquem, & ſi non dimiſeritis

ſeritis hominibus, nec Pater meus dimittet vobis peccata veſtra. Et illud Eccleſ. 28. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Vnde Iſid. Duobus modis oratio impeditur, ne impetrare quiſque valeat poſtulata, hoc eſt: ſi aut quiſque adhuc mala committit: aut ſi delinquenti ſibi debita non dimittit.

Octaua eſt durities, & inhumanitas erga pauperes, iuxta illud Prouerb. 21. Qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, clamabit ipſe, & non exaudietur.

Nona cauſa eſt prauitas deſiderij. Vnde D. Aug. Seruat tibi Deus, quod non vult tibi citò dare, vt diſcas magna magnè deſiderare. Et Greg. in Moral. Æternam vitam ſi ore petimus, nec tamen corde deſideramus, clamantes tacemus, iuxta illud pſalm. 31. Tacui, dum clamarem tota die.

Decima, & vltima cauſa eſt, defectus perſeuerantiæ in orando, iuxta illud Luc. 11. Si perſeuerauerit pulſans. Et illud Pſalm. 65. Benedictus Deus qui non amouit orationem meam à me. Vnde D. Auguſt. Si non eſt amota oratio ſecurus eſto, quòd nec miſericordia.

QVÆSTIO CXXX.

Vtrùm intentio, ſeu propoſitum orandi, ſeu petendi aliquid à Deo, ſit de ſubſtantia orationis.

RESPONDEO affirmatiuè. Et ratio eſt, quia oratio ex ſuo genere eſt actus Religionis, Religio autem

autem eſt virtus voluntaria, ergo vt oratio ſit actus Religionis, debet proficiſci ex intentione ex ſuo genere pertinente ad Religionem, quæ ſaltem eſſe debet intentio orandi, & petendi aliquid à Deo.

Tum quia oratio eſt locutio cum Deo, non loquitur autem cum Deó, niſi qui dirigit ſermonem ad ipſum per intentionem ſuam: ſicut etiam inter homines non loquitur vnus cum alio, nec vnus Angelus cum alio, niſi per voluntatem, ordinando ad alterum cogitationem ſuam, vt poſt, & ante multos alios tradit Nauar. de oratione cap. 13. nu. 14.

Hinc, qui recreationis gratia, vel ſtudij, diuinum officium recitat, munus orandi non implet, nec Eccleſiæ præcepto ſatisfacit, ac proinde peccat mortaliter, quia non orat, nec laudat Deum, quod tamen ei præceptum eſt, oratio enim ſine animo orandi, non eſt oratió. Vnde non ſatis eſt verba petitionis exteriùs proferre, niſi cum affectu orandi, & petendi id fiat, nam dormiens, amens, aut infans ſimilia verba proferentes, non orant.

QVÆSTIO CXXXI.

Vtrùm intentio orandi, ex obiecto debeat eſſe bona.

RESPONDEO affirmatiuè. Et ratio eſt; quia oratio debet eſſe de re decenti, & conſentanea diuinæ bonitati, talis autem petitio ex obiecto bona eſt, nam deſiderium obtinendi à Deo aliquid decens, & honeſtum ex obiecto bonum eſt.

Dices,

Dices, interdum oratio eſt petitio rerum temporalium, quæ non ſunt bona ex obiecto, ſed indifferentia, ergo.

Reſpondeo, vt talia bona temporalia licitè à Deo petantur, oportet vt ſaltem virtute in tali oratione ſubintelligatur conditio, ſi expedit, vel eſt vtilis ad ſalutem, & ſic petitio illa ex obiecto bona eſt, & honeſta.

QVÆSTIO CXXXII.

An intentio orandi neceſſariò debeat eſſe bona ſimpliciter.

RESPONDEO, quòd non. Et ratio eſt, quia quì habet intentionem orandi, & ex ea profert verba de ſe apta ad orandum, quamuis id agat ex intentione laudis humanæ, verè orat, quamuis non bene oret, nam non omnes circunſtantiæ orationis ſunt de ſubſtantia orationis.

Tum quia talis oratio eſt ſufficiens ad implendum præceptum Eccleſiaſticum de recitando diuinum officium, vt de ſe conſtat, ergo eſt verè, & propriè oratio, quia ad implendum præceptum vera oratio requiritur.

QVÆSTIO CXXXIII.

An huiuſmodi intentio debeat eſſe expreſſa, & formalis.

RESPON-

Respondeo, ſufficere implicitam, & virtualem. Et ratio eſt, quia ſimilis intentio ſufficit ad quemcunque actum moralem. Talis eſt in eo, qui habet voluntatem ſatisfaciendi ſuæ obligationi, vel implendi ſuum munus, vel in eo, qui ſi interrogaretur, quid faciat, reſponderet, ſe id facere ad recitandum. Ita Nauar. de oratione cap. 13. num. 15. & Suar. lib. 3. cap. 3. num. 6.

QVÆSTIO CXXXIV.

An ad ſatisfaciendum præcepto, ſatis ſit voluntas, qua clericus breuiarium manu capit, aut Eccleſiam petit, ibi recitaturus, quamuis poſtea recitet inuoluntariè diſtractus.

Respondeo ſufficere, nam eo ipſo, quo quis voluntariè aliquid iſtorum, more ſolito facit, animum habet perſoluendi munus ſuum, ac proinde intentionem habet attendendi, cùm intentio non ſubſiſtat, ſine attentione, & attentio quaſi neceſſariò conſequatur intentionem orandi.

QVÆSTIO CXXXV.

Quidnam ſit attentio.

Respondeo, quòd eſt intellectus aduertẽtia ad id, in quod voluntas tendit. Vnde attendere

nihil

nihil aliud eſt, quàm animum habere præſentem ad id, quod dicit, nēpe, vt quod lingua foris perſonat, mens ſimul intus concipiendo loquatur, iuxta illud D. Auguſtini in ſua Regula. *Hoc verſetur in corde, quod profertur in ore.*

QVÆSTIO CXXXVI.

Quotuplex ſit attentio.

Respondeo duplex, ſ. interna, & externa. Attentio interna eſt illa, qua quis attendit animo ad Deum vel res diuinas, excitátque in ſe erga Deum reuerentiam.

Externa verò eſt, quæ eſt circa externam pronunciationem, & totius corporis compoſitionem, qua quis exteriùs ſe gerit in ſpeciem orantis, abſtinétque ab illis actionibus externis cum quibus attentio interna eſſe nequit.

Rurſus attentio eſt triplex, ſ. ſuperficialis, literalis, & ſpiritualis. Prima eſt, qua attenditur ad verba tantùm nempe, vt ea rectè, & integrè dicantur.

Secunda eſt, qua attenditur ad ſenſum literalem verborum, non quidem ſecundùm grammaticam ipſorum interpretationem, ſed ſecundùm etiam ſenſum, quem docti habere poſſunt.

Tertia verò eſt, qua attenditur ad finem orationis, nempe ad Deum, cum quo loquimur: vel Chriſti paſſionem per quam mens noſtra erigitur ad contemplandam diuinam bonitatem, potentiam, ſapientiam, & iuſtitiam, &c. aut Virginem ſanctiſſi-

mam,& alios Sanctos, aut ad id, quod precibus à Deo impetrare intendimus, ſ. gratiam, fidem, ſpem, charitatem, peccatorum remiſſionem, cæleſtem patriam, & alia huiuſmodi peti ſolita.

Prima igitur attentio ad verborum prolationem infimum gradum tenet inter attentionum genera, nec illam ſecundùm Sotum lib. 10. q. 5. ar. 5. & Ara. 2. 2. q. 83. ar. 13. habere poteſt, niſi qui linguam Latinam nouit.

Ex quo inferunt clericos omnes eſſe debere Latinos, aliàs rectè, & integrè verba proferre nequibunt. Sed non placet, quia attentio illa principaliter conſiſtit in aduertendo, vt verba rectè, ſuóque ordine pronuncientur, quod etiam idiotæ poſſunt facere, & paſſim faciunt. Quare dicendum eſt, hanc attentionem communem eſſe doctis, & indoctis, maribus, & fœminis, niſi quòd idiotæ poſſunt materialiter errare, articulatè non proferendo, quod non refert, modò id non intendant, ſed ſtudeant, ne labantur.

Secunda attentio, quæ eſt ad verborum ſenſum, propriè non omnibus Latinis congruit, ſed tantùm Theologiæ peritis. Et hæc ſecunda attentio eſt melior prima.

Tertia verò, & vltima attentio omnibus ſpiritualibus hominibus eſt familiaris, etiam ſi ſint idiotæ. Iſti enim alia myſteria non callent, attendunt, dum orant, tum ad diuinam Maieſtatem, cum qua loquuntur, tum ad ſuam exiguitatem, qui loquuntur, tum ad eorum neceſſitatem, quæ poſtulant. Supremus autem ſcopus orandi eſſe debet, cor, & mentem, quàm maximè fieri queat, deificare. Quòd ſi vel in alios ſanctos, vel in ſacram Virginem, vel ad aliquod

quod paſſionis Chriſti myſterium attendatur, non ſic debet illic mens gradum figere, ac ſi vltimus eſſet ſcopus, ſed debet id tanquam medium accipi, per quod ad diuinitatem, quantum Deus dederit, aſcendatur. Et hæc attentio eſt omnium præſtantiſſima, vt egregiè monet D.Th.2.2.q.83.ar.13. Caiet. ibidem. Nauar. de oratione c.13.nu.35.& communis.

Tandem, quæuis ex his attentionibus poteſt eſſe triplex, ſ. formalis, virtualis, & habitualis.

Attentio formalis eſt illa, qua quis actualiter attendit ad id, quod pronunciat.

Attentio virtualis eſt, cùm quis aliquod opus aggreditur, animo attento illud perficiendi, & dum in opere verſatur, mens eius ad alia rapitur, non tamen ſua ſponte, nec ex propoſito, v. g. qui ad Domum Lauretanam proficiſcitur, non ſemper per viam de Domo Lauretana cogitat, & tamen totus ille acceſſus fit virtute primæ intentionis, vt ad illam perueniat.

Hinc, qui pſalmum incipit recitare, animo quidem attendendi, deinde verò nolens, variis cogitationibus huc, & illuc diſtrahitur, totus tamen pſalmus attentè recitatur, vi, & virtute primæ illius voluntatis, qua voluit attento animo pſalmum recitare.

Habitualis autem attentio eſt, cùm quis facit aliquid ex habitu, & vſu, nihil ad illud aduertens, vel nulla præcedente aduertentia, vt ſi quis canat in ſomnis ex habitu, iuxta quem in vigilia canere conſueuit.

QVÆSTIO CXXXVII.

Vtrùm in omni oratione neceſſaria ſit attẽtio.

ET quidem loquendo de oratione mentali, certum eſt, attentionem eſſe neceſſariam. Et ratio eſt, quia oratio mentalis tota cõſiſtit in attentione, cùm ſit merè actus internus, & attentione ceſſante, ceſſat oratio, vnde repugnat, mente orare, & non attendere, & ita nunquam eſt peccatum non attendere in oratione mentali.

QVÆSTIO CXXXVIII.

Tota igitur difficultas eſt, de oratione vocali.

IN qua re etiam eſt certum, aliquam attentionem eſſe neceſſariam in oratione vocali, quæ eſt ex præcepto, non ſolùm vt ſit bona, ſed etiam vt oratio ſit. Ratio huius eſt, quia oratio vocalis eſt quædam adoratio, hoc eſt, cultus Dei externus, ergo debet fieri in Spiritu, & in veritate, ergo requirit attentionem mentis, aliàs fiet in ſolo corpore, & non in Spiritu. Ideò 1. Cor. 14. dicitur, Orabo Spiritu, orabo & mente, pſallam Spiritu, pſallam & mente. Et 2. Cor. 14. Si orem lingua, mens mea ſine fructu eſt. Et ad Eph. 5. Cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Super quibus verbis dixit D. Hieronym. Audiant hi, quibus in Eccleſia eſt pſallendi officium Deo, non voce, ſed corde cantandum. Vbi gloſſa in cap. Cantantes, adiicit verſus illos dignos continua memoria.

Non muſica cordula, ſed cor,
Non clamor, ſed amor clamat in aure Dei.

QVÆSTIO

QVÆSTIO CXXXIX.

Totum igitur controuerſiæ diſſidium eſt de oratione, quæ omnino eſt voluntaria.

GABRIEL in Can. Miſſæ lect. 62. negat aliquam attentionem eſſe neceſſariam, itaut peccet orans, ſi attentionem non habeat. Et probat, quia cùm oratio in caſu poſito non ſit neceſſitatis, ſed voluntatis, ideo ſicut ſine peccato poteſt omitti talis oratio, ſic & ſine peccato poteſt abeſſe attentio.

Hoc tamen minimè ſuffragante, eſt contrarium omnino dicendum. Ducor, quia licèt aliquis non teneatur orare, tamen ſi orare vult, tenetur debito modo orare, ſicut qui hoſpitio excipit aliquem virum quem non tenetur præcepto excipere, peccat, ſi eum ſordidè, & immodeſtè tractet, vt conſtat ex cap. 1. Malach. vbi habetur, peccare eum, qui offert Deo, vel Principi hœdum cæcum, vel abominabilem, etiam ſi offeratur ab eo qui nullum tenetur eis offerre. Debet enim aut non excipere, aut non offerre, aut bene cum debitis circunſtantiis id facere. Quare etſi non teneatur orare, ſi tamen velit, & oret, tenetur debitam reuerentiam, & attentionem adhibere, ne irriſor, & contemptor apud Deum eſſe videatur.

Tum quia licèt homo non teneatur operari, tamen dum operatur, tenetur fine aliquo honeſto id facere, aliàs nonnihil peccatum committit.

Tum quia vocalis loquutio ad Deum ſine vlla prorſus attentione non eſt oratio, nam oratio eſt

aſcenſus mentis ad Deum, ſed qui profert verba ſine vlla attentione, nullo modo aſcendit ad Deum dc ergo reuera non orat.

Tum quia de ratione orationis eſt aliquod deſideratum à Deo petere, velle autem petere à Deo aliquod deſideratum, præſupponit attentionem, quæ eſt mentis aduertentia ad id, quod voluntas intendit, ſiquidem nil volitum, quin præcognitum, & ita omnis oratio prærequirit aliquam attentionem.

Tum quia qui orat ſine vlla attentione, non implet præceptum orandi: ergo ſignum eſt, illam vocalem prolationem tunc non eſſe orationem.

Tum etiam, quia qui habet genua flexa, & nullo modo ad Deum attẽdit, nullo modo adorat Deum, quia licèt habeat externam corporis poſitionem aptam ad ſignificandum cultum, tamen actu non ſignificat, quia in mente nullus eſt cultus; ergo ſimiliter qui profert verba ſine vlla attẽtione non orat, quia reuera orationem non indicat, vel falsò indicat. De qua Matth. 15. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Vnde D. Aug. Pſal. 39. Dicant labia, quod habet cor. & in epiſt. 109. Pſalmis, & hymnis dum oratis Deum, hoc verſetur in corde quod profertur in ore. Et alibi. Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, ſi mutum eſt cor. Et rurſus. Sicut vox ſine modulatione quaſi vox picarum: ſic oratio ſine attentione, quaſi mugitus boum. Et iterum: Plus Deo placet latratus canum, mugitus boum, grunnitus porcorum, quàm cantus clericorum mente vagantium. Et D. Greg. in quadam homilia. Illam orationem Deus non exaudit, cui homo, quando pſallit, non attendit. Et Iſid. lib. 3. de ſummo bono cap. 8. Oratio cordis eſt, non labiorum:

biorum:neque enim verba deprecantis Deus intendit:ſed orantis cor aſpicit, melius eſt cum ſilentio orare corde,ſine ſono vocis, quàm ſolis verbis ſine intuitu mentis.Et D.Baſil. dixit. Diuinum auxilium eſt implorandum,non remiſſiuè,nec mente huc,vel illuc euagante, eò quòd talis non ſolùm non impetrabit,quod petit, ſed etiam magis Deum irritabit. Et D. Bernardus in ſerm. c. 3. ſuper Cant. Immolantes hoſtias laudis,iungamus verbis ſenſum, ſenſui affectum, affectui exultationem, & exultationi grauitatem,grauitati humilitatem, & humilitati libertatem.

Hinc,non peccat,qui ſcienter animo minimè attento recitat aliquos pſalmos,vel hymnos,non animo quidem orandi,ſed vt mentem abſtrahat à moleſtis cogitatibus, vel vt memoriæ mandet, vel vt alium doceat modum recitandi officium, vel vt ſe recreet. Et ratio eſt,quia non illos per modum orationis,ſed tanquam mentis retinaculum eligit.

QVÆSTIO CXL.

Verùm attentio formalis, ſeu actualis ſit orationi vocali neceſſaria.

Respondeo non eſſe neceſſariam.Et ratio eſt, quia non eſt in poteſtate noſtra,quin diſtrahamur aliquando, iuxta illud Pſalm. 39. Cor meum dereliquit me.

Tum quia non obſtante hac diſtractione inuoluntaria, oratio vocalis vera oratio eſt, & per illam abundè adimpletur præceptum orationis,ergo talis attentio formalis non eſt orationi vocali neceſſaria. Ita D.Th.2.2.q.83.ar.13.ad 3.

QVÆSTIO CXLI.
Vtrùm attentio habitualis ad orationem vocalem ſufficiat.

RESPONDEO non ſufficere. Et ratio eſt, quia hęc non eſt vera attentio, & cum ea non ſubſiſtit oratio.

QVÆSTIO CXLII.
Vtrùm attentio virtualis ſit orationi vocali neceſſaria.

RESPONDEO eſſe neceſſariam. Et ratio eſt, quia ad ſatisfaciendum præcepto orationis, illa attentio requiritur, ſine qua non ſubſiſtit oratio, ſed oratio non ſubſiſtit ſine attentione ſaltem virtuali, ergo attentio virtualis eſt ad orationem vocalem neceſſaria.

Et confirmatur, nam qui voluntariè diſtrahitur, vel deprehendens ſe orare ſine actuali attentione mentis non curat mentem ſuam retrahere à diſtractione, hic non orat, nec implet præceptum orandi, ergo ad orandum validè, & ſine peccato, neceſſe eſt, accedere ad orationem cùm propoſito attendendi, & in ea perduret abſque propoſito directè, vel indirectè diuertendi mentem ad aliena, & incompoſſibilia interiori attentioni, & deuotioni. Quandiu autem homo ita perſeuerat orando, dicitur eſſe attentus virtualiter, quia licèt velle attendere, non ſit attẽdere in re, vt optimè dicit illuſtr. Caiet. 2. 2. q. 83. art.

art. 13. eſt tamen attendere in virtute primæ intentionis, ergo virtualis attentio neceſſaria eſt ad ſalutem, ſufficítque ad vitandum omnem culpam, & ad implendum præceptum.

Hinc, non cenſetur quis mutare propoſitum attendendi, eo ſolo nomine, quòd non attendat, niſi etiam aduertat ſe non attendere, ſed neque tunc, ſi procurat ſaltem mediocriter retrahere animum ab euagatione. Ratio eſt, quia donec quis totum illud aduertat, nondum habet ſufficiens principium in cogitatione, vt ſit illi liberum, retrahere mentem à diſtrahentibus.

Dixi notanter, *mediocriter*, quia ſecundùm D. Tho. in 4. diſt. 15. q. 4. ar. 2. q. 4. ſi ad eam repellendam adhibeatur magna, aut ſaltem mediocris diligentia, etiam ſi non retrahatur, euitatur culpa mortalis, & venialis, verùm ſi non adhibetur ad minus mediocris, peccatur venialiter.

QVÆSTIO CXLIII.

An peccet, qui voluntariè ſine attentione orat.

ET quidem loquendo de oratione, quæ eſt obligatoria, aut publica, certum eſt, eum qui ſponte ſine attentione orat, peccare mortaliter. Et ratio eſt, quia per illam orationem præceptum orandi non implet, vt poſt Diuum Tho. Caiet. Palud. Diuum Ant. & alios tenet Nauar. de oratione cap. 13. num. 46. ergo peccat mortaliter.

QVÆSTIO CXLIV.

Sed dubium eſt de eo, qui priuatim orat eo tempore, quo non tenetur orare.

IN qua re etiam eſt certum, eum qui non vult orare, ſed tantùm pſallere, vel vſurpare verba orationis materialiter, vt mentem ab aliis cogitationibus moleſtis abſtrahat, non peccare, non adhibendo attentionem. Et ratio huius eſt, quia hic formaliter non orat.

QVÆSTIO CXLV.

Tota igitur lis eſt de eo, qui formaliter vult orare.

GABRIEL in Canon. Miſſæ lect. 61. negat ex ſuo fundamento, quia hic non tenetur orare, ergo neque tenetur ad orationem attendere.

Contrarium tamen eſt proculdubio affirmandum. Ducor, quia oratio eſt aſcenſus mentis in Deum, quo à Deo aliquid decens petitur, qui igitur dum orat, mentem ad alia diuertit, talis non propriè orat, ſed potius Deum irridet, quia cùm ad Deum loquatur, & à Deo aliquod beneficium petat, faciem mentis retrorſum auertit.

Tum quia etiam inter homines, non parua irreuerentia eſt, loqui cum Principe, ad ipſum non atten

attendendo, neque ad verba, quæ ipſi dicuntur, maximè quando ex modo, & ſignis alter poteſt cognoſcere incogitantiam loquentis. Deus autem intuetur cor, & videt indebitum modum loquendi ad ipſum, ergo talis oratio non fit ſine peccato irreuerentiæ contra virtutem Religionis.

Tum quia ſi quis non ex præcepto, ſed ex libera ſua voluntate vult confiteri, vel celebrare, aut communicare, tenetur priùs ſe diſponere, ne Sacramento irreuerentiam faciat, ergo & qui vult orare Deum, & ab eo aliquid petere, etiam extra caſum neceſſitatis, tenetur attentionẽ adhibere, vt vitet irreuerentiam, quam Deo, ad quem loquitur, faceret, ſi ad Deum loquendo, mentis faciem retrorſum auerteret. Vnde D. Chryſ. hom. 1. ſuper illa verba Iſa. 6. Vidi Dominum. Qui cum Rege, inquit, terreno loquitur, de iis tantùm verba facit, de quibus ille voluerit audire, &c. tu verò cum Rege Regum colloquens, cui cum honore ſeruiunt Angeli, omiſſo cum illo ſermone, de luto, de puluere, de telis aranearum loqueris. Nihil enim aliud ſunt huius vitæ negotia, & quomodo ſuſtinebis iſtius contemptus pœnam? Quis te liberabit ab hac vindicta? Et D. Hier. aduerſus Luciferianos: Ad orationem, inquit, aſſiſto, non orarem, ſi non crederem: Sed ſi verè crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus, genas lachrymis rigarem, corpore inhorreſcerem, ore pallerem, iacerem ad Domini mei pedes, eóſque fletu perfunderem, crine tergerem, hærerem certò trunco crucis, nec priùs amitterem, quàm miſericordiam impetrarem. Nunc verò creberrimè in oratione mea, aut per porticus deambulo,

bulo, aut de fœnore computo, aut abductus turpi cogitatione: etiam quæ dictu erubeſcenda ſunt, gero. Vbi eſt fides? Sicne putamus oraſſe Ionam? ſic tres pueros? ſic Danielem inter leones? ſic certè latronem in cruce. Et D. Bonauent. lib. de perfect. vitæ cap. 5. Valdè indecens eſt, vt quis cum Deo loquatur ore; & aliud meditetur corde. Et ſubdit. Talis oratio nunquam exauditur à Deo. Et Diuus Cyprianus libro de oratione ait: ſegnitia eſt, alienari, & capi ineptis, & prophanis cogitationibus, dum Deum deprecaris. Quaſi ſit aliud, quod debeas magis cogitare, quàm quod cum Deo loquaris? Quomodo te audiri à Deo poſtulas, cùm te ipſum non audias? Vis eſſe Deum memorem tui, cùm rogas, quando tu ipſe memor tui non ſis. Et addit. Hoc eſt, cùm Dominum oras, Maieſtatem eius offendere. Tandem Hugo de S. Victore loquens de oratione dicit. Si cùm orationem fundimus, quodlibet aliud in corde verſamur, etiam ſi illud bonum ſit, à culpa liberi non ſumus. Quam doctrinam arbitror eſſe veriſſimam, ſi quis ſponte ab oratione voluntaria diſtrahatur, nam ſi non aduertenter, nec ex propoſito, ſed vel contra voluntatem, vel prẹter, alia diuerſa conſiderat, excuſationem habet, quia vt præclarè omniſcius, & omni pietate reſplendens D. Thomas dicit, mens humana propter infirmitatem naturæ, diu in altò ſtare non poteſt, pondere enim infirmitatis humanæ, anima ad inferiora deprimitur, & ideo contingit, quòd ſæpe mens ſubitò ex quadam infirmitate ſine aliquo propoſito vagatur: quando ergo orans omni qua valet diligentia cum Abraham abigit volucres, id eſt, volatiles cogitationes à ſacrificio

ſacrificio orationis, & cùm inuenit cor ſuum in oratione, quod fugitiuum pergit per varias cogitationes, feſtinat intrare cubiculum, id eſt, ſecretum mentis arcanum occultæ intentionis, quæ ſoli Deo per orationem placere deſiderat, tunc ſi mens diſtrahatur, nulla videtur eſſe culpa, quia vt dicit D. Hieronymus, Deus non præcipit, quod homo non poteſt facere.

Reliquum eſt iam argumento Gabrielis initio poſito ſatisfacere, dicendo, quòd quamuis hic non teneatur tunc orare ex præcepto affirmatiuo orationis, tenetur tamen tunc attentè orare ex præcepto negatiuo virtutis Religionis, quo prohibentur omnes irreuerentiæ contra Deum. Nam ſuppoſito quòd velit orare, tenetur vitare irreuerentiam.

QVÆSTIO CXLVI.

Sed dubitabis. An id ſit peccatum mortale?

RESPONDEO eſſe duntaxat peccatum veniale. Et ratio eſt, quia non adeò grauis fit Deo irreuerentia, ſi vocetenus quis proferat verba orationis, quando aliàs oratio non erat ſub præcepto.

Ex quibus omnibus colligitur multos interdum peccare taliter orando, quia non peccarent, non orando. Similiter peccare, dicendo, aut audiendo Miſſas, aut diuina officia, qui proculdubio non peccarent, non dicendo, aut non audiendo illa, cùm nullo præcepto, vt ſuppono, ad illa teneantur.

QVÆST.

QVÆSTIO CXLVII.

An ſint omnes tres attentiones neceſſariæ ſimul, vt præcepto orandi ſatisfaciamus?

Respondeo non eſſe omnes tres neceſſariò habendas, cùm quælibet illarum ſit ſufficiens ad ſatisfaciendum præcepto, quia, vt diximus, idiotę ſecundum habere nequeunt, & confirmatur communi Doctorum ſententia.

QVÆSTIO CXLVIII.

An prima attentio, qua orans attendit ad verba duntaxat, ne ſ. dicat vnum pro alio, ſit omnino neceſſaria ad implendum præceptum orationis.

Medina C. de oratio. q. 14. Tolet. lib. 2. cap. 13. nu. 9. Angles in 1. p. tract. de oratione, & plerique alij affirmant eſſe ſimpliciter neceſſariam, quia eſt veluti fundamentum, & ſubſtantia cæterarum attentionum.

Tum quia eo ipſo quòd quis orationem vocalem profert, præcepto quoque tenetur rectè proferre. At id facere non poteſt, niſi aliquo modo procuret, ne in recitando erret.

Ex quo inferunt, ſecundam, & tertiam animi attentionem non ſufficere, ſi reuera prima deſit.

Sed

Sed cæteri communi conſenſu negant, & meritò quidem, quia oratio quæ ad Deum funditur, magis in ſententia verborum, quàm in ſono ipſo, & voce conſiſtit, & Deus potius attendit ad id, quod dicere volumus, quàm ad id, quod ore profertur. Et ideo hanc partem ſuſtinet D. Thomas 2. 2. q. 83. ar. 3. vbi ait; Satis eſſe, ſi ad verba, vel ſenſum verborum attendamus.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpondeo, quòd ſi quis experimento nouit, ſe malè proferre, curare aliquo modo debet, ne in pronunciando labatur. Qui tamen expertus eſt, ſe in proferendo non errare, ſatis eſt, ſi ad ſenſum verborum, vel ad finem orationis, vel ad Deum, ad quem oratio dirigitur, attendat.

QVÆSTIO CXLIX.

An ſecunda attentio ſit omnino neceſſaria.

RESPONDEO minimè. Ratio eſt, quia multi clerici, & Religioſi, & Moniales obligatæ ad recitationem diuini officij, Græcè, vel Latinè orantes, nec ſenſum verborum intelligunt, nec intelligere poſſunt, nec tamen ideo damnatur ipſorum oratio, quia ſatis illis eſt, ſi ad verba vt rectè pronuntient, vel ad Deum cum quo loquuntur, attentionem habeant.

Ex quo infertur, quòd ad ſatisfaciendum Eccleſiæ præcepto ſufficit vt quis ſacra verba præſcripta ab Eccleſia recitet animo orandi, laudandíque Deum, ea reuerenter dirigendo ad ipſum, atque

atque intendendo ſingula accipere in eo ſenſu, quo Eccleſia accipit, & petere eadem, quæ ipſa in illis petit, vt illum iis laudibus celebrare, quibus ipſa celebrat.

QVÆSTIO CL.

Sed quæret aliquis hoc loco; cur cùm à Deo aliquid in oratione petimus, multa interdum recitamus, in quibus nullum eſt verbum, quod ad petitionem noſtram facere videatur? Vt cùm petentes remiſſionem peccatorum noſtrorum, recitamus Pſalmum. Quare fremuerunt gentes, &c. vel alium ſimilem?

RESPONDEO hæc à nobis recitari, non quia continent illud quod cupimus, & petimus, ſed quia nos bene afficiunt erga Deum, continent enim, vel laudes Dei, vel rerum geſtarum narrationem, quibus excitamur ad affectum diuini amoris, & timoris, vel ad ſenſum propriæ infirmitatis, quibus accendimur ad humilitatem, aut ad alterius virtutis Deo gratæ ſtudium, & timorem, vt ſic digniores efficiamur ad id, quod petimus.

QVÆST.

QVÆSTIO CLI.

An qui in oratione primum, vel ſecundum attentionis modum eligit, animo non tranſcundi ad tertium, peccet.

ET quidem, qui in oratione infimam attentionem habet, caret tamen cæteris omninò inuoluntariè, non peccat. Et ratio eſt, quia in hoc caſu facit homo quod in ſe eſt, & adhibet attentionem neceſſariam ad veritatem orationis, & carentia melioris attentionis non eſt voluntaria, ergo qui hoc modo orat, non peccat, ſed præcepto orationis abundè ſatisfacit.

QVÆSTIO CLII.

Sed quod habet difficultatem eſt, de eo qui primum, vel ſecundum orandi modum eligit cum excluſione voluntaria melioris.

CAIETANVS vir alioqui ſui ordinis eruditiſſimus 2. 2. q. 83. ar. 13. cenſet eum peccare mortaliter, nec ſatisfacere præcepto orationis. Eiuſdem opinionis eſt Nauar. de oratione cap. 13. num. 33.

Ex quo inferunt, eum qui dum orat, aliquod myſterium paſſionis Chriſti meditatur, non debere

illic vltimatè mentem ſuam ſiſtere, tanquam in fine, ſed tanquam medio vti, per quod ad Dei amorem aſcendat. Cuius quidem rei nos Eccleſia admonet in præfatione Natiuitatis. Per incarnati enim,inquit,verbi myſterium,noua mentis noſtræ oculis lux tuæ claritatis infulſit, vt dum viſibiliter Deum cognoſcimus,per hunc inuiſibilium amore rapiamur.

Arbitror tamen contrarium eſſe affirmandum. Ducor,quia homo non tenetur orare meliori modo,quo poteſt,ergo nec tenetur non impedire meliorem attentionem,ergo adhibendo attentionem infimam, licèt aliàs meliores excludat, non peccabit.

Tum quia nullum præceptum obligat ad attendendum cum maximo conatu, vel intentione, ergo nec obligat ad attendendum ad præſtantiſſimum obiectum.

Tum quia, ſi non tenetur meliorem attentionem adhibere, ergo nec tenetur illam non impedire, quia nulla eſt maior ratio obligationis.

Tum quia, ſi non tenetur non impedire meliorem attentionem, non poſſet ſine peccato orare, dum ſe induit,vel aliam ſimilem actionem exercet, quia licèt talis actio ſecum admittat infimam attentionem, impedit tamen perfectiorem, conſequens eſt falſum, & contra communem praxim omnium piorum hominum, ergo.

QVÆSTIO CLIII.

An ſit neceſſarium, vt attentio totam orationem comitetur.

Pro

PRo huius quæſtionis intelligentia, obſeruandum eſt primò, bifariam aliquid eſſe neceſſariũ, vt 5. Metaph. Philoſophus eſt author, ſ. ſimpliciter, & ſecundùm quid. Neceſſarium ſimpliciter eſt illud ſine quo res ſuum finem attingere nequit, vt cibus ad vitam hominis. Neceſſarium verò. ſecũdùm quid, eſt illud, quo res commodiùs, & meliùs ad finem peruenitur, vt equus ad iter peragendum.

Secundò eſt obſeruandum, quatuor eſſe orationis effectus. Primus eſt, vt actus ſit ex ſe moraliter bonus, etſi in gratia fiat, meritorius de condigno. Secundus orationis effectus eſt impetratio. Tertius ſatisfactio. Quartus, & vltimus effectus eſt ſpecialis quædam mentis refectio, dulciſſimáque recreatio, quæ ab eloquio cum Deo inito inſtillat. Quibus iactis fundamentis:

Primò dico, quòd ad tres primos effectus conſequendos, non eſt neceſſarium, quòd attentio toti orationi aſſiſtat. Et ratio eſt, quia habere ſemper actualem attentionem, non eſt in noſtra poteſtate, de qua re conquerebatur Dauid dicens, Cor meum dereliquit me. Quamobrem diuagatio quæ non eſt voluntaria, non imputatur ad culpam, Vnde vt oratio ſit moraliter bona, & impetratoria, ac ſatisfactoria, ſatis eſt, vt oraturus in principio proponat attendere, quia tunc vis, & robur attentionis actualis in principio habitæ, virtute per totam orationem durat, & vocatur virtualis.

Secundò dico, quòd attentio actualis per totam orationem perdurans ad dictos tres effectus, eſt ſecundùm quid neceſſaria. Et ratio eſt, quia eſt ſplendidiſſimum orationis ornamentum, & decus ſingulis verbis attendere.

Tertiò, & vltimò dico, quòd attentio actualis nõ tantùm ad verba, ſed aliqua perfectior, vt illa, quæ eſt circa piam aliquam cogitationem practicam, eſt ſimpliciter neceſſaria, vt orans quartúm orationis effectum conſequatur; Et ratio eſt, quia huiuſmodi mentis recreatio non in habitu, ſed in actu vitæ ſpiritualis conſiſtit, quare niſi attentione præſenti, extare nequit, iuxta illud Apoſtoli 1. Cor. 14. Si orem lingua, ſ. ſola, mens mea ſine fructu eſt. Ita D. Tho. 2. 2. q. 83. art. 13.

QVÆSTIO CLIV.

An qui dum vocalem orationem profert, applicat animum ad pias meditationes non pertinentes ad verba quæ dicuntur, ſatisfaciat præcepto?

ET quidem ſi hic non voluntariè applicat intellectum ad pias meditationes non fundatas in verbis quæ profert, certum eſt hunc ſatisfacere præcepto orandi, quia manet virtualis intentio attendendi ad quamcunque attentionem ex ſuprà poſitis.

QVÆSTIO CLV.

Quæſtio ergo tantùm eſt, de eo, qui voluntariè non vult attendere ad verba, ſed animum ſuum applicat ad alia non pertinentia ad verba,

Hvgo

HVGO de ſancto Victore in lib.annot. ad Pſal. 17. Gerſon 3. p. tract. de oratione, Gabr. in Canone Miſſæ.& Medina C. de oratione, negant.

Communis tamen, & vera opinio eſt in contrarium. Tum quia tunc licèt non attendat ad verba, nihilominus voluntariè illa profert ad orandũ, vel laudandum Deum cum ſufficienti aduertẽtia, quia licèt homo nõ habeat attentionem quaſi reflexam ad verba, ſemper tamen profert illa humano modò, & vigilando circa illa aliquo modo, ne erret.

Deinde, non eſt de ratione orationis, vt cogitet orans de ipſa locutione, ſed ſatis eſt, ſi cogitet de Deo cum quo loquitur, vel de re, pro qua orat, licèt talis conſideratio non naſcatur ex ſenſu verborum, id enim non eſt opus. Quod intelligitur modò periculum non ſit omittendi aliquid in oratione, quia, vt ſuppono, ad hoc tenetur ſub præcepto. Et ideo ita tenet Caiet. 2.2.q.83.ar.13. vbi ſic ait: Licitum eſt, dum ſacra verba pronunciãtur, meditari aliquid pium, cùm non ſit neceſſe ad verba attendere, niſi quantum ſufficit, vt in illis non erretur.

Obiicies D. Bernardum ſerm. 47. ſuper Cant. dicentem. Nihil aliud, dum pſallitis, præter id, quod pſallitis, cogitetis, nec ſolas dico vitandas cogitationes vanas, & otioſas, ſed, & illæ aliæ vitandæ ſunt illa hora, & loco quo ſ. horæ dicuntur. Et poſtea ſubdit. Salubria ſunt, ſed minimè ſalubriter inter pſallendum ea reuoluitis: Spiritus ſanctus enim illa hora gratum non recipit, quidquid aliud, quàm habes, neglecto eo, quod debes, obtuleris.

Reſpondeo D. Bernardum loqui de cogitationibus bonis, non tamen pertinentibus ad orationem, nam illæ admittendæ non ſunt tempore ora-

 tionis.

tionis. Huiuſmodi eſt cura, & ſolicitudo de aliquo negotio etiam pio poſtea afficiendo, non vt Deo commendetur (ſic enim iam eſſet orationis materia) ſed vt de humanis mediis circa illud prouideatur, vel aliquid ſimile.

Hinc, qui ex propoſito inter orandum meditatur aliquod myſterium diuinum, vel Chriſti Domini, ſuæ obligationi recitandi ſatisfacit. Ratio eſt, quia quodlibet myſterium noſtræ fidei eſt aptum ad excitandam deuotionem eam interiorem, & attentionem ad Deum, quæ requiritur.

Hinc, poteſt quis ſimul ſatisfacere præcepto audiendi ſacrum, & recitandi officium diuinum. Quia attendendo Myſterio Miſſæ, ſatisfacit attentioni requiſitæ in oratione, vt cogitando de humanitate Chriſti, &c.

QVÆSTIO CLVI.

An oratio in loco certo fundi debeat.

ET quidem, quando communes, & publicæ preces in communi, & publicè dicuntur, in Eccleſia celebrari debent ſub mortali, ad hoc enim Eccleſiæ extructæ, & deſtinatæ ſunt, vt ibi orationes communes, ſicut & Miſſarum ſolemnia celebrentur. Et in hoc omnes Doctores cōueniunt.

QVÆSTIO CLVII.

Sed dubium eſt de oratione priuata; vel publica, priuatim tamen dicenda.

IN qua re etiam eſt certum, orationem mentalem, quæ nullo verbo prolato fit, nullum peculiarem locum requirere, ſed vbique locorum, ſiue in domo, ſiue in agro, ſiue in foro, menſa, vel lecto facta placet Deo. Nec eſſe aliquem locum, quamuis immundum & obſcœnum, in quo non liceat orare mentaliter. Ratio eſt, quia oratio mentalis per ſe ſpiritualis eſt, ergo, quoad ſuam honeſtatem, à conditione corporalis loci non dependet.

Tum quia vbique optimum eſt Deum amare, colere, reuereri, & gratias ei agere, vt conſtat ex præfatione Miſſæ, vbi Eccleſia dicit: Verè dignum, & iuſtũ eſt, æquum, & ſalutare, nos tibi Domine ſemper, & vbique gratias agere, ergo & orare, dicente Apoſtolo 1. Timoth. 2. Volo viros orare in omni loco, leuantes puras manus, &c. Similiter, & mulieres in habitu ornato, &c. Vbi Gloſſa. In omni loco, vbicunque ſunt, non ſolùm in Eccleſia. Et Ioan. 4. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu, & veritate oportet adorare. Vbi Gloſſa. Non in tẽplo, non in monte hoc, ſed in intimo cordis tẽplo, Dei pręſẽtia à nullo loco excluditur. Vnde D. Chryſoſt. hom. 79. ad populum. In foro etiam, & in medio ſtrepitu, & clamore hominum, orãdum eſſe mentaliter Deum. Et concludit: Templũ es, ne locum quæras. Et D. Bernard. in lib. medit. Vbicunque fueris, intra teipſum ora; ſi longè fueris ab oratorio, ne quæras locum, quoniam ipſe locus es. Quod arbitror veriſſimũ, loquendo de oratione mentali, quæ fit per breues, & frequentes aſcenſiones cordis ad Deũ, quas iaculatorias orationes vocamus, quia cùm hæ orationes non requirant permanentẽ attẽtionem, nõ ſolùm ex parte ſua, ſed etiam ex parte

noſtra cōmodè fi ri poſſunt in omni loco: at diuturna,& quieta oratio licèt ex parte ſua nullū ſpecialem locū ſibi determinet, ex parte tamen noſtra requirit locum ſolitarium, & quietum, iuxta illud Matth. 6. Cùm oraueris, intra in cubiculum tuū, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum. Vnde Iſid. lib. 3. ſent. cap. 6. Oratio priuatis in locis opportuniùs funditur, maiúſque obtentum impetrat, dum Deo tantùm teſte depromitur.

QVÆSTIO CLVIII.

Sed quod in dubium vertitur eſt de oratione vocali. An videlicet in omni loco fieri poſſit?

QVæ difficultas non habet locum in orationibus voluntariis, immò nec in obligatoriis, quando neceſſitas, vel ſufficiens ratio cogit ad recitandum in ſordido loco, quoniam nulla eſt lex, quæ id prohibet, aut ſaltem non niſi humana, quæ ſuperueniente neceſſitate in id ſufficiente, ceſſat. cap. Sicut. de conſecrat. diſt. 1.

Tum quia tunc, licèt impedimenta attentionis interueniant, non eſt omnino orandi officium omittendum, quia ex duobus malis, minus eſt eligendum, minus autem malum eſt ſic orare, quàm præceptum non ſeruare.

Tum quia illa diſtractio non eſt voluntaria, & ideo non excludit attentionem virtualem, quam habere aliquis cenſebitur, proponendo attendere in tali loco, quantum poterit.

Tum etiā, quia vix poteſt attētio adeo impediri, quin

quin ſaltem ad verba adhibeatur, licèt frequenter interrumpatur.

Hinc non peccant, qui neceſſitate compulſi extra chorum ad naturæ neceſſaria proficiſcuntur, pronunciando in itinere partem diuini officij, quam chorus recitat tempore, quo vadunt, & redeunt, dummodo aliæ circunſtantiæ debitæ non deſint.

QVÆSTIO CLIX.

Totum igitur controuerſiæ diſſidium conſiſtit, quando neceſſitas non vrget ad orandum in tali loco.

GERARDVS Carthuſianus in lib. de aſſiduit. orandi negat. Ibi enim ſic ait: Nonnullos loqui cum Deo, vbi verecundaretur loqui cum ſuis canibus, & pro re horrenda refert, ſe audiuiſſe ſacerdotem quendam recitantem veſperas in latrina, qui licèt in ſuum fauorem neminem alleget potuit tamen allegare Ambroſium, & Auguſtinum qui ſuper illud Apoſtoli 1. ad Timoth. 2. Volo, &c. dicunt, hoc intelligendum eſſe de loco decente, & non obſcœno.

Cæterùm ſolidum huius ſententiæ fundamentum non video: & ideo non placet, ſed exiſtimo orationem vocalem per ſe, ſiue priuatam, ſiue publicam, priuatim tamen recitandam, quæ non eſt præcepta fieri in certo loco, nullam certam loci conditionem poſtulare, ſed in quouis loco quantumuis vili, & ſordido, fieri poſſe, dummodo aliæ

circunſtantiæ concurrant. Probatur, Deus eſt vbique,& vbique audit, ac videt, ergo etiam vbique orari poteſt, quia nulla eſt ratio, cur ſpecialis loci conditio poſtuletur.

Tum quia oratio mentalis non requirit certam loci conditionem, ergo nec vocalis priuata, quia ſolùm addit externam ſignificationem interni deſiderij, & immediatè dirigitur ad Deum ſine vllo ſpeciali reſpectu ad locum.

Tum quia ſpecialis loci conditio iure naturæ non eſt ad orationem requiſita, quia nulla ratione hoc oſtendi poteſt, neque iure poſitiuo, quia nullum ſcriptum inuenitur, neque conſuetudine introductum. Vnde & Iob in ſterquilinio, Ionas in ventre ceti,Daniel inter leones, tres pueri in fornace ignis, Paulus in carcere, Chriſtus autem in cruce orauit.

Huic etiam conſonat illud prophetæ in pſalmum 102. In omni loco dominationis eius,benedic anima mea Domino.Vbi dicit Gloſſa. Vbi non dominatur,ibi non benedicatur, vbique dominatur, vbique benedicatur. Nullus excuſatur. Sicut ergo nulla creatura, ſic nullus locus à laude Dei excipitur. Hæc ibi.

Ex quo infertur, poſſe fieri etiam vocalem orationem in loco vbi, vel dum venter, exoneratur, propterea quòd nullibi id video vetitum.

Tum quia melius eſt ibi Deum mente, & lingua laudare,quàm otioſum eſſe,& poſſet talis locus corporalibus immunditiis infectus eſſe occaſio, vt orans humiliaret ſe, conſiderando humanam immunditiam, & Dei infinitam pulchritudinem ; & munditiam, attamen de honeſtate ſemper opportunior

tunior locus eſſet quærendus.

Dixi primo, *per ſe*, quia in loco, in quo daretur impedimentum attentioni, quod dant qui in locis publicis ſine vlla cauſa recitant publicè, eſſet peccatum ibi orare. Et in hoc ſenſu D. Ambroſius, & D. Auguſtinus explicantes prædictum locum Pauli, aiunt non eſſe in foro orandum, & vbi eſt hominum, & ſæcularium negotiorum concurſus. Et D. Thomas in eundem locum Pauli etiam dixit, orationem mentalem, vbique poſſe fieri, ſed ſigna orationis exteriùs non debere fieri omni in loco.

Dixi ſecundò, *quæ non eſt præcepta*, quoniam ſi voto, pœnitentia iniuncta, lege, conſuetudine rationabili vel fundatoris ſtatuto aliqua Miſſa, vel oratio dici, vel fieri debeat, pro viuis aut defunctis certo in loco, non ſufficit, ſi dicatur in alio.

QVÆSTIO CLX.

An cæteris paribus melius ſit priuatim orare in templo, quàm alibi.

RESPONDEO per ſe loquendo, eſſe melius, vti ſenſit Concilium Gangrenſe cap. parcimonia, vnà cum Oecumenico Lugdunenſi capit. Decet. de immunitate Eccleſiæ. Et probat Thomas Vvaldenſis lib. de ſacramentis capit. 147. Cuius tres cauſas recenſet omniſcius, & omni pietate reſplendens Aquinas 2. 2. quæſtio. 89. articul. 3.

Prima eſt virtus conſecrationis, cuius ratione Deus, citiùs exaudit, vt patet 3. Reg. 9. & 2. Parali.

Parali. 7. vnde & Angeli ipſi creduntur peculiariter ibi adeſſe, & Deum cum pſallentibus collaudare, eorúmque orationes iuuare iuxta illud pſalmi 67. Præuenerunt,ideſt,Angeli,coniuncti pſallentibus, ideſt,orantibus, in medio iuuencularum tympaniſtriarum,ideſt,animarum ſanctarum orantium, vel etiam ſanctarum virginum, vbique cum eis aduenientium. Quare Chryſ.hom.24. in Act. Apoſt. ait:Neſcis,quòd cum Angelis ſtas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis. Et hom. 15. ad Hebr. Plenas dicit eſſe Eccleſias incorporeis virtutibus.

Secunda,propter myſteria,& res ſacras,quę in eo reperiuntur, ob quas homines ad orationem excitantur,iuxta illud Iſai. vſurpatum à Domino Luc. 19. Domus mea,domus orationis vocabitur.

Tertia,propter concurſum plurium ibi orantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis,iuxta illud Domini,Mat.18. Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo,ibi ego ſum in medio eorum.

Dixi notanter, *per ſe*, quia ex accidenti poteſt contingere, vt alius locus commodior ſit, quia ſi templum ſit publicum,poteſt accidere, vt in eo ſit occaſio,aut diſtractionis,aut inanis gloriæ,ideóque vtilius ſit iuxta Chriſti conſilium ingredi cubiculum ad orandum.Vnde S.Iſidorus lib.3.ſent.cap.7. Oratio, inquit, priuatis locis opportuniùs funditur,maiúſque obtentum impetrat,dum Deo tantùm teſte,depromitur.

Similiter etiam iuuare poteſt priuatus locus ad liberiùs exhibenda exteriora ſigna, quæ attentionem excitare ſolent, vel ad loquendum altiùs, vel ſummiſſiùs,iuxta vniuſcuiuſque deuotionem,vt rectè monet D.Tho.1.ad Timoth.2. lectione 2.

QVÆST.

QVÆSTIO CLXI.

Quandiu in oratione perſeuerandum ſit.

NON intelligitur quæſtio de oratione obligatoria, cuius menſura temporis eſt ſub præcepto, ſed de oratione voluntaria.

Reſpondeo tandiu perſeuerandum, quandiu eſt vtile ad excitandum interioris deſiderij feruorem, ita quòd ſi abſque tædio durare non poſſit, non eſt vlteriùs protendenda. Vnde D. Auguſt. epiſt. 121. cap. 10. ad Probam. Abſit ab oratione multa loquutio, ſed non abſit multa precatio, ſi feruens perſeueret intentio.

Hinc, ſi multiloquium fit ad faſtidium, vel otium tollendum, vel ad deuotionem excitandam, licitum eſt, vt patet ex D. Hieronymo ad Ruſticum Monachum, & ex D. Auguſtino in lib. de virtute orandi cap. 11.

Hinc damnatur multiloquium infidelium exiſtimantium Deum multiloquio inclinari, vel ſi abſens eſt, vocari, vel ſi neſcit, doceri, non autem condemnatur multitudo lachrymarum, & preces multæ continuæ cum cordis puritate & intentionis ſynceritate fuſæ.

QVÆSTIO CLXII.

An in oratione certus aliquis corporis habitus requiratur?

RESPONDEO in oratione illum corporis habitum requiri, qui reuerentiam, ſubiectionem, &

& humilitatem animi ſignificare ſolet. Vnde de Chriſto legimus Lucæ 22. flexis genibus oraſſe. Et Marci 14. adhuc etiam proſtratum in terra oraſſe. De S. Stephano refertur Act. 7. poſitis genibus oraſſe pro inimicis. Et de Petro cap. 9. flexis genibus oraſſe ad reſuſcitandam Tabitham. Quod autem de genuflexione dictum eſt, intelligendum eſt etiam de aliis geſtibus, vel ſignis corporeis, humilitatem, vel ſummiſſionem animi indicantibus, vt ſunt eleuatio, vel extenſio manuum, nudatio capitis, & ſimilia.

QVÆSTIO CLXIII.

Sed quæres, cùm variæ, & multiplices eſſe poſſint corporis ad orandum aptæ compoſitiones, vt ſtando, genu flectendo, proſtrando in terra totum corpus, & ſimiles, quænam iſtarum ſit præferenda.

Respondeo, ad breues orationes, quamcunque poſitionem aſſumi poſſe, & interdum eſſe vtiles quæ profundiorem humilitatem indicant, vel corpus magis exercent. Ad orationes verò diuturnas, & longas, vel ſtationem, vel genuflexionem adhibendam eſſe. Regulariter tamen conſulenda eſt genuflexio, tum quia eſt magis vſitata à ſanctis, tum quia maiorem reuerentiam, & animi ſummiſſionem indicat, ac proinde magis mouet, & componit interiorem affectum.

Dixi *regulariter*, quia interdum pro diuerſitate

affectio

affectionum, vel diſpoſitionum, poteſt vni perſonæ vnus modus magis conuenire, quàm alius, & vnuſquiſque poteſt eligere modum illum, quo videbitur ad quietem internam, & deuotionem iuuari.

QVÆSTIO CLXIV.

Vtrùm oratio ſit facienda verſus Orientem.

NONNVLLI putant hanc cæremoniam eſſe à Chriſtianis omnibus obſeruandam ex Apoſtolica traditione, ſed in huius rei probationem nullum ſpeciale adducunt fundamentum. Quare dicendum eſt, hanc circunſtantiam non eſſe de neceſſitate orationis vt poſt D.Tho.2.2. quæſt.84.ar. 3. ad 3. docet Durantus lib. 1. de ritibus capit. 3. Quod arbitror veriſſimum in priuatis orationibus: non tenemur enim cùm priuatim oramus, de ſitu ad orientem ſollicitos eſſe, quia nullum eſt de hoc præceptum, nec conſuetudo fuit in hoc ſenſu introducta, ſed ſolùm de orationibus publicis, quæ in Eccleſiis fieri debent, quia iuxta hanc traditionem conſuetudine introductum eſt, vt Eccleſiæ Chriſtianorum Orientem reſpiciant. Immo hoc ipſum non arbitror eſſe adeò neceſſarium, vt ſi non ſeruetur bona fide, ſit graue peccatum.

Ex quo colligitur hanc cæremoniam ſolùm eſſe de decentia orationis. Primò quidem propter diuinæ Maieſtatis indicium, quod nobis manifeſtatur in motu cæli qui eſt ab Oriente.

Secundo,

Secundo,quia paradiſus in Oriente poſitus erat, vt legitur Gen. 2. & ſic in oratione ad Orientem conuertimus, quaſi quærentes ad paradiſum redire.

Tertiò, quia Chriſtus in Scripturis oriens, & lux mundi appellatur,iuxta illud Zach.6. Et qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad Orientem:& ab Oriente etiam expectatur venturus,ſecundùm illud Mat. 24. Sicut fulgur exit ab Oriente, & patet vſque ad Occidentem, ita erit aduentus filij hominis.

Quartò,quia vt ait D. Damaſcen. lib. 4. De fide cap.13. Chriſtus Dominus in Oriente crucifixus eſt,facie ad Occidentem, vnde cùm ad Orientem oramus,quaſi in Chriſti faciem intuemur.

Quintò, vt Chriſtiani diſcernerentur à Iudæis, qui ad Occidentem orare ſolebant, nam tabernaculum templi erat versùs Occidentem diſpoſitum.

Sextò,& vltimò, quia per iſtam cæremoniam ſignificatur orationem noſtram eſſe ad Deum ſuper omnes creatùras excellentiſſimum dirigendam, propterea quòd in ea parte ſol omnium creaturarum corporalium nobiliſſimus oritur. Ita D. Auguſt. in ſermone de monte lib.2.

QVÆSTIO CLXV.

Vtrùm oratio vocalis ſit licita, & honeſta.

RATIO dubij eſt,quia oratio,vt ex dictis cõſtat; principaliter Deo porrigitur: Deus autem non

non indiget voce ad audienda hominis deſideria, ergo ſuperfluum,& vanum eſt voce Deum orare. Vnde Elias 3.Reg.18.deridebat prophetas Baal,dicens:Clamate voce maiori,Deus enim veſter forſitan cum alio loquitur,aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit,vt excitetur. Et Ambroſ. in libr. de ſacram. Quando oras,noli verbis clamare.Et Gloſſa ſuper Matth.cap.6.inquit, in fide interiori oratur Deus, non in ſtrepitu labiorum. Et ideo Anna mater Samuëlis orando Deum ſine oratione vocali, meruit impetrare ipſum filium tam Sanctum.1.Reg.1.Talis autem oratio mentalis facta cũ deuotione,clamat in aure Dei,& ideo Moyſi corde Deum deprecanti,ait ipſe Dominus Exod. 14.Quid clamas ad me?

His tamen minimè ſuffragantibus, certa, & indubitata fide tenendum eſt,orationem vocalem eſſe licitam,& honeſtam, vt patet ex communi vſu, & traditione Eccleſiæ, vnde Dauid pſalm. 141.dicebat:Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominum deprecatus ſum. Et pſalm. 76. Voce mea ad Deum, & intendit mihi.Et pſal.5. Intende voci orationis meæ.Et de Chriſto Matth.26. dicitur, quòd hymno dicto exiuit in montem Olineti. Et 1.Corinth.14. Paulus omnes Chriſti fideles ad orationem vocalem hortatur, cùm ait: Cùm conuenitis vnuſquiſque veſtrûm pſalmum habet, &c.

Et ad rationem dubij reſpondeo, nos non orare voce ſenſibili ad excitandum Deum,vel quia putemus Deum indigere noſtris ſignis ſenſibilibus, ad noſtra deſideria cognoſcenda, ſed id facimus.

Primò,vt nos ipſos ad deuotionem excitemus.

Secundò, quia corpore, & Spiritu conſtamus, oramus non ſolùm Spiritu, ſed etiam corpore, vt vtroque Deum colamus,iuxta illud Oſeæ 14. Omnem aufert iniquitatem, accipe bonum, & reddemus vitulos labiorũ veſtrorum. Vbi Hieronymus. Redditu̇ros ſe eſſe dicunt labiorum vitulos, & Dei laudes perpeti voce cantaturos. Huic etiam fauet illud Pſalmi 50. Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Et illud Eccleſ. 39. Confitemini illi, in voce labiorum veſtrorum. Et illud Hebr.13.Offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo,ideſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.

QVÆSTIO CLXVI.

Quot modis poſſit oratio deprauari,& Deo ingrata eſſe.

RESPONDEO quinque. Primò ex parte obiecti, vt cùm quis orando aliquid illicitum petit.

Hinc,non meretur, ſed peccat mortaliter, qui iniuria affectus à Deo petit, vt ei opem tribuat ad vindictam faciendam propria authoritate, aut ad vincendum in duello,aut ne cadat cauſa litigans iniuſtè,aut vt poſſit puella potiri extra matrimonium, aut vt impetret victoriam iniuſtam,&c.

Secundò vitiatur, quando quis orando, etſi aliquid decens petat,illud tamen immoderatè, & vltra iuſtam menſuram petit, eſt enim, vt ait Diuus Ambro

Ambroſius, ſuperba, & ſtulta petitio, dum non ſua ſorte contentus, pes ambit quæ ſunt oculi, qualis fuit petitio Apoſtolorum Iacobi, & Ioannis, quibus Chriſtus reſpondit: Neſcitis quid petatis.

Tertiò, vitiatur ex fine, vt cùm quis orando, honorem, & gloriam vanam quærit.

Hinc, non meretur, ſed peccat, qui Deum orat, vt largiatur ei ingenium, memoriam, vocem claram, & artium liberalium ſcientiam, vt ſibi quærat honorem vanum, & vanam laudem in ſcholis, pulpitis, & auditoriis.

Hinc peccat, qui horas canonicas recitat, vel ſacrificat non ob Deum, ſed ſolùm ob ſtipendium, quod ſperat, aut certè ob Deum, ſed magis, aut æquè ob ſtipendium. Et ratio eſt, quia finis eius principalis totus aut ex parte eſt bonum temporale, & ideo indebitus.

Hinc Religioſus qui ad matutinum ſurgit, vel celebrat principaliter ob pudorem, aut metum diſciplinæ, aut amiſſionis vini, aut obſonij peccat: ſecus ſi minùs principaliter.

Hinc peccat, qui audit Miſſam, aut Roſarium, aliáſve orationes perſoluit, principaliter ob bona temporalia, non referendo ea in altiorem finem actu, vel virtute, ſed perſiſtendo in eis tanquam in fine principali.

QVÆSTIO CLXVII.

Sed quæres, quomodo cognoſci poſsit, an quis plùs aut æquè ob lucrum, quàm ob Deum bonum opus faciat.

Respondeo hoc modo, debet enim hic apud ſe expendere, an pluris, vel tanti æſtimet lucrum quàm Deum in ordine ad illud opus. Si enim plus, aut tanti ad illud exequendum moueatur, æſtimatione, & amore lucri, quàm Dei, lucrum cenſeri debet finis illius principalis totalis, aut partialis, atque adeò opus ipſius vitiari ex indebito fine.

Hinc qui diuinum officium perſoluit plus ob Deum, quàm ob lucrum, etiamſi non recitaret, niſi lucrum ipſum ſperaret, non peccat, quia bonum opus facere minùs principaliter propter lucrum, non eſt illicitum, quando principaliter fit propter Deum, qui eſt debitus finis primarius omnium bonorum operum.

Hinc non peccat, qui ſacrificat principaliter propter Deum, pluris æſtimans ſeruitium Dei, quã ſtipendium, quamuis ſi non tribueretur illud, non ſacrificaret.

Hinc, qui ad chorum accedit ob Deum, óbque diſtributiones, ſi actu vel virtute pluris æſtimet inſeruire Deo, & facere quod ſui officij, & muneris eſt, quàm illas, quamuis ſi eas non ſperaret, non adiret.

Quartò vitiatur ex parte perſonæ, & loci, vt cùm publicus peccator publicè in Eccleſia orationes fundit tanquam miniſter illius, nam inde ſcandalum ſolet oriri. De tali enim procedit quod dicitur in pſalm. 49. Peccatori autem dixit Deus. Quare tu enarras iuſtitias meas per os tuum, &c.

Quintò, & vltimò ex ignauia orantis, vt ſi in oratione petat à Deo aliquod bonum, & cùm poſſit ipſe per humana remedia illud obtinere, negligit,

git, & à ſolo Deo illud contendit. Talis enim qui media conuenientia ſibi poſſibilia ad comparandum quod petit prætermittit, ſiue gloria ſit, ſiue ſcientia,ſiue ſanitas, magis videtur Deum irridere, & tentare quàm orare.

QVÆSTIO CLXVIII.

An oratio vitietur ex hoc, quòd orans eſt in peccato mortali.

SVNT, qui tenent quòd ſic. Pro quo facit primò quòd habetur Prouerb.28. Qui declinat aures ſuas ne audiat legem, ſcilicet vt eam impleat, oratio eius erit execrabilis.

Secundò facit quòd habetur Pſalm.49. vbi Dominus dicit peccatori. Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Vbi videtur reprehendere peccatorem,qui orationes & laudes Deo fundit.

Tertiò facit quòd habetur Iſai. 1. vbi Dominus ſacrificia, orationes, & alia huiuſmodi, quæ Iudæi faciebant in cultum, & honorem ipſius, appellat abominationes. Et rationem reddens ait: Quia manus veſtrę ſanguine plenæ ſunt,id eſt,peccaminoſæ.

Quartò facit, quod ait D.Gregorius in Paſtorali: Cùm is qui diſplicet, ad intercedendum mittitur,irati animus ad deteriora prouocatur.

Quintò facit illud D. Chryſoſtomi homil. 52. in Matth.Si quis (inquit) pedes,ſtercore ſordidatis manibus ſupplicando tangeret, non modò non

exaudires, verùm etiã calcibus expelleres: quomodo igitur audes tu hoc modo Deum orare? Nam qui orat, quaſi manu lingua vtitur, qua genua Dei ſupplicando attingit.

Sextò, & vltimò facit quod ait Beda in quadam homilia, vbi exponens illud Pſalmi, Voluntatem timentium ſe faciet, ſic loquitur. Sed illi malè petunt, qui vocem Domini iubentis audire obtemperando contemnunt, & nihilominus Domini ſui vocem exaudire miſerando depoſcunt, quos ipſe repellens in Euangelio dicit: Quid vocatis me Domine, & non facitis quæ dico.

Contrarium támen eſt proculdio affirmandum, quia alióqui nulla peccatoris oratio Deo placeret, cuius oppoſitum patet, quia peccator orans pro remiſſione peccatorum non peccat, immò ſæpe à Deo exauditur, vt patet Luc. 18. De publicano orãte, & petente à Deo, Propitius eſto mihi peccatori, & veniam obtinuit, non igitur oratio vitiatur per hoc, quòd orans eſt in peccato mortali.

Tum quia ieiunium, & eleemoſyna, & multa alia virtutum opera, non vitiantur per hoc quòd in peccato mortali fiant, vt per ſe conſtat, ergo idem dicendum eſt de oratione.

Tum quia peccator adhuc in peccato mortali exiſtens, poteſt, & debet ſuam ſalutem deſiderare, ergo poteſt hanc à Deo humiliter petere, nam vt D. Aug. docet, Pro omni eo licitum eſt orare, quod licitum eſt deſiderare, & ita oratio non ex hoc deprauatur, quòd in peccato fit. Et hæc certa ſunt, loquendo de oratione priuata.

QVÆST.

QVÆSTIO CLXIX.

Sed totum controuerſiæ diſsidium eſt de oratione publica, qua quis vt Eccleſiæ miniſter ad Deum fundit: An videlicet talis oratio vitietur, per hoc quòd orans eſt in peccato mortali.

ET videtur quòd ſic. nam Dionyſius Areopagita ad Demophilum loquens de Eccleſiæ miniſtris, qui in mortali exiſtentes ſacra Dei myſteria tractãt, ait: Immundis nefas eſt ſacra tractare, & ſuas ibidem orationes intermiſcere. Et D. Hieronymus ait. Talium miniſtrorum omnia opera eſſe polluta.

Tum quia, vt D. Tho. in 4. diſt. 5. q. 2. art. 3. qu. 3. monet, qui in mortali exiſtens, actum ſui ordinis exercet, peccat mortaliter, iuxta illud Deuteron. 16. Iuſtè, quod iuſtum eſt, exequaris.

His tamen minimè ſuffragantibus, contrarium eſt dicendum. Pro quo dico, quòd non per hoc deprauatur oratio ſiue publica ſit, ſiue priuata, quòd ſcilicet orans eſt in peccato mortali ſecundùm reatum, quia in illo ſtatu poteſt homo multa opera moraliter bona, & Deo grata facere, licèt non meritoria vitæ æternæ, quia non habet voluntatem obſtinatam in omni malo, ergo eadem ratione poterit aliquam orationẽ facere, quæ ſit moraliter bona.

Tum quia, qui ſic orat, non fundatur in dignitate ſua, ſed in Dei bonitate, qui etiam peccatores ad ſe vocat & ad colloquendum ſecum admittit. Secus ſi orans ſit in mortali ſecundùm actum, ideſt,

in actu peccando, vel actu proponendo peccare,& Deum offendere, quia tunc ſiue oret vt miniſter, ſiue vt priuatus, peccat ſic orando, quia magnam irreuerentiam Deo irrogat, petendo beneficium, & gratiam ab illo, quem actu offendit, & offendere proponit, id enim non eſt orare, ſed Deũ illudere, petens à Deo audiri, cui tamen ipſe non vult obedire. Et de tali peccatore intelliguntur loca ſacræ Scripturæ allegata, & ſacri Doctores. Secus ſi peccator ſcit ſe Deum offendiſſe, proponens tamen debito tempore pœnitere, & ſatisfacere, humiliter aliquid à Deo petit, quia tunc talem huius orationem Deus non abominatur vt prauam, etſi non ſemper eam exaudiat.

Satisfaciendum ſupereſt argumentis initio huius quæſtionis propoſitis. Et ad primum reſpõdeo, D. Dionyſium loqui de improbo Sacerdote, qui pollutis manibus, & polluto ore ſacra Dei myſteria tractat, ſ. cùm vel celebrat, vel ſacramenta miniſtrat, & ſuas ibidem orationes intermiſcet, quod eſt Deo abominabile. Quod autem D. Hieronymus aït, talium miniſtrorum omnia opera eſſe polluta, intelligitur de his, quæ ex polluta voluntate procedunt. Vel vt omniſcius D. Thomas exponit ſuper epiſt. ad Titum 1. dicuntur omnia polluta, quia ſunt defectuoſa, quia in finem vltimum qui Deus eſt, non referuntur.

Et ad ſecundum, ſ. quòd qui in peccato mortali exiſtens exercet actum ordinis peccet, reſpondeo quod id locum habet de actu proprio ſacri ordinis, qualis eſt Miſſam celebrare, ſacramenta conferre, aut aliud officium ſacrum cum ſolemnitate exercere; fundere autem orationes non eſt actus

pro

proprius ordinis ſacri, vt omnes Doctores fatentur.

QVÆSTIO CLXX.

Vtrùm oratio ſit actus vitæ æternæ meritorius.

ET quidem certum eſt in primis orationem Beatorum non eſſe meritoriam. Et ratio eſt, quia Beati licèt ſint in gratia, non ſunt tamen in ſtatu merendi, & ideo licèt orare poſſint, & impetrare, non tamen mereri.

QVÆSTIO CLXXI.

Sed dubium eſt de oratione viatoris.

IN qua re etiam eſt certum, orationem impiorum hominum non eſſe meritoriam de condigno, quia ſine gratia iuſtificante nullum eſt tale meritum, vt conſtat ex illo Ioannis 15. Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi mãſerit in vite: ſic nec vos niſi in me manſeritis. Ille autem in Chriſto tanquam palmes in vite, manere dicitur, qui Chriſto vnitus eſt per gratiam habitualem: hac enim ſanctificamur, & Chriſto cõiungimur, atque vnimur. Et ex illo Pauli 1. Cor. 13. Si diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodeſt.

Dixi notanter, *de condigno*, quia ad meritum de congruo non eſt neceſſaria gratia iuſtificans, ſed ſufficit motio Spiritus ſancti, ſeu auxilium gratiæ, ex qua oratio manat. Nam congruum eſt, Deum ſic petenti aliquod beneficium conferre ratione illius bonæ operationis, quæ habet adiunctam fidem, & ſubmiſſionem ad Deum. D. Thom. 2. 2. queſt. 83. art. 15.

QVÆSTIO CLXXII.

Sed quæſtio tota eſt de oratione iuſtorum.

Respondeo; communem eſſe omnium ſententiam, orationem eſſe vitæ æternæ meritoriam, vt conſtat ex illo Pſalmi 34. Oratio mea in ſinu meo conuertetur. Vbi dicit Gloſſa: Etſi eis non profuit, ego tamen non ſum mea mercede fruſtratus: merces autē nō debetur niſi meritò, ergo oratio eſt actus gratiæ, & gloriæ meritorius. Habet autem oratio quòd ſit meritoria, nō ex natura ſua, ſed ex charitate, & gratia Dei, quæ dat ei vitā & pondus, & valorem apud Deū, nō quòd charitas illa creata id habeat à natura ſua, ſ. facere orationem ex ea procedentem meritoriam de condigno, ſed ex Dei acceptatione, aut ordinatione, qui in lege ſua promiſit opera noſtra bona ex charitate facta remunerare.

QVÆSTIO CLXXIII.

Vtrùm oratio ſit ſatisfactoria pœnæ pro peccatis debitæ.

Respondeo eſſe ſatisfactoriam. Et ratio eſt, quia oratio eſt actus bonus procedens ex gratia,& pœnalis;ergo eſt ſatisfactoria. Conſequentia per ſe conſtat. Antecedens verò probatur,quia oratio fatigat,& humiliat orantem,iuxta illud Eccleſ. 12. Frequens meditatio carnis eſt afflictio. Et illud Eccleſ. 31. Vigilia honeſtatis tabefaciet carnem, & cogitatus illius auferet ſomnum.

Tum quia ſicut promiſit Deus pro bonis operibus remunerationem, ita & pro pœnalibus operibus, quæ ſunt fructus digni pœnitentiæ,relaxationem pœnæ pro peccatis debitæ vel in toto, vel in parte,ſecundùm exigentiam orationis.

QVÆSTIO CLXXIV.

Sed quæres, quanta pœna deleatur per orationem.

Respondeo tantam pœnam tolli, quantus eſt eorum effectus,quo orationem fundunt, videlicet,maiorem,aut minorem, vt eſt maior, aut minor eorum effectus.

QVÆSTIO CLXXV.

Vtrùm oratio ſit impetratoria.

Respondeo eſſe impetratoriam. Et ratio eſt, quia cùm oratio ſit petitio, peculiarem impetrandi modum habet, nam petitio natura ſua ad hoc ordinatur,vt animum eius qui rogatur,inducat ad dandum id quod petitur.

Tum

Tum quia oratio peculiarem Dei promiſſionem habet, ratione cuius hæc impetratio eſt ſuo modo certa, & infallibilis, vt patet ex illo Matth. 7.& Lucæ 11. Petite, & accipietis. Et, Omnis qui petit, accipit.& ex illo Ioannis 16. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

QVÆSTIO CLXXVI.

Vtrùm impetratio ſit abſolutè infallibilis.

Respondeo quòd non. Et ratio eſt, quia Dei promiſſio non eſt omnino abſoluta, ſed ſub aliquibus conditionibus, quibus poſitis erit infallibilis impetratio, non autem abſque illis. Et ratio eſt, quia quod Deus promittit, eo modo quo promittit, infallibiliter implet, quia, vt ait Apoſtolus 2.Timoth.2. Fidelis eſt Deus. Vnde ſi oratio non habet omnia requiſita neceſſaria, orans ex vi promiſſionis non impetrat, quia promiſſio conditionata, non impleta conditione, non inducit obligationem, poſſet tamen impetrare ex benignitate Dei, ſicut poſſet impetrare, quamuis Deus nihil promiſiſſet.

Eſt autem hîc conſiderandum, quòd non omnis oratio quæ vim habet impetrandi, habet vim merendi, & ſatisfaciendi. Nam Beati in cælo multa propter nos impetrant, & tamen non per viam meriti, quia Deus non ex iuſtitia, ſed ex gratia ſua illos exaudire dignatur. Iniuſti item, & peccatores ſæpe impetrant quod petunt, quia tamen ſunt charitate deſtituti, nec merentur, nec pro ſuis pecca-

tis ſatisfaciunt. Oratio itidem vim habet merendi, & ſatisfaciendi, non tamen ſemper impetrat, quod petit, quia fortè non eſt petitio rei expedientis ad ſalutem. Vt cùm Paulus ter rogauit, vt auferretur à ſe ſtimulus carnis, meruit quidem ex charitate orãdo, non tamen quod petebat impetrauit, 2. ad Cor. 12. Non poteſt autem oratio habere vim merendi, & non ſatisfaciendi, cùm tunc procedat ex charitate, & ex ſe ſit opus pœnale.

Ex quo ſequitur, orationem interdum eſſe meritoriam, impetratoriam, & ſatisfactoriam: vt cùm iuſti in terris cum omnibus requiſitis conditionibus orant.

QVÆSTIO CLXXVII.

Vtrùm oratio quæ ob reſpectum aliquem, aut defectum circunſtantiæ eſt mala ſaltem venialiter, etiamſi aliis omnibus ſit optima, & fiat in ſtatu gratiæ, quicquam prodeſſe poſſit.

SVNT, qui putant eam prodeſſe in bonum temporale ipſius orantis, ob admixtam bonitatem. Quod probant primò ex eo, quòd hoc modo meruerunt ſecundùm D. Gregorium obſtetrices Ægyptiæ domos, quas eis ædificauit Deus propter mendacia, quibus liberauerunt filios Hebræorum.

Secundò probant ex eo, quòd Romani ſuum imperium obtinuerunt à Deo ſecundùm D. Auguſt.

guſt. lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 15. ob iuſtitiam, quam faciebant ob vanam gloriam, quæ mala eſt, vtpote malo fine facta.

Sed contraria ſententia eſt communis, & tenenda. Pro qua facit primò, quia ſecundùm Diuum Tho. in 2. diſt. 4. q. 1. art. 4. nullus actus, ſiue opus poteſt eſſe bonum, & malum, meritorium, & demeritorium ſimul.

Secundò facit, quia non videtur iuſtitiam diuinam decere largiri cuiquam mercedem ob opera mala, punitione digna. Tertiò facit, quia Deus non ædificauit domos obſtetricibus ob mendacia, quibus ſe excuſauerunt, ne occiderent filios Hebręorum, ob quæ merebantur puniri, ſed ob metum, & reuerentiam, quam erga ſuam Maieſtatem habuerunt, quæ erant opera bona.

Quartò, & vltimò facit, quia Romani non meruerunt ſuum imperium ob opera, quæ ob inanem gloriam faciebant, ſed ob illa, quæ vnà cum illis virtuosè faciebant, qualia infideles agere poſſe, aſſerit D. Tho. 2. 2. q. 10. art. 4.

QVÆSTIO CLXXVIII.

Vtrùm oratio peccatoris ſit aliquo modo fructuoſa.

NONNVLLI negant, & probant ex illo Pſalmi 65. Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus. Et ex illo 1. Ioan. 3. Si cor noſtrum non reprehendit nos, &c. Et ex illo Iſai. 1. Cùm multiplicaueritis orationes, non exaudiam, manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt. Et ex illo

Ioan. 9.

Ioan.9. Scimus quia Deus peccatores non exaudit.

Sed communis, & verior ſententia eſt, orationem peccatoris eſſe fructuoſam. Et ratio eſt, quia etſi peccator orando non mereatur de condigno gratiam, & gloriam, cùm ſit charitatis expers, diſponit tamen ſeipſum ad gratiam, & peccati remiſſionem obtinendam, iuxta illud D. Auguſt. Nullus ad veram ſalutem venit, niſi vocatus à Deo, & nullus vocatus, ſicut oportet, operatur, niſi ab eodem adiutus, & nullus adiutorium recipit, niſi qui oratione illud impetrat à Deo. Quod etiam docuit Chriſtus Dominus Luc. 11. quando dixit. Si vos cùm ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quantò magis Pater veſter cæleſtis dabit de cælo Spiritum bonum petentibus ſe.

Secundò, oratio peccatoris valet ad promerendum temporalia bona. Sic remunerauit Nabuchodonoſor, dando ei Regnum Ægypti, eò quòd bellum ſtrenuè geſſerat contra inimicos Dei, & tamen infidelis erat. Ex quo D. Hieronymus infert, etiam Ethnicos, ſi quid boni fecerint, abſque mercede non præteriri.

Tertiò valet ad euitandum peccatum, vt ſi fortè tenebatur ex præcepto, vel voto orare, orando euitat peccatum, quod non orando committeret.

Quartò valet ad reſiſtendum vitiis, præſertim ſuperbiæ ob humilitatem, quam oratio habet annexam.

Quintò valet ad generandum bonos mores in mente.

Sextò, & vltimò valet ad impetrandum preces Sanctorum pro ſe: Sancti enim videntes in Verbo quòd homo ſe illis commendat, ipſi exci

excitantur ad interpellandum pro illo. Itaque quã-uis non ſemper oratio à Deo exaudiatur, vt conferat, quod orans petit, non inde ab oratione ceſſandum eſt, tanquam à re inutili; quandoquidem hæc prædicta, & multa alia commoda oratio ipſa poteſt oranti afferre: maximè quia quemadmodum ait Gerſon in libro de valore orationis, ſunt aliquæ orationes, quæ ſuam vim ex opere operato ad aliquos ſalutares effectus habent, & exemplificat de oratione Dominica, cui vim contulit ipſa Dei inſtitutio. Et de orationibus factis ab Eccleſia, quibus etiam fides formata ipſius Eccleſiæ nonnullam confert vim, Deo eas vt decet approbante, quæ quidem, etſi in orante meritum deſit, ſuam vim aliunde habitam non amittunt.

Ea verò quæ pro contraria opinione adducta ſunt, intelliguntur formaliter de orationibus, quas homines vt peccatores faciunt, id eſt, quæ peccatum eorum per prauam intentionem, vel aliam malam circunſtantiam participant. Quo ſenſu videtur loquutus cæcus ille cùm dixit: Scimus quia peccatores Deus non exaudit. Volebat enim oſtendere Chriſtum non eſſe peccatorem, quia Deus non exaudit peccatores vtique ad facienda miracula in confirmationem ſui mendacij, quia tunc faceret ſe authorem, vel confirmatorem mendacij, hoc igitur modo Deus peccatores orantes non exaudit. Vel dic quòd illa verba non ſunt Euangeliſtæ, ſed illius cæci, quem Deus ſanauit, & vt ait D. Aug. tr. 44. in Ioãnem, loquitur homo ille adhuc inunctus, hoc eſt, nondum ſatis à ſpiritu ſancto illuſtratus. Nam peccatores Deum colentes, & humiliter ab ipſo aliquid petentes, Deus exaudit. Cuius exem-

plum

plum clarum eſt de Maria Magdalena, de Publicano, de Zachæo, de latrone, de aliiſque pluribus, quos nobis Scriptura in exemplum proponit. Vnde idem Auguſt. Si Deus non audiret peccatores, fruſtra publicanus dixiſſet, Deus propitius eſto mihi peccatori.

QVÆSTIO CLXXIX.

Vtrùm oratio viatoris proſit alteri exiſtenti in paradiſo.

RESPONDEO non prodeſſe quoad eſſentialem gloriam, quia illam iam habet, neque quoad ſatisfactionem pro ſuis peccatis, pro quibus abundè ſatisfecit: immò peccaret qui quoad hæc pro eis Deum oraret, iuxta illud vulgatum Auguſtini. Iniuriam facit Martyri, qui orat pro ipſo.

Dixi notanter, *quoad eſſentialem gloriam*, quia quoad augmentum accidentalis gloriæ euenientis Sancto, ex eo, quòd videt in Verbo diuino cognatos, & amicos eius ſui meminiſſe, & quoad honorem, & cultum ipſius ad homines amplificandum prodeſſe poteſt, iuxta illam orationem, qua qui celebrat, offert ſacrificium, vt proſit Sanctis ad honorem, nobis autem ad ſalutem.

QVÆSTIO CLXXX.

An oratio iuſti pro altero fuſa proſit ad ſatisfaciendum pro illius peccatis.

ET quidem certum eſt, eam non prodeſſe, ſi alter pro quo oratur ſit in peccato mortali, quia cùm ſit Dei gratia, & charitate deſtitutus, vis orationis ad ſatisfaciendum impeditur.

QVÆSTIO CLXXXI.

Sed dubium eſt, quando alter pro quo ſit oratio, ſimiliter eſt in gratia.

IN qua re etiam eſt certum, orationem vnius iuſti fuſam pro alio iuſto prodeſſe ad ſatisfaciendum pro illius peccatis. Et ratio eſt, quia iuſti ſunt inuicem vnius corporis myſtici membra, ac proinde mutuis ſeſe officiis, ſtudiis, & ſuffragiis iuuant.

QVÆSTIO CLXXXII.

Tota igitur lis eſt; An oratio iuſti ex iuſtitia, ac certa promiſſione, & lege Dei pro alio iuſto vim habeat ſatisfaciendi, an verò per viam liberalis impetrationis.

SVNT qui affirmant habere vim ſatisfaciendi pro alio ex iuſtitia. Et probant, quia cùm oratio, eò quòd pœnalis eſt, ſit ſatisfactoria, & ſolutiua pœnę debitæ ei qui orat, & in poteſtate eius eſt, vim ſatisfactionis in alterum transferre, ſequitur quòd illi alteri cedat in ſolutum.

Et

Et confirmatur, nam ſi Ioannes v. g. id totum ſoluit nomine Petri, quod Petrus Andreæ debebat, Andreas iure nihil amplius poteſt exigere à Petro.

At communis, ac veriſſima ſententia eſt, orationem vnius iuſti non eſſe ſatisfactoriam pro altero de iuſtitia, ſed ſolùm ex benignitate. Et ratio huius eſt, quia nullus dicitur ſatisfacere Deo de iuſtitia, niſi quando Deus ex lege, ac certa promiſſione aſtrictus eſt, illam ſatisfactionem loco debiti acceptare. Nam ſi acceptat merè liberaliter, non acceptat ex iuſtitia. Atqui nullibi reperitur, ſe per legem obligaſſe ad acceptandam orationem vnius pro alio, etiam ſi congruum ſit, vt acceptet, vt amicis condeſcendat, ergo oratio vnius non eſt ſatisfactoria pro altero de iuſtitia.

Et confirmatur, nam ſi ſecundùm legem ciuilem Titius ob ſua crimina deberet Iudici centum flagella, & Caius volens illum à flagellis liberare in ſeipſo ſponte illa centum flagella ſuſciperet, proculdubio hic non ſatisfaceret Iudici de iuſtitia pro Titio, quia hoc non obſtante iuſtè poſſet Iudex procedere contra Titium. Ita igitur hîc, cùm peccator ob culpam etiam dimiſſam, ſit Deo debitor pœnæ per ipſum, vel per Angelos ſuos malos ſumendæ, ſi vnus velit pro alio ſatisfacere, non tenetur Deus ex iuſtitia id loco debiti acceptare.

Nec exemplum allatum eſt ſimile. Quia aliud eſt debitum reale, quod homo homini debet, & aliud debitum pœnæ, quod homo ob crimen Deo debet. Primum eſt talis conditionis, quòd per quemcunque nomine debitoris ſoluatur,

manet ſolutum. Debitum verò pœnale ob crimē non ſic manet de rigore per alium ſolutum niſi per ipſum, qui peccauit ſoluatur. Quòd ſi Deus offenſus, alterius ſolutionem velit acceptare, erit hoc ex benignitate, & non ex iuſtitia.

QVÆSTIO CLXXXIII.

An Sanctus aliquis Eccleſiæ triumphantis, aut militantis poſſit de condigno, & iuſtitiæ lege alteri mereri vitam æternam, & augmentum gratiæ.

SVnt quidam qui tenent partem affirmatiuam. Et probāt ex eo quod dicitur 1. Ioan. 5. Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum, non ad mortem, petat & dabitur ei vita. Et iterum. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, &c. & poſtea ſubiungit. Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Ergo per aliorum preces vita, & remiſſio peccatorum quæ fit per gratiam peccantibus promittitur. Et ex illo Matth. 9. Vidēs Ieſus fidem illorum, dixit paralytico. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Super quo Gregorius. Quantum valet apud Deum fides propria; apud quem tantum valuit aliena, vt intus, & extra ſanaret hominem: ſed interior ſanatio hominis eſt per primam gratiam, ergo homo poteſt alteri mereri primam gratiam.

Contrariū tamen eſt proculdubio affirmandū. Pro quo facit illud Ierem. 15. Si ſteterit Moyſes, &

Samuël

Samuël coram me,non eſt anima mea ad populum iſtum:qui tamen fuerunt maximi meriti apud Deũ, ergo nullus poteſt alteri mereri de condigno gloriam,& gratiæ augmentum.Cui etiam conſonat illud Ezech.18. Filius non portabit iniquitatem patris, nec iuſtitiam, nec econtra,& iuſtitia iuſti ſuper eum erit, & impietas impij ſimiliter erit ſuper eum. Ex quibus verbis ſatis apertè colligitur, quòd vnus non reportabit gratiam,nec gloriam propter iuſtitiam alterius. Sicut nec vnus portabit ſupplicium alterius, ſed ſi vnus poſſet alteri immediatè impetrare primam gratiam, aut augmentum eius, atque ex conſequenti gloriam correſpondentem, falſa eſſet præfata ſententia. Facit etiam illud Pauli 2.Cor.5. Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, & reportabit vnuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo,non ſecundùm ea,quæ per alium facta ſunt.

Ex quo colligitur, quòd merito condigni nullus iuſtus poteſt ſuis precibus mereri alteri iuſto vitam æternam,aut gratiæ incrementum: nec item iniuſto primam reconciliationis gratiam: Solus enim Chriſtus de condigno, & iuſtitiæ lege alteri gratiam,gloriam,ac peccatorum remiſſionem promeruit,ob rationem quam in id adducit S. Thom. 1.2.quæſt.114.art.6.Sed merito congrui poteſt aliquis alteri mereri gratiam,& gloriam. Quia enim homo in gratia conſtitutus implet Dei voluntatem,congruum eſt ſecundùm amicitiæ proportionem, vt Deus impleat hominis voluntatem in ſaluatione alterius. Ex quo fit, vt oratio vnius pro altero facta,non valeat ei immediatè ad primam gratiam, nec ad augmentum eius, ſed tantùm mediatè, quia ſcilicet tali oratione inclinatur Deus

ad mouendum eum, pro quo oratur, vt ſe diſponat ad ſuſcipiendam gratiam, non tamen de lege, vltra gratiam propriæ diſpoſitioni reſpondentem, aliam ob merita, vel orationem alterius impetrabit.

Ex qua doctrina colligitur orationem propriam eſſe maioris virtutis via iuſtitiæ, quàm alienam, propria enim viua ſecundùm D.Thom. 1.2.quæſt. 114.artic.1. gloriam, & gratiæ augmentum, immo etiam mortua, quæ non eſt mala, vel vitioſa de iuſtitia quadam, nitente promiſſioni Dei ex miſericordia facta de præſtando à ſe poſtulata, impetrat concurrentibus conditionibus neceſſariò requiſitis.

Dices, quomodo ſtare poteſt, Deum nobis debere, & obligari, cum dominus ſeruo non poſſit obligari aut ei quicquam debere.

Reſpondeo, Deum vera obligatione non obligari nobis nec quicquam de iuſtitia nobis debere, ſibi tamen ſic, ita vt ex ſua diuina bonitate, & veritate adimpleat quod promiſit, vt quæ procedunt de labiis ſuis non faciat irrita. Deut.32. Ita D.Tho. 1.2.q.114.at.1.ad 3.

His omnibus explicatis, facili iam negotio diſſoluuntur illa quæ pro prima opinione facere videbantur. Et ad primum dicimus, quòd ex illo loco non colligitur, quòd ad orationem alterius, dabitur peccanti vita ſine pœnitentia ipſius.

Ad ſecundum reſpondeo, quod ille locus intelligitur de ſacramento extremæ vnctionis, quod valet ex opere operato ad ſalutem. Et oratio illa fidei, &c. poteſt accipi pro oratione, quam Sacerdos dicit, dum vngit infirmum, ſcilicet, Per hanc

vnctio

vnctionem, & Dei piiſſimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus, &c. Quod ſi de oratione multorum presbyterorum illic pro ſalute infirmi orantium intelligatur, dicendum quòd talis oratio ſaluabit infirmum mediatè, vt dictum eſt, mediante ſcilicet eius pœnitentia, illi per orationem impetrata.

Ad tertium, & vltimum reſpondeo, quod ex illo loco non ſequitur quod ſola fides offerentium ſuffecerit ad obtinendam primam gratiam, quod patet quia Chriſtus ei dixit. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Vnde præmiſit, Confide. Et adiunxit, Remittuntur. Ex quo apparet illum paralyticum fiduciam habuiſſe in Chriſto, ideoque veniam peccatorum obtinuiſſe. Et ad illud Greg. fateor quod aliena fides valuit illi paralytico ad remiſſionem peccatorum, ſed mediante illius contritione, per orationem presbyterorum impetrata.

QVÆSTIO CLXXXV.

An oratio vnius valeat alteri ad alia bona citra gratiam, & gloriam.

ET quidem loquendo de oratione, quæ fit à iuſto pro iuſto, ſiue viuo, ſiue defuncto, certum eſt eam valere iuxta illud Gen. 19. Recordatus eſt Dominus Abraham, & liberauit Loth de ſubuerſione vrbium, in quibus morabatur. Et illud Exodi 17. Quandiu manus leuabat Moyſes, vincebat Iſraël: quoties verò remittebat, vincebat Amalech.

QVÆSTIO CLXXXV.

Sed totum controuerſiæ diſſidium eſt de oratione iuſti pro iniuſtis, An videlicet aliquid valeat.

RESPONDEO valere, vt conſtat Gen. 18. vbi orante Abraham Deum, ne vrbes Sodomitarum ſuccenderet, dixit Deus: Si aliquot iuſtos, etiam ſi decem tantùm ibi repereto, non delebo illas. Vnde Ambroſ. lib. de Abrahamo cap. 6. ait: Hîc diſcamus quantus amicus patriæ ſit iuſtus, & quemadmodum non debemus inuidere Sanctis, neque temerè derogare: illorum enim nos fides ſaluat, illorum iuſtitia ab excidio defendit. Patet etiam ex eo quod dixit Dominus Abimelech: Redde vxorem viro ſuo, & orabit pro te, quia Propheta eſt, & viues. Et ex illo Pſalm. 105. Dixit, vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſteriſſet in confractione in conſpectu eius.

QVÆSTIO CLXXXVI.

Vtrùm oratio iniuſti fuſa pro iuſtis, vel pro iniuſtis aliquid valeat.

RESPONDEO per diſtinctionem, nam vel ille iniuſtus orat pro iuſtis, vel iniuſtis nomine Eccleſiæ tanquam miniſter ipſius, orationes fundens ab ipſa Eccleſia inſtitutas: vel nomine alte-

rius

rius iuſti, qui orationem ſibi cõmendauit,& ſic oratio eius illis prodeſt, quia quamuis non habeat valorem ex opere operantis, habet tamen ex parte illius, in cuius perſona dicitur oratio. Vel iniuſtus orat pro iniuſtis, vel pro iuſtis priuatim ſuo nomine, & ſic eius oratio nihil valet, quia cùm ſit opus hominis mortui, hoc eſt vita gratię deſtituti, nec ex opere operato, nec operantis habet valorem ſaltem ex iuſtitia, quamquam ex liberalitate ipſius Dei poſſit à Deo acceptari ad bonum aliquod temporale præſtandum alteri pro quo fit.

Ex quo infertur orationem quam improbus ſacerdos nomine Eccleſiæ fundit in Miſſa, eſſe fructuoſam iis pro quibus oratur. Et ratio eſt, quia hic orationis fructus reſpondet merito Eccleſiæ, non ſacerdotis.

QVÆSTIO CLXXXVII.

Vtrùm oratio, quam hæreticus, vel ſchiſmaticus Sacerdos, vel Catholicus maiori tamen excommunicatione affectus offert, ſit fructuoſa.

Diuus Thomas 3.p.q.82.ar.7.ad 3. & Sotus in 4.diſt.13.q.1.ar.7.negant eſſe fructuoſam. Et probant, quia Sacerdos orationem fundit nomine, & authoritate Eccleſiæ, ſed Eccleſia per talem Sacerdotem non orat, quia eum à ſuo gremio, & conſortio excludit.

Alij verò rectiùs docent eam eſſe fructuoſam, quia eam fundit Sacerdos, quamuis alioqui hæreticus, vel ſchiſmaticus, aut excommunicatus, ratione publici muneris, & officij, quo fungitur: ſed huius muneris poteſtatem Eccleſia non tollit, ergo valet eius oratio.

QVÆSTIO CLXXXVIII.

An oratio fuſa pro aliis proſit eam facienti.

Respondeo ſibi prodeſſe quantum ad lucrum totius gratiæ, & gloriæ, quam de condigno, & obligatione iuſtitiæ ob bonum opus ſuum meretur, neque eam licet velit, poteſt alteri communicare.

QVÆSTIO CLXXXIX.

Quid igitur alteri proſit.

Respondeo quòd prodeſt primo, quia ei applicatur via liberalitatis valor impetrandi à Deo poſtulata quam ſua oratio habet.

Secundò applicatur valor ſatisfaciendi pro ſuis peccatis.

QVÆSTIO CXC.

Vtrùm oratio facta pro multis, tantum ſingulis valeat, quoad vim impetrandi, quantum valeret, ſi pro vno ſolo funderetur.

Svnt

SVNT, qui cenſent impetrationem orationis nõ minui in ſingulis,eò quòd pro pluribus fiat, quia non innititur in meritis orantis, ſed in miſericordia, & liberalitate Dei,quæ infinita eſt, & æquè propenſa ad benefaciendum omnibus,ac ſingulis, ergo cùm oramus, non minùs exaudimur ſi pro pluribus precemur, quàm ſi pro vno tantùm oremus.

Tum quia videtur oratio fuſa pro multis eſſe ex maiori charitate, & hac ratione etiam efficacior ad impetrandum, & ſic creſcere creſcente multitudine eorum, pro quibus oratur, ac ſubinde vnicuique tantum prodeſſe, quantum ſi ſolùm pro vno fieret.

Tum quia bonum ſpirituale comparatur ſpiritui,ſed ſpiritus totus, & non per partes communicatur, nõ enim minus habet de anima caput,quàm manus, cùm ſit tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, ergo etiam bonum ſpirituale totum abſque ſui diuiſione communicatur, cuicunque communicatur.

Tum etiam, quia candela coram multis accenſa æquè illuminat omnes, ergo & oratio omnibus pro quibus fit,æquè valet.

Sed conſtans eſt omnium Theologorum ſentẽtia, orationem non tantum valere vni pro multis fuſam, quantum valeret illi, ſi pro illo duntàxat funderetur. Ratio huius eſt, quia licèt impetratio orationis præcipuè fundetur in benignitate, & promiſſione, nihilominus etiam fundatur in ipſa oratione, nam oratio eſt cauſa in ſuo genere efficiens impetranti, & Deus recipit ipſam orationem, vt illud

con

concedat, ergo veriſimilius eſt, obſeruari etiam, ad impetrandum valorem moralem ipſius orationis, & proportionem ad rem poſtulatam, & hac ratione ad impetrandum maiorem effectum excellentior oratio vtilior eſt, ita ergo eadem oratio facta pro pluribus non tantam habet proportionem ad impetrandum pro vno in particulari, ac ſi pro illo ſpeciatim fieret.

Tum quia oratio eſt finitæ virtutis, & efficaciæ, at finitum in plures homines diuiſum, fit in ſingulis minus.

Tum quia, ſi oratio tantùm valeret vnicuique eorum, pro quibus fit, quantum ſi pro eo ſolo diceretur, magna videretur incuria, & negligentia Sacerdotis, ſi cùm pro vno orat, non id pro omnibus facit, cùm per hoc quòd pro omnibus id faceret, nec ille vnum quidquam fructus orationis perderet, & cæteri alij tantundem lucrarentur.

Ex quo infertur, Sacerdotem non poſſe vna Miſſa ſatisfacere vni, vel pluribus, quibus debet ſingulas citra ſuum conſenſum.

Reliquum iam eſt, vt argumenta, quibus prima opinio corroborari videbatur, diſſoluamus. Et ad primum, nego impetrationem ſolùm fundari in Dei benignitate, nam, vt dixi, licèt ſit principalis cauſa, etiam oratio aliquid cooperatur.

Ad ſecundum reſpondeo, orationem pro multis fieri ex maiori charitate, conſeqnenter nobiliorem, & excellentiorem eſſe, conſequenter dignam quæ magis exaudiatur. Non tamen hinc ſequitur, ita dignam eſſe, vt æquè pro pluribus exaudiatur, ac pro vno.

Ad tertium reſpondeo, magnam eſſe differentiam inter ſpiritum, & bonum ſpirituale, nam ſpiritus quia indiuiſibilis eſt, ideo non poteſt per partes communicari, at bonum ſpirituale quod per orationem alicui impetratur, diuiſibile eſt, vt conſtat.

Ad quartum, & vltimum reſpondeo, eſſe magnam diſſimilitudinem, nam candela à natura ſua efficit effectum in paſſum æquè appropinquatum: oratio autem non niſi ex intentione orantis, & voluntate Dei orationem acceptantis, ergo ſtat, quòd oratio non æquè proſit pluribus, quantum ſi pro vno ſolo diceretur.

QVÆSTIO CXCI.

An oratio pro pluribus oblata ſit æquè ſatisfactoria pro ſingulis, quàm facta pro vno.

SVNT nonnulli qui cenſent, abſolutè orationem factam pro pluribus, æquè ſatisfacere prò ſingulis, ac ſi pro vno duntaxat fieret. Et probant ex Diuo Hieronymo in cap. Non mediocriter. de conſecr. diſt. 5. vbi dicitur nihil minus accipi dum pſalmus pro multis recitatur, quàm dum pro vno ſolo decantatur.

Sed reuera oppoſitum eſt longè verius, & probabilius. Ducor, quia omnis orationis fructus, (quod attinet ad ſatisfactionem) certus, & finitus eſt. At quod finitum eſt, ſi diuidatur in multos, minus in ſingulis eſt, quàm ſi in

ſi in vnum tantummodo conferretur.

Tum quia Eccleſia ſæpe pro priuatis hominibus ſpeciatim orat, & pro rebus peculiaribus obtinendis nominatim orat, cùm tamen deberet pro omnibus Deum precari, ſi tantum prodeſſet oratio ſingulis, dum pro multis offertur, quantum ſi pro vno ſolo funderetur.

Nec obſtat dictum D. Hieronymi, quia loquitur duntaxat de merito, quod oratio cuiuſlibet habet: Vnde mens eius eſt, non minus meretur is qui pro pluribus orat, quàm ſi pro vno ſolùm oraret.

QVÆSTIO CXCII.

An oratio facta pro multis, ſit magis grata Deo, & magis gratiæ, & gloriæ meritoria, quàm facta pro paucis, vel vno.

Respondeo, quòd cæteris paribus illa oratio gratior eſt Deo, & magis meritoria, quæ pro pluribus fit. Et ratio eſt, quia quantò charitas fraterna magis dilatatur, & extenditur, cæteris paribus magis grata eſt Deo.

Tum quia Chriſtus in oratione Dominica nos docuit orare eo modo, quo Deo magis placeremus. Docuit autem non pro vno, aut pro paucis orare, ſed pro omnibus, ergo illa eſt gratior oratio, in qua pro pluribus oratur.

Dixi, *cæteris paribus*, quia interdum melior eſt ea, quæ fit pro paucis, vel quia fit maiore cum

feru o

feruore, vel maiore difficultate, quæ meritum augent.

Ex quo infert Medina de oratione quæſtio.20. cæteris paribus gratiorem eſſe Deo orationem pro inimicis factam, quàm quæ pro amicis fit. Quia primum maioris difficultatis eſt, & maioris charitatis, quàm ſecundum. Cuius oppoſitum alij putant probabilius ſequuti D. Thom. 2. 2. quæſt. 27.art.7.qui ait, melius eſſe amare amicum, quàm inimicum: & per conſequens melius eſſe, orare Deum pro ſuo bono Rege, quàm pro Turca cæteris paribus.

QVÆSTIO CXCIII.

Quotuplex ſit orationis valor.

Respondeo triplex, ſcilicet ſpecialis, communis, & medius. Et ratio eſt, quia ſicut quodlibet pium opus primum omnium ſuo prodeſt authori, mox omnibus totius Eccleſiæ membris. Poſtremò illi in cuius gratiam fit. Sic etiam orationis ſpecialis valor eſt, quo iuſtus gratiam, & gloriam meretur. Communis verò effectus eſt, qui ex Eccleſiæ intentione omnibus fidelibus applicatur. Medius autem is eſt, quem participant hi, pro quibus orans ſpecialiter orare intendit. Et primum ſcilicet ſpecialem non poteſt ipſe orans alteri à ſe applicare, nam contra charitatem ageret, quæ à ſe incipit, & contra Dei inſtitutionem, qui vnicuique oranti, aut benè merenti ſuum

pro

promiſit præmium quandoquidem vnuſquiſque ſui operis fructum reportabit. Secundum valorem ſcil. communem, etiam orans non poteſt à tota Eccleſia amouere, & particulariter cui velit applicare: eſſet enim hoc etiam contra charitatem, quæ omnia amicorum communia facit, & omnis iuſtus eſt particeps omnium bonorum operum, quæ in Eccleſia fiunt, iuxta illud Pſalm. 118. Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Tertium autem valorem medium, poteſt ipſe orans, ſeu opus meritorium faciens applicare ſibi, aut aliis, quibus velit. Nauar. de oratione cap. 13. num. 12. & Bonac. de horis Canon. diſp. 1. q. 4. p. 2.

QVÆSTIO CXCIV.

Breuis, & ſimplex explicatio orationis Dominicæ.

Qvamvis multi Patres, & viri doctiſſimi, tum veteres, tum iuniores hanc orationem accuratiſſimè explicauerint, vixque poſſimus eorum pietati, & eruditioni aliquid quamuis minimum adiungere, nihilominus ad huius tractatus complementum, commodum viſum fuit non omninò hanc expoſitionem omittere.

QVÆSTIO CXCV.

An oratio Dominica ſit omnibus aliis orationibus excellentior.

Respon

RESPONDEO eſſe excellentiorem, authoritate, breuitate, perfectione, ordine, efficacitate, & neceſſitate.

Primò authoritate, quoniam ab ipſo Chriſto, qui eſt Dei Filius, & ſapientia Patris, condita eſt. Quod agnoſcens Eccleſia canit: Præceptis ſalutaribus moniti, & diuina inſtitutione formati audemus dicere, *Pater noſter*.

Secundò breuitate, quia paucis verbis multa complectitur. Huius autem breuitatis quinque aſſignantur cauſæ à Doctoribus.

Prima vt ſic Chriſtus præberet fidelibus fiduciam impetrandi, quod breuibus verbis poſtulandum eſſe demonſtrauit.

Secunda, vt eò faciliùs poſſet memoriæ mandari.

Tertia, vt prudentia etiam ingeniorum miraretur de profunditate myſteriorum, & multiplicitate ſententiarum in tanta verborum paucitate comprehenſorum.

Quarta, vt quantò breuior, & quantò facilior eſt oratio, tanto frequentiùs, & maiori cum attentione ac deuotione repetatur.

Quinta, & vltima, vt ſic deſtrueret Ethnicorum errorem, qui in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis Deum orandum eſſe putabant, quaſi vel vocibus abſens vocandus eſſet, vel verborum multiplicatione docendus, quod ante ignorabat. Vnde D. Aug. in epiſtola ad Probam. Abſit in oratione multa loquutio, ſed non deſit multa precatio, ſi feruens perſeuerat intentio.

Tertiò oratio Dominica eſt excellẽtior omnibus aliis formis orandi in perfectione, quia omnia comprehendit quæ à Deo nos petere, vel neceſſa-

 rium,

rium, vel vtile eſt, vt rectè monet D. Aug. epiſt. 121. cap. 12. Vnde Tertull. in lib. de oratione ait, orationem Dominicam eſſe quaſi breuiarium Euangelij, quia dum hanc orationem fundimus, ſimul admonemur, quid credere, quid ſperare, quid amare, quem colere, quid agere, quid fugere, quid appetere, quid contemnere debeamus.

Quartò, ordine, quoniam mirabili diſpoſitione, ac ordine omnes partes orationis, & vniuerſam orandi materiam complectitur. Et ratio eſt, quia oratio interpres eſt deſiderij, deſiderium autem actus eſt charitatis, qua diligimus Deum in ſe, & nos in Deo. Ideo primò petimus bonorum largitionem.

Secundò malorum remotionem: & in bonis primò bonum diuinum: *Sanctificetur nomen tuum:* quæ petitio oritur ex amore, quo diligimus Deum in ſe. Secundò noſtram æternam beatitudinem. *Adueniat regnum tuum.* Et hæc petitio oritur ex amore, quo diligimus nos in Deo.

Tertiò, rationem ad eam perueniendi principalem, ideſt, gratiam ſeruandi præcepta: *Fiat voluntas tua.*

Quartò, rationem minùs principalem, ideſt, bona temporalia: *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.*

In malis primò petimus remotionem mali præteriti quod propriè impedit ſummam noſtram fœlicitatem: *Dimitte nobis debita noſtra.*

Secundò mali futuri, quod impedit ne Dei præcepta ſeruemus: *Et ne nos inducas in tentationem.*

Tertiò mali præſentis omnium videlicet huius

vitæ

vitæ miſeriarum, quatenus impediunt ſufficientiam temporalium bonorum, quæ ſuo modo ad vitam æternam conſequendam, vel neceſſaria, vel vtilia ſunt. *Sed libera nos à malo.* D. Thom. 2. 2. q.83. art.9.

Quintò efficacitate, quia nihil poteſt Deum Patrem magis mouere, quàm oratio Filij eius. Neque vllus meliùs nouit, quæ ſit oratio efficacior apud Deum, & quibus bonis nos potiſſimum egeamus, quàm is quem Deus Aduocatum noſtrum, Patronúmque conſtituit. Quoniam filij Dei verbis loquentes faciliùs exaudimur à Patre: gratiſſima enim Patri vox eſt Filij, quam vti ſuo proprio ore dictauit, ita & Spiritu ſuo quodammodo animauit, vt ſingulari priuilegio in cælum aſcendat. Denique ſi quidquid petitur in nomine Chriſti, facilè impetratur, vt dicitur Ioan. 16. quantò faciliùs impetrabitur, quod non ſolùm in nomine Chriſti, ſed etiam verbis Chriſti poſtulabitur.

Sextò neceſſitate, quoniam quotidie ea vti oportet, cùm quidquid eſt nobis ad ſalutem neceſſarium, vel vtile, in ea petatur. Vnde in conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 7. capitul. 25. monentur Chriſtiani omnes, ter quolibet die orationem hanc fundere. Item in Concil. Toletan. 4. capitul. 9. iubemur nullo vnquam die orationem hanc intermittere, quam non ſine ratione Diuus Auguſtinus in Ench. capitul. 71. & Diuus Cyprianus ſermone 6. quotidianam vocauerunt. Denique in Concil. Remenſi capitulo 2. docemur non licere homini Chriſtiano Dominicam orationem, aut non tenere

memoria, aut non intelligere, aut non frequentare.

QVÆSTIO CXCVI.

In quot partes hæc oratiò Dominica diuidatur.

RESPONDEO, in tres partes principales, ſcilicet procemium, tractatum, & cõcluſionem. In quarum prima, eius qui petitur, captatur beneuolentia, cùm dicitur, *Pater noſter qui es in cœlis.* In ſecunda petitionum, quas fundimus, ſubiungitur ſeries. Ibi. *Sanctificetur*, &c. Et tandem earundem petitionum optatur confirmatio, cùm concluditur, *Amen.*

Circa primum eſt obſeruandum, ſemper apud homines poſitum fuiſſe in more, eos qui aliquid impetrare cupiunt, à laudibus ipſius, quem rogaturi ſunt, ſuam exordiri orationem, quatenus eum beneuolum, & attentum reddant. Vnde Moyſes rogaturus Deum, vt populum Iſraëliticum non deſereret, ab eius laudibus incepit dicens: Dominator Deus, miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax. Et poſtea ſubdit. Si inueni gratiam in conſpectu tuo Domine, obſecro, vt gradiaris nobiſcum.

Iudith quoque volens orare Deũ pro contritione hoſtium, eius laudes ſuæ petitioni præmiſit dicens: Deus cælorum, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miſeram, &c.

Eandem orandi formulam Chriſtus Dominus pro

pro ſua infinita miſericordia nos habituros eſſe docuit, dum orationem inſtituens laudis exordium præmiſit dicens: ſic autem orabitis: *Pater noſter*, &c. Nam cùm dicitur, *Pater noſter*, laudamus primò bonitatem Dei, qui appellari dignatur Pater à viliſſimis ſeruulis: cum addimus: *Qui es in cælis*, laudamus eius potentiam, & excellentiam, qui in cœlo, id eſt, in altiſſimo ſolio præſidet.

Secundò admonemur tum noſtræ adoptionis cœleſtis, dum dicimus: *Pater noſter:* tum noſtræ peregrinationis terrenæ, dum addimus: *Qui es in cælis*, vt ſimul intelligamus nos egere auxilio, quia peregrini ſumus, & fiduciam petendi concipimus, quia filij Dei ſumus.

Tertiò excitamur ad Dei amorem, & timorem, quæ ſunt optimæ ad bene orandum diſpoſitiones. Ad amorem quidem, cùm cogitamus nos Patrem adire, vt cum eo de rebus nobis neceſſariis colloquamur. Ad timorem verò cùm conſideramus Patrem illum in cœlo ſedere, & terrena ſimul ac cœleſtia moderari.

Quartò, admonemur, vt meminerimus nos Patri terreno renunciaſſe, & Patrem in cælis habere cœpiſſe, & ideo deinceps non terrenam, ſed cœleſtem vitam nobis agendam, & non in terris, ſed in cælo patriam & hæreditatem eſſe quærendam.

Prima particula exordij orationis Dominicæ eſt, *Pater*, quæ probabiliter poteſt accipi perſonaliter pro prima perſona ſanctiſſimæ Trinitatis, quia illa ſola eſt, quæ ab æterno Filium ſuum æternum generat. Quo ſenſu accipitur in multis collectis, quæ diriguntur ad Patrem, & concludun-

tur per Filium, qui cum eodem Patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Sed verius, ac probabilius multò eſt, accipi eſſentialiter, prout eſt nomen commune toti glorioſiſſimæ Trinitati, ideſt, pro Deo, iuxta illud Malach. 2. Nunquid non Pater eſt vnus omnium noſtrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Eſt enim hæc oratio propria noui Teſtamenti, quia licèt ante Chriſti aduentum omnes iuſti adoptarentur in filios Dei, & ita etiam potuiſſent dicere, *Pater noſter*, nihilominus proprium fuit legis gratiæ hanc generalem formam habere omnibus maioribus, & minoribus propoſitam, & ad Chriſtum ſpecialiter pertinuit illam tribuere. Nam, vt D. Auguſtinus ait per ipſum hæc fiducia præſtita eſt, quotquot enim receperunt eum, dedit illis poteſtatem filios Dei fieri. Per hanc enim particulam, *Pater*, differt initium huius orationis ab initio orationum veteris Teſtamenti. In illis enim communiter exordium ſumebatur à Dei dominatione, & maieſtate. At verò in hac oratione exordium ſumitur à Dei beneuolentia, cùm dicitur *Pater*. Et ratio huius eſt, quia habitudo hominum veteris Teſtamenti ad Deum erat ſeruorum ad Dominum. Illius enim temporis homines magis ſeruiebant Deo timore, quàm amore: quod eſt proprium ſeruorũ. Vnde lex illa ab Apoſtolo lex timoris dicta eſt. In nouo verò Teſtamento habitudo fidelium ad Deum eſt filiorum ad Patrem. Per Chriſti enim merita, tantum Deus humano generi condeſcendere dignatus eſt, vt eos per adoptiouis gratiam, filios ſuos conſtituerit. Quare cùm dicimus, *Pater noſter*, non tam quod

Pater

Pater ſit ratione creationis, iuxta illud Deut. 32. Nunquid non ipſe eſt Pater tuus, qui fecit, & creauit te? ſed magis ratione adoptionis, de qua dicit Apoſtolus ad Rom. 8. Accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.

Dicimus *Pater noſter*, potius, quàm *Deus noſter*, quia Patris nomen magis eſt idoneum ad excitandum in nobis amorem filialem, & fiduciam impetrandi, & ad Deum intuitu adoptionis per Chriſtum factæ ad miſericordiam flectendam.

Ex quo colligit S. Gregorius Nyſſenus oratione ſecunda de oratione Domini, eos qui filij Dei non ſunt, nec eſſe volunt, quia nimirum voluntariè in peccato mortali perſiſtunt, mendaciter dicunt, *Pater noſter*, &c. Nam cùm Patrem inuocant, non Deum, ſed diabolum inuocant, ſiquidem ex Patre diabolo ſunt. Diabolus autem non eſt in cœlis, ſed in inferno. Ac proinde de tali oratione non ineptè intelligi poteſt illud Prouerb. 24. Oratio eius erit execrabilis. Tamen ſi peccator pœnitentiam agere incipiat, & iam ſpe, ac deſiderio, filius Dei ſit, non abſurdè dicere poterit, Pater noſter. Nam & filius prodigus nondum reconciliatus, Patrem appellat Deum, cùm ait: Pater peccaui in cœlum, & coram te, Lucæ 15.

Secunda particula eſt, *noſter*, qua ſimiliter Dei beneuolentiam captamus, per commendationem amplitudinis liberalitatis ipſius; dicendo enim *noſter*, quod generalitatem, ſeu vniuerſalitatem importat, ſuæ bonitatis liberalem quandam diffuſionem ſignificamus. Magna quippe Dei dignatio fuit, quod ipſe creaturas aliquas rationales

ad beatitudinem ordinauerit, illarúmque Pater non tam creatione, quàm adoptione extiterit.

Ex quo verbo admonentur diuites, & nobiles, vt non ſe extollant ſupra cæteros, neque pauperes, vel ignobiles deſpiciant, cùm in hac oratione fateantur ſe pro fratribus Chriſtianos omnes agnoſcere, iuxta illud Matth. 23. Omnes vos fratres eſtis, & Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter, qui in cælis eſt. Ex quo etiam efficitur, vt ipſius Chriſti fratres nominemur, & ſimus. Non confunditur, ait Apoſtolus Hebræor. 2. fratres eos vocare dicens: Narrabo nomen meum fratribus meis. Et ipſe Chriſtus ſuſcitatus à mortuis, dixit mulieribus. Ite nunciate fratribus meis.

Item admonemur fideles, vt S. Cyprianus docet, vnitatis, & pacis, quam cum omnibus habere debemus, ſi exaudiri cupimus. Debent enim qui vnum Patrem communiter inuocant eſſe cor vnum, & anima vna, & quaſi vno ore dicere: *Pater noſter.*

Item admonemur illo pronomine, vnumquemque debere orare non pro ſe tantùm, ſed etiam pro aliis, & pro vniuerſa Eccleſia. Et ideo in omnibus etiam petitionibus, quibus nobis aliquid petimus, idem pluralis numerus in idem pronomen referendus eſt.

Deinde ex hac voce colligit D. Chryſoſt. meliorem eſſe orationem generalem, quàm ſpecialem. Ideo enim orare docemur: *Pater noſter*, non *Pater mi.* Quia dum ſinguli orant pro omnibus, ergo omnes orant pro ſingulis.

Ex quo etiam conſtat, cur *Pater noſter*, & nõ *Pater*

mi dicamus: hunc enim poſteriorem modum ſibi reſeruauit Chriſtus tanquam ſibi proprium. Matth. 26. Pater mi, ſi poſſibile eſt. Aliter enim Chriſtus eſt filius, quàm nos; ille ſpecialiter, nos communiter. Vnde D. Ambroſ. Noli tibi ſpecialiter vendicare, ſolius Chriſti ſpecialis eſt Pater, nobis omnibus in communi eſt. Et D. Chryſoſtom. ſuper Matth. Dicitur Pater noſter: quod commune eſt omnibus: non Pater meus: quod ſoli Chriſto conuenit, qui eſt filius per naturam.

QVÆSTIO CXCVII.

Quinam filij ſub pronomine illo, noſter, *comprehendantur*.

DIVVS Auguſtinus loco citato cenſet ſolùm comprehendi fideles credentes in Chriſtum, quia illi ſoli poſſunt hanc orationem dicere.

Sed verius, ac probabilius multò eſt, comprehendi omnes viatores, nam pro omnibus orandum eſt, vt dicitur 1. ad Timoth. 2. & Deus omnium ſaluator eſt, licèt maximè fidelium. Et ita etiam vnus Deus Pater eſt omnium, vt dicitur ad Epheſ. 4. Et vt talis poteſt ab omnibus inuocari, ſi per eos non ſtet. Et hoc ſatis eſt, vt ſub illo pronomine comprehendantur.

Tertia particula eſt, *Qui es*, ex qua pari modo captamus Dei beneuolentiam ex commendatione immutabilitatis, & perpetuitatis ipſius. Hæc enim verba, *Qui es*, ſi propriè ſumantur, ſoli Deo conueniunt, ipſiúſque inuariabilem, & immuta-

bilem naturam, in qua nec præteritum, nec futurum, ſed nunc æternitatis ſemper ſtans ſine fluxu inuariatum inuenitur, propriè ſignificant. Quare Chriſtus Dominus volens oſtendere Iudæis ſe eſſe Deum, dixit, Amen, Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego ſum. Et Ioannis 8. Niſi credideritis quia ego ſum: moriemini in peccatis veſtris. Vnde Moyſi ad liberandum populum Iſraël miſſo, ac quærenti: Si dixerit mihi populus, quod eſt nomen eius, qui miſit te, quid dicam eis? Reſpondit Dominus: ego ſum, qui ſum. Et ſtatim ſubiungit, ſic dices filiis Iſrael: Qui eſt, miſit me ad vos. Et Sap. 13. dicitur de impiis. Non potuerunt cognoſcere eum qui eſt.

Quarta particula eſt, *in cœlis*, in qua etiam captamus Dei beneuolentiam ex manifeſtatione ſublimitatis manſionis eius: vt ſic Dei potentiam profiteamur.

QVÆSTIO CXCVIII.

Sed quæres, quid hoc loco per cælos intelligatur.

DIVVS Auguſtinus lib. 2. de ſerm. Domini in monte cap. 9. Diuus Ambroſius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. & Cyrillus Ieroſolymitanus catech. 5. per *cælos*, intelligunt montes ſanctorum, in quibus Deus per gratiam inhabitat, ſicut ſcriptum eſt. Anima iuſti ſedes eſt ſapientię, quod habetur Sap. 9.

At D. Bernardus ſerm. 1. in Pſalm. Qui habitat

in adiutorio, intelligit cælos corporales, ac propriè dictos. Nam in ſcripturis paſſim cælum hoc corporale, quod ſpectamus, ſedes Dei nominatur, iuxta illud Iſaiæ, cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Et illud Matth. 5. Nolite iurare per cælum, quia thronus Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius.

Dicitur autē Deus eſſe in cælo, non quia non ſit etiam in terra, & vbique, cùm ſcriptū ſit Ierem. 23. Cælum, & terram ego impleo: ſed quoniam in eo gloriam Maieſtatis ſuæ ſingulari modo oſtēdit, vel in creatione, conſeruatione, & gubernatione ipſius cæli, quod inter corpora nobiliſſimum eſt: vel quia in illo loco Sanctos homines, & Angelos beatificat : & ita locum illum quaſi curiam Regiam deſignauit, ibíque thronum Regni ſui collocauit.

Poſuit autem Dominus particulam illam in exordio orationis ſuæ, primò vt admoneamur ſurſum cor habere, & nihil niſi cęleſtia cogitare debemus, cùm ad orandum accedimus, vt D. Aug. docet lib. 2. de ſerm. Domini in monte.

Secundò, vt ſubleuemus mentem ad conſiderationem diuinæ Maieſtatis, vt non ſolùm tanquam ad Patrem, ſed tanquam ad Regem, & Dominum çæli, & terræ cum amóre, & timore accedamus.

Tertiò vt intelligamus, mágno clamore opus eſſe, vt S. Bernardus notat in ſerm. 16. in Pſalm. Qui habitat in adiutorio, ſi à Deo exaudiri volumus, cùm nos in profundo terrarum, ille in ſummo cælo ſedem habeat. Quod rectè intelligebat, qui dicebat, De profundis, &c. Clamor autem iſte non corporis, ſed cordis, non vocis, ſed deſiderij accipiendus eſt.

Quartò

Quartò vt diſcamus diſcernere Patrem cæleſtem à terreno, quem in mundo habemus. Terrenus enim Pater multis rationibus egens, & imbecillis eſt. At cùm Patrem cæleſtem appellamus, Patrem agnoſcimus longè meliorem, & præſtantiorem.

Quintò, & vltimò, vt ſciamus proprium orationis munus eſſe, vt per eam noſtra conuerſatio in cælis ſit, ex D. Auguſtino in ſerm. 182. de tempore. Et fortaſſe hinc manauit antiqua conſuetudo Chriſtianorum orantium, ſuſpiciendo in cælum manibus expanſis, & capite nudo, vt author eſt Tertullianus in Apoſt. cap. 30.

Explicato iam præambulo orationis Dominicæ, nunc operæ pretium eſt, vt ad tractatum petitionum, quas ad Deum fundimus, ſeriem, & ordinem continentem, accedamus: ſed primò videndum eſt:

QVÆSTIO CXCIX.

An oratio Dominica ſeptem petitiones contineat.

Tertvllianvs lib. de oratione, ſex tantùm continere contendit, reuocans ad vnam petitionem omnia illa verba. *Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo.* Quod & ſignificare videtur Lucas Euangeliſta, qui ſolùm habet, *& ne nos inducas in tentationem.*

At D. Auguſt. lib. 50. homiliarum, homil. 42. & lib. 2. de Sermone Domini in monte cap. 16. rectiùs

rectiùs docet in oratione Dominica apud Matth.7. petitiones contineri,in quarum tribus primis æterna, in reliquis quatuor temporalia poſtulantur. Et ratio eſt, quia niſi petitiones ſint ſeptem, non erit oratio Dominica pleniſſima, nam ſi idem prorſus ſint: *Ne nos inducas in tentationem.* Et, *libera nos à malo.* non poſſemus liberari à malo præterito, ſed ſolùm à futuro, nec à malo pœnæ, ſed ſolùm à malo culpæ. Tentatio enim in quam petimus non induci, non eſt malum præteritum, ſed futurum, nec malum pœnæ, ſed culpæ.

Tum quia congruit, vt tot ſint petitiones Dominicæ orationis; quot ſunt dona Spiritus ſancti, quandoquidem his petitionibus illa dona reſpondent vt D. Auguſtinus demonſtrat 2. lib. de ſerm. Domini in monte.

Neque obſtat, quod Euangeliſta Lucas cap. 11. quinque tantùm petitiones memorauit, omiſſa tertia, & ſeptima. Non enim ille petitiones omiſit, quia in aliis ſubintelliguntur, vt adnotauit D. Auguſt. in Ench. cap. 115.& 116.Nam tertia, ſcilicet, *Fiat voluntas tua*, &c. ſubintelligitur in ſecunda illa, *ſanctificetur nomen tuum*.Cùm ſit neceſſe facere voluntatem Dei, ad hoc, vt ſanctificetur nomen Dei in nobis. Septima autem, ſcilicet, *Sed libera nos à malo.* ſubintelligitur in ſexta illa, *Ne nos inducas in tentationem*, cùm liberatio à malo conducat ad hoc, vt non inducamur in tentationem.

Deinde fieri etiam poteſt, vt in latinis codicibus incuria librariorum deſint duæ illę petitiones, ſcilicet, *Fiat voluntas tua.* & *libera nos à malo*, quæ integrè habentur in codicibus Græcis, & Syriacis,

& exponuntur ab Euthymio, & Theophylacto in comment. Lucę.

Eſt autem prima petitio: *Sanctificetur nomen tuum.* Quam Tertullianus in lib. de oratione, & Cyprian. in ſerm. 6. de oratione Dominica, D. Aug. lib. 2. de ſerm. Domini, & Greg. Nyſſ. hom. 3. de oratione Dominica referunt ad ſanctitatem Dei in nobis, vel inchoandam, vel perficiendam, vt videlicet petere intelligamus, vt ea nobis ſanctitas tribuatur, quæ conueniens ſit, Dei ſanctitatem, atque bonitatem manifeſtare, eíque teſtimonium reddere: ſeruientes ei in ſanctitate, & iuſtitia omnibus diebus noſtris. Ita vt luceat lux veſtra coram hominibus, hique videntes opera noſtra glorificent Patrem noſtrum, qui in cælis eſt. Matth. 5.

Diuus Hieronymus, Chryſoſt. & Rupertus in cap. 6. Matth. & Cyprianus in ſermone 6. de oratione Dominica referunt ad Deum, ſeu ad diuini nominis ſanctificationem in ſe. Verùm, quia Deus nullam in ſe nouam poteſt recipere ſanctitatem, nomen Dei ſanctificari, nihil aliud eſt, quàm diuinam Maieſtatem & ſanctitatem ab hominibus cognoſci, & pro illius dignitate æſtimari, & laudari. Vnde D. Aug. lib. 2. de ſermone Domini cap. 5. Petimus vt nomen Dei ſanctũ habeatur ab hominibus, & ita illis innoteſcat Deus, vt non exiſtiment aliquid ſanctius, quod magis offendere timeant.

Sed optima eſt explicatio D. Bernardi ſerm. 6. in quadrageſima, qui dicit ſimpliciter peti gloriam Dei, ideſt, vt eius Maieſtas, potentia, ſapientia, benignitas, prouidentia, iuſtitia, miſericordia ab

omnibus

omnibus cognoſcatur. Quod fit, quando homines relictis idolis, vel peccatis agnoſcunt Deum viuum, & verum, illi credunt, in eum ſperant, eum toto corde diligunt, laudant, prædicant, venerantur. Atque ita impletur quod Malachias futurum aliquando prædixit: Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus.

Ex quibus clarè conſtat, qua ratione per peccata nomen Dei polluatur, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 2. Nomen Dei per vos blaſphematur inter gentes: & illud Ezech. 36. Ingreſſi ſunt ad gentes, & polluerunt nomen ſanctum meum, cùm diceretur eis: Populus Domini iſte eſt, & de terra eius egreſſi ſunt. Qualis enim eſt vita, & eorum mores, qui Religionem profitentur, ſic de Religione ipſa, déque eius authore multitudo imperita iudicare conſueuit. Vnde dicebat Chriſtus Matth. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cælis eſt.

Secunda petitio eſt, *Adueniat Regnum tuum.* In qua recto ordine petimus ſummum bonum noſtrum, quod eſt beatitudo, qua fruemur ipſo Deo, tanquam noſtro vltimo fine. Sed ſciendum eſt, quòd Regnum Dei in ſcripturis triplex inuenitur. Regnum naturæ, Regnum gratiæ, & Regnum gloriæ.

Regnum naturę, vel naturale eſt ſupremum illud dominium, quod naturaliter Deus habet in omnes creaturas, quas pro arbitrio regit, & gubernat, iuxta illud Pſalm. 144. Regnum tuum, Regnum omnium ſæculorum. Et de hoc Regno non loquitur Dominus hîc, quia non eſt opus petere,

vt fiat id quod ſemper fit, nec poteſt non fieri. Hoc autem Regnum, inſeparabile eſt à diuina Maieſtate, ex quo mundum creauit, & conſeruat, & quamuis improbi nihil magis moliantur, quàm Regnum Dei, id eſt ordinem diuinæ prouidentiæ perturbare, tamen ſemper fit, quod Deus vult fieri, iuxta illud Pſalmi 118. Omnia ſeruiunt ei. Et illud Heſter 13. in ditione tua cuncta ſunt poſita, neque eſt, qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati.

Regnum gratiæ eſt illud, quo Deus regnat in Eccleſia militanti in cordibus fidelium, cuius Regni acquiſitio pendet ex hominum libertate,& per Dei auxilium perficienda eſt, & ideo à Deo poſtulatur, vt adueniat Regnum eius. De quo dicitur Matth. 13. Colligent de Regno eius omnia ſcandala. Hoc autem Regnum incipit in hac vita per gratiam, nam ſicut peccatum regnare dicitur in iniuſtis ad Hebr. 6. ita Deus regnat per gratiam in iuſtis, iuxta illud Luc. 17. Regnum Dei intra vos eſt. Et de iſto Regno exponunt hanc petitionem Ambroſius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. Rupert. in comment. cap. 6. Matth. & alij.

At verò Regnum glorię eſt æterna beatitudo, quæ inchoatur nunc in ſpiritibus beatorum, & perficietur in fine mundi, quando beati accepta gloria etiam corporum, cum Deo perfectè, fœliciterque regnabunt, iuxta illud Lucæ 14. Beatus qui manducabit panem in Regno Dei. Et Matthęi 4. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cælorum. Et cap. 6. Primùm quęrite Regnum Dei, & iuſtitiam eius. Et cap. 7. Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in Regnum cælorum. Et illud 1. Cor. 7. Iniqui Regnum Dei non

non poſſidebunt. Et illud Ioan. 3. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non intrabit in Regnum cælorum. Tunc enim tolletur omnis poteſtas dæmonum, & improborum hominum, & ſolus Deus, & filij eius ſine reſiſtentia vbique regnabunt. Et ita de Regno gloriæ hanc petitionem Tertullianus, Cyrillus, & Hieronymus intellexerunt. Vnde Cyprianus: Regnum petimus aduenire nobis à Deo repromiſſum, & Chriſti ſanguine acquiſitum, vt qui in hoc ſæculo ei ſeruimus, poſtmodum cum ipſo regnante regnemus, iuxta illud Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi. Petimus ergo, vt adueniat Regnum Dei, id eſt, vt veniat tempus, quo ſit terra cælum, vita Deus, tempus æternitas, patria, requies, diuitiæ, ſanctitas, ſalus immortalitas, pax pulchritudo, honor æqualitas Angelorum, Deus omnia in omnibus in illa regione viuorum.

Tertia petitio eſt, *Fiat voluntas tua ſicut in cælo, & in terra.* In qua poſt petitum Regnum gloriæ, quo in patria beatificamur, cõſequenter petimus id omne, quod ad aſſequendam beatitudinem per ſe, & proximè conducit, videlicet vt obediamus voluntati Dei, eo modo quo per gratiam hîc poſſumus, ſicut eidem ſuo etiam modo perfectè in cælo obeditur.

Ad cuius explicationem eſt obſeruãdum, quòd duplex eſt voluntas Dei, ſcilicet voluntas beneplaciti, qua Deus cui nemo reſiſtere poteſt, abſolutè vult aliquid fieri: & voluntas ſigni, quo nomine Theologi appellant præcepta, & prohibitiones, quæ voluntas Dei nuncupatur, quia per ea

dum opere complemus, Dei voluntas impletur in nobis, & dum ea ſeruamus, Dei voluntati paremus.

In hac autem petitione multi Sancti Patres dicunt, hæc verba non poſſe intelligi de voluntate beneplaciti, quæ eſt efficax, & abſoluta, cui vt habetur Eſther 13. reſiſti non poteſt, & ideo non eſt, quòd petamus vt illa fiat, ſemper enim fit, & tam infallibiliter in terra, ſicut in cælo: ſed intelligenda ſunt de voluntate ſigni, quę nō ita impletur in terra, ſicut in cælo, & ideo poſtulare debemus, vt Deus gratiam & auxilium nobis præſtet, quo poſſimus diuina implere mandata.

Cæterùm, quamuis hæc ſententia probabilis ſit, at probabiliorem reputo hanc petitionem poſſe etiam interdum referri ad voluntatem beneplaciti, nam voluntas illa, qua Deus ſtatuit Chriſtum mori pro nobis, efficax, & beneplaciti fuit, & tamen de illa intelligitur, quod Chriſtus ipſe orauit Matth. 26. Non mea voluntas, ſed tua fiat, ergo ſimile quippiam nos poſtulare poſſumus, cùm dicimus, *Fiat voluntas tua.*

Prætereа voluntas, qua Deus elegit prædeſtinatos, abſoluta, & beneplaciti fuit, & tamen rectè poſtulamus à Deo, vt impleatur. Nam id rectè deſideramus. Quare dicendum arbitror, hęc verba intelligenda eſſe de voluntate diuinæ complacentię, qua Deus aliquid fieri intendit, vel cupit, ſiue illa beneplaciti, & omnino abſoluta, ſiue ſit voluntas ſigni. Et ratio eſt, quia id petimus his verbis, quod optandum maximè à nobis eſt, vt fiat quidquid placet Deo, quomodocunque placet, ſi ex ſe, & ex ſola ſua bonitate placet,

hoc

hoc enim eſt proprium beneplaciti Dei, ergo hoc poſtulamus.

Hoc idem colligitur ex verbis ſubiunctis, *ſicut in cælo & in terra.* Nam in cælo Beati appetunt, vt huiuſmodi voluntas Dei impleatur, ſed in hoc petimus aſſimilari Angelis, & Beatis, vt communiter Patres exponunt, ergo. Modus autem diuinæ voluntatis adimplendæ eſt, *ſicut in cælo & in terra.* Quæ verba quinque modis explicari poſſunt, ſecundùm diuerſas cæli, & terræ acceptiones. Primò enim per *cælum* intelligunt ſpiritum, & per *terram* carnem, & quia caro concupiſcit aduerſus Spiritum, Spiritus autem aduerſus carnem, dicunt nos petere, vt caro obediat Spiritui, & ſicut Spiritus ſeruat legem Dei, ita & caro non ſeruiat ampliùs legi peccati, ſed legi Dei. Ita exponunt hunc locum Cyprianus, & Tertullianus.

Secundò, per *cælum* intelligunt fideles, & iuſtos, & per *terram* infideles, & peccatores, vnde ſenſus illorum verborum eſt, vt ſicut fideles, & iuſti Deo obediunt, ita infideles, & peccatores conuertantur ad Deum eíque ſubiiciantur, & ſeruiant. Ita D. Aug. in ſerm. de oratione Dei, & D. Cyprianus vt refert idem Aug. in libro de dono perſeuerantiæ.

Tertiò per *cælum* intelligunt Chriſtum, & per *terram* Eccleſiam, ita vt id quod in huiuſmodi petitione optamus, ſit, vt Eccleſia ſponſum ſuum imitetur in obedientia Deo præſtanda, ille enim obediens fuit vſque ad mortem. Ita Diuus Auguſtinus libro ſecundo de ſermone Domni in monte.

Quartò per *cælum* intelligunt Eccleſiam triumphantem in cælis, & per *terram* Eccleſiam militantem, ac peregrinantem in terris, atque ita peti dicunt, vt ſint homines ſimiles Angelis, vt ſicut ab illis voluntas Dei promptè, perfectè, atque in omnibus impletur in cælo, ita qui ſunt in terra per Dei gratiam ſimiliter faciant: ſemper dicentes cum Chriſto, non mea, ſed tua voluntas fiat, & cum Machabæo, ſicut fuerit voluntas in cælo, ſic fiat: Et cum Iob. Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Hæc enim reſignatio ſui in diuinam voluntatem, eſt opus magnæ in Deum charitatis, & proinde magnæ perfectionis, nam per eam vincit omnes ſuos affectus, & perfectiſſimè conformat ſe voluntati diuinæ. Sic Diuus Auguſtinus vbi ſuprà.

Quintò, & vltimò per *cælum* intelligunt ſuperiores mundi Sphæras, & per *terram* homines viatores, atque ita peti dicunt, vt ſicut illæ quę ſunt in cælo materiali, vt ſol, & luna, & ſtellæ, diuinæ parent voluntati, ita etiam, & homines id ipſum faciant.

Diuus Chryſoſtomus ſuper Matthæum non ineptè putat iſta verba, *ſicut in cælo & in terra*, poſſe ad ſingulas tres petitiones referri in hunc modum: *Sanctificetur nomen tuum, ſicut in cælo, & in terra. Adueniat Regnum tuum, ſicut in cælo, & in terra. Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra.*

QVÆST.

QVÆSTIO CC.

Quæres, cur dictum eſt, Fiat voluntas tua, *non autem,* fac in nobis voluntatem tuam, *vel,* faciamus voluntatem tuam.

RESPONDEO, hoc factum eſſe, vt intelligamus obedientiam legis, quam Dei ope preſtamus, non eſſe opus ſolius Dei, nec ſolius liberi arbitrij, ſed vtriuſque ſimul. Vnde Chryſoſtomus ait. Vide quàm cautè loquutus eſt, non dixit: Pater ſanctifica nomen tuum in nobis: Adueniat Regnum tuum ſuper nos: fac voluntatem tuam in nobis. Nec iterum dicit: Sanctificemus nomen tuum: ſuſcipiamus Regnum tuum; faciamus voluntatem tuam: ne hoc aut Dei tantùm, aut hominis tantùm eſſe videatur: ſed mediè dixit, & impersonaliter: nam ſicut homo non poteſt facere bonum, niſi habuerit adiutorium Dei: ſic nec Deus bonum operatur in homine: niſi homo voluerit.

Quarta petitio eſt. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie:* quæ diuerſimodè à Doctoribus explicatur, iuxta multiplicem ſignificationem, quam illud nomen *panis,* poteſt habere.

Diuus Chryſoſtomus in cap. 6. ſuper Matth. exponit hanc petitionem de ſolo pane corporali, quo nomine, vſitato ſcripturæ more intelliguntur omnia ad vitam corporis neceſſaria, ſiue panis

ſit, ſiue caro, ſiue piſcis, ſiue quodlibet aliud cibi genus. Iacob enim vouens ſic orabat Geneſ. 28. Si fuerit Dominus mecum, &c. & dederit mihi panem ad veſcendum, id eſt victum. Et Chriſtus Dominus ingreſſus eſt in domum cuiuſdam Principis Phariſæorum Sabbato manducare panem, id eſt, ad cibum capiendum. Vnde Chriſtus ſolum panem petendum docuit, vt habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. Et D. Chryſoſt. Poſtulanda ſunt (inquit) à Deo neceſſaria vitæ, non ciborum diuerſitates, & vina odorifera,& cætera quæ delectant guttur, onerant ventrem, & mentem perturbant.

Diuus Ambroſius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. D.Hieronymus in cap. 6. Matth. Caſſianus collat. 9. c. 21. & 24. & Petrus Chryſologus in ſermone de oratione Dominica exiſtimant hoc loco nihil aliud peti, niſi panem ſacramentalem, quia vox *ſuperſubſtantialis*, quæ eſt apud Matthæum, non poteſt conuenire niſi pani ſacramentali, qui ſolus eſt ſuperſubſtantialis, id eſt, ſuper omnes ſubſtantias eſt, & vniuerſas ſuperat creaturas. Vnde Hieronymus: Quod nos ſuperſubſtantialem exprimimus, in Græco habetur *epiuſion*: quod verbum ſeptuaginta interpretes *periuſion* frequentiſſimè trãſferunt. Conſiderauimus ergo in Hebræo, & vbicunque illi periuſion expreſſerunt, nos inuenimus *Sogolla*: quod Symmachus *exeriton*, id eſt, præcipuum, vel egregium tranſtulit: licèt in quodã loco peculiarem interpretatus ſit. Quando ergo petimus vt peculiarem, vel præcipuum nobis Dominus tribuat panem: illum petimus qui dicit in Euangelio, Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.

At

At verò D. Auguſtinus in Ench. cap. 115. & epiſt. 121. cap. 11. Theoph. Euthym. Beda, Tertull. Cyprian. Greg. Nyſſen. & communis, docent nomine *panis* intelligi debere generatim omne ſubſidium neceſſarium ad vitam, tum animæ, tum corporis conſeruandam. Et quoniam ſubſidia vitæ ſpiritualis, vt ſacramenta, conciones, & alia id genus, multò magis ſunt, & neceſſaria, & nobilia, quàm ſubſidia vitæ corporalis, ideo intentio orantis ferri debet ad panem cæleſtem, quo alimur ad vitam æternam, ad panem autem corporalem, vt ad quoddam externum ſubſidium, quo prouideatur corporis incolumitati, vt ſeruiat animæ in procuratione ſalutis æternæ.

Dicitur, *noſtrum*, primò, vt intelligamus neminem debere pro ſe ſolùm, ſed etiam pro aliis neceſſaria petere.

Secundò, vt ſciamus nos non deſiderare panem aliorum, ideſt furto, rapina, fraudibus, multíſque artibus acquiſitum, ſed noſtrum, hoc eſt proprio labore, & induſtria, vel ex iuſtis redditibus partum.

Tertiò, & vltimò, vt etiam intelligamus panem ſacramentalem eſſe noſtrum, ideſt, proprium filiorum, quem alieni habere non poſſunt, vt Diuus Cyprianus exponit.

Dicitur, *quotidianum*, ad denotandum non eſſe petenda ſuperuacanea, & curioſa, ſed ſubſtantialia, ſimplicia, neceſſaria, ſine quibus nullo die viuere poſſumus.

Deinde ne de craſtino ſoliciti ſimus dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, ſed tanquam hoſpites, & peregrini viuamus in diem.

Dicitur, *Da nobis*, da, hoc eſt liberaliter tanquam Pater, da gratis, non redde ex iuſtitia debitum.

Dicitur, *Hodie*, id eſt, dum in hoc ſæculo commoramur.

Obiicies, Chriſtus Matth. 6. prohibet, ne ſoliciti ſimus dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: Et rationem addens, hæc enim omnia gentes inquirunt, ſcit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.

Reſpondeo, Chriſtum illic non prohibere bonorum temporalium petitionem à Deo, ſed nimiam, & anxiam de illis ſolicitudinem, quæ perturbat animam, & viam munit ad fraudes, dolos, aliáque peccata, ad quæ procliuis eſt, qui nimis ſolicitè opibus congerendis ſtudet.

Dices, vox *ſuperſubſtantialis* quę eſt apud Matthæum, non videtur poſſe conuenire pani corporali.

Reſpondeo, cùm vox *ſuperſubſtantialis* idem ſit, quod *valdè ſubſtantialis*, id eſt, ſubſtantiæ noſtræ alendæ, & conſeruandę valdè accommodus, optimè pani corporali competit. Quo ſenſu idem omnino eſt panis ſubſtantialis, & quotidianus. Ideo enim quotidie neceſſarius eſt, quia valdè ſubſtantialis eſt.

Quinta petitio eſt, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* In qua petimus aliud quoddam præcipuum medium per accidens conducens ad cóſequutionem beatitudinis, vt ſcilicet per peccatorum remiſſionem amoueatur à nobis malum culpæ, obſtans conſequutioni beatitudinis, in quam nihil coinquinatum intrabit.

Quòd

Quòd per delicta hoc loco intelligantur peccata, conſtat ex eo, quod expreſsè dicitur Lucæ 11. Dimitte nobis peccata noſtra. Et ex illo Matth. 6. vbi explicans Dominus hanc petitionem ait: ſi enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Et ita ſæpe Chriſtus Dominus remiſſionem peccati declarat per remiſſionem debiti, Matthæi 18. Omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me.

Cur autem peccata debita vocentur, ſatis per ſe manifeſtum eſt, quia omnis qui peccat iniuriam facit Deo, ac proinde reum pœnæ ſe conſtituit.

Tum quia omnis qui peccat, legem Dei violat, lex autem Dei pœnam habet adiunctam, cuius luendæ fit debitor, qui legem ipſam tranſgreditur.

Tum demum, quia Deus vnicuique noſtrûm, animam propriam tanquam vineam excolendam commiſit, ex qua fructus expectat temporibus ſuis, dedítque nobis talenta naturæ, & gratiæ, vt operaremur in eis, ac proinde qui negligũt bene operari, debitores fiunt lucri non acquiſiti, & cenſus non redditi.

Addimus, *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Vbi particula *ſicut*, poteſt duobus modis exponi. Vno modo vt ſimilitudinis vim habeat, & ſic petimus à Deo, vt quemadmodum nos iniurias nobis illatas remittimus, ſic ipſe nobis peccata condonet, non quaſi velimus, vt Deus in miſerendo imitetur nos, ſed tantùm teſtari miſericordiam nobis placere: quam petentes à Deo repulſam pateremur, ſi eam negaremus conſeruo noſtro.

Altero verò modo, vt ſit conditionis nota, in

quam ſententiam Chriſtus Dominus videtur hæc verba interpretatus, cùm dixit Matth. 6. Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis, nec Pater veſter dimittet vobis delicta veſtra. Vnde D. Aug. in Ench. cap. 73. ait: Qui roganti peccati ſui veniam, & petenti ex corde ſuo non dimitit, vllo modo exiſtimet à Domino ſua peccata dimittenda. Et Cyprianus: Qui ergo pro peccatis nos orare docuit, paternam miſericordiam promiſit: ſed planè addidit legem certa conditione nos conſtringens: vt ſic nobis debitum dimitti poſtulemus: ſecundùm quod & ipſi debitoribus noſtris dimittimus, & hoc eſt, quod dicit: ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et D. Greg. lib. 10. moral. vt profectò bonum quod à Deo compuncti petimus: hoc primum proximo conuerſi faciamus. Et D. Chryſ. ſuper Matthæum. Cum qua ergo ſpe orat, qui inimicitiam ſeruat aduerſus alterum, à quo forſitan læſus eſt. Sicut enim ipſe orans mentitur, dum dicit, remitto, & non remittit: ſic & à Deo petit indulgentiam, & non illi indulgetur.

Cæterùm, dimittere debitoribus noſtris eſt, cum his, qui nos læſerunt, inimicitias non gerere, ſed eos etiamſi inimicos diligere, eiſque benefacere, iuxta Christi Domini præceptum, Diligite inimicos veſtros.

QVÆSTIO CCI.

Sed dubitabit aliquis hoc loco, An ſalutare teneamur inimicum, dum nobis occurrit.

In

IN hac quæſtione Gabriel ſuper canon. Miſſæ lect.76.Toletus lib.4.cap.10. num.9. & plerique alij,tenent nos ad id iure compelli, quia debemus ſalutare omnes occurrentes, niſi ex tali ſalutatione inimicus deterior fieri probabiliter timeretur.

At communis Theologorum ſententia docet nos ad id regulariter ex vi præcepti charitatis non teneri. Et ratio eſt, quia non tenemur ſpecialia beneuolentiæ ſigna inimicis exhibere, quæ non tenemur erga alios; ſed ſalutare eſt ſpeciale ſignum beneuolentiæ, quod non tenemur erga alios exhibere, ergo non tenemur inimicos ſalutare: inimicus enim ob diſſolutam amicitiam, & propter offenſam nobis factam,non efficitur melioris conditionis,quàm ſit ille,qui nullam nobis intulit iniuriam. Ita colligitur ex D.Tho. 2.2. q.25. art.6. & docet Bannes 2.2.q.5.d.4. in commentario, Beia p.2. fol. 199. caſu 1.& alij communiter.

Dixi notanter, *regulariter*, quia aliquando ex accidenti fieri poteſt, vt teneamur inimicum ſalutare,aut alloqui,aut familiariter cum ipſo verſari, vt quando ſic poſtulat ratio vitandi ſcandali,aut quando noſtra ſalutatione ſperamus inimicum reconciliare Deo,& nobis, cuilibet enim mandatum eſt de proximo ſuo, & quilibet tenetur ſcandalum, & proximi ruinam euitare,quoties poteſt abſque graui ſuo detrimento.Ita ſentiunt Sylueſt.verb. charitas q.6.Caiet.2.2.q.25.ar.9. Gab. ſuper Can.Miſſæ lect.76. Azor. lib.12. cap.3 to. 2. Ban.2.2.q.24. ar. 9.Nauar.c.14.n.25.Valent.2.2.diſp.3.q.3.p.2. & alij communiter.

Ex quo colligitur quomodo gerere ſe debeãt cõfeſſarij circa pœnitẽtes,qui nolunt alloqui,vel ſalutare

tare inimicum: poſſunt enim ipſos abſoluere, modò abſit odium, aut ſcandalum,aut periculum, vt inimicus odium, & rancorem ob denegatam ſibi ſalutationem concipiat. Verùm, quia vt plurimum qui non vult verbo, vel ſigno ſuum inimicum occurrentem ſibi ſalutare, eſt prauè affectus erga illum, illúmque odio proſequitur, vel ſaltem aliquam præbere ſolet ſcandali occaſionem, optimum conſilium eſt,vt eum ſalutet,quoties nullum imminet periculum ſalutanti,& alloquenti.

QVÆSTIO CCII.

An ſi inimicus meus occurrens obuiam, me ſalutet,tenear ex vi præcepti charitatis illum reſalutare.

SYLVEST. verbo charitas q. 6. Toletus lib. 4. cap.10.& Reginald. lib.17. numer. 123. tuentur partem affirmatiuam.

At ego exiſtimo ſic in hac quæſtione diſtinguendum, aut qui ſalutatur ab inimico, eſt longè ſuperioris conditionis, vt pater reſpectu filij, vir illuſtris reſpectu plebei,vel Prælatus reſpectu ſubditi: aut non eſt longè ſuperioris conditionis. Si eſt longè ſuperioris conditionis, non videtur peccatum mortale non reſalutare ſuum inimicum. Et ratio eſt, quia denegatio ſalutationis reſpectu iſtius non adſcribitur contemptui, nec is rationabilem cauſam habet, vt maiori proinde odio, vel ira aduerſus Dominum,aut ſuperiorem, vel patrem,moueatur.

Tum

Tum quia ſicut ante inimicitiam non tenebatur reſalutare, ita neque tenetur poſt inimicitiam,cùm inimicus melioris conditionis non ſit effectus ob inimicitiam.Si verò non eſt longè ſuperioris conditionis, videtur regulariter eſſe peccatum mortale,non reſalutare propter ſcandalum proximi,quod ſequitur,cauſam videlicet prębẽdo vel maioris odij aduerſum eum, vel maioris iræ, & vindictæ. Vel ſi ſecundùm loci laudabilem conſuetudinem, vel ſecundùm qualitatem temporis, loci, & perſonarum non reſalutare,habeatur pro notabili contemptu ſalutantis.Ita Malderus 2.2.q.25.ar.9.ad finem. Tolet.lib.4.cap.10. Ban.2.2. q.25.ar.9. Azor.3. p. lib.12.cap.13.& alij.

Ex quo colligitur quid dicendum, quando huiuſmodi inter quos inimicitiæ intercedunt, ſub eodem tecto, vel collegio, aut Monaſterio, vel vicinia commorantur, tunc enim rarò talia ſpecialia amoris ſigna denegari licitè poſſunt: propter ſcandalum quod inde ſequitur.

QVÆSTIO CCIII.

An inimico veniam petenti, offenſus reconciliari teneatur.

AD cuius explicationem obſeruandum eſt primò, quòd ex inimicitia, vel iniuria tria oriuntur, ſcilicet in corde odium: in opere ſubtractio eorum, quæ reipſa amoris ſignificationem habent: & in foro actio contra inimicum vt videlicet iniuriæ offenſo illatæ ſatisfaciat, vel damnum reſarciat,& compenſet.Quo poſito:

Dico

Dico primo, quòd offenſus tenetur ſtatim deponere odium, & rancorem. Ratio eſt, quia non licet odio alterum proſequi, aut malum alteri exoptare, abſque honeſto fine, vt patet ex illo Matth. 18. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. Quod procedit etiam ſi offenſor nullatenus offenſo ſatisfaciat, vt rectè monet D. Tho. communiter receptus 2.2.q.25.ar.8. Quinimò toties peccat mortaliter offenſus, quoties reuocando iniuriam mēti, de nouo illū odio habet. Ita cōmuniter Doctores.

Secundò dico, quòd offenſus iure cogitur ex charitate admittere pœnitentiam inimici, ſi iş oſtendit ſe verè, & ex animo dolere, quòd alterum offenderit. Et ratiò eſt, quia per illam petitionem, inimicus abundè offenſo ſatisfacit, ergo remittere ei noxam charitatis præcepto compellitur, iuxta illud Lucæ 17. ſi reuerſus fuerit ad te dicens, pœnitet me, dimitte illi. Dixi notanter, *ſi veraciter, & ex animo dolet*: quia ſi fictè, vel frigidè, ac ſuperbè petierit cum eo reconciliari non tenetur. Ita Sylueſt. verb. charitas q.6. Val. 2.2.d.3.q.3.p.2. & Azor. t. 2. l. 12. c. 3.

Tertiò dico quòd ſi ſtatim, atque inimicus aliquē offendit, veniam petat, non tenetur offenſus ei reconciliari, ſiue pacem cum illo componere. Et ratio eſt, quia recentia vulnera non ſtatim ſanantur, & difficile eſt, ac ferè violentum illicò iniuriam offenſori remittere, cùm adhuc recens ſit offenſa, & vulnus acceptum, & animi perturbatio ſedata non ſit. Ita Azor. tom. 2. lib. 12. cap. 3,

Quartò dico, quòd nemo iure cogitur iniuriam ſibi illatam remittere, niſi is qui eam intulit, idoneam, & legitimam ſatisfactionem obtulerit, vt habetur

betur ex c. ſi quis conſtitutus, &c. Iure enim peti poſſunt damna, & expenſæ, quæ ſibi intulit læſio, quáſque ipſe miniſtrauit cauſa illati vulneris, non enim tenetur iuri ſuo cedere. Sylu. verbo charitas. q. 6. & Azor. t. 2. l. 12. c. 3. Non tamen poteſt iniuriam paſſus petere æſtimationem damni ſibi imminentis cauſa cicatricis, quæ ex vulnere faciem deformem efficit, ſi is ſit homo liber, niſi fœmina ſit. Quamuis teneatur offenſor præter damna, & expenſas aliquid arbitrio boni viri offenſo retribuere in compenſationem iniuriæ illatæ, vt monet D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad 1. Caiet. 2. 2. q. 72. ar. 3. Azor. t. 2. inſtit. moral. lib. 12. cap. 3. & plerique alij.

Quintò dico, quod nec etiam tenetur iniuriam paſſus, ſic iniurianti noxam remittere, vt etiam prætermittat actionem iniuriarum coram Iudice aduerſus illum, vt ſcilicet offenſor ſecundùm iura puniatur, ſicut enim magiſtratus poteſt illum punire, & ab eo pœnã repetere, ita offenſus petere, & curare poteſt, vt puniatur. Moueri tamẽ debet zelo iuſtitiæ ad cõprimendã malitiã, vel pro pace aliorũ, vel pro emẽdatione offenſoris ad cohibẽdum eũ ab aliis iniuriis, non autẽ vt ſuo appetitui vindictæ ſatisfaciat, quia ſic mortale crimẽ offenſus admitteret, vt rectè docet D. Th. 2. 2. q. 108. ar. 1. Verũ ſi principalis eius intẽtio recta ſit, licèt humana fragilitate animus in effectum aliquem aduerſum offenſorẽ labatur, non ſtatim eſt peccati lethalis condemnandus, vt rectè monet idẽ D. Th. vbi ſup. & Syl. verb. accuſatio. §. 5.

Sextò, & vltimò dico, quod ſi is qui læſit non modò humiliter petat veniam, ſed offerat etiam ſufficientem ſatisfactionem pro illata iniuria, alter non poteſt tuta conſcientia inſtituere contra illum

actio

actionem iniuriarum coram Iudice. Ita Syluеſt. verb. charitas q. 6. & Bannes egregius Thomiſta 2.2.q.25.art.9. vbi ſic ait. Difficile eſt valdè, quod quis nolit remittere pœnam corporalem, & quod careat odio, & appetitu vindictæ. Admittit tamen caſum in quo poteſt id licere, vt ſi aliqua illuſtris familia offenſi maneret infamis, niſi ſuſpenderetur inimicus ſecundùm iura. Sed quando nullum, aut leue incommodum ſequitur ex remiſſione talis pœnæ, putat præfatus Doctor talem hominem eſſe in malo ſtatu, niſi remittat quantum in ſe eſt huiuſmodi pœnam.

Ego verò cum Reginaldo lib.17.cap.12. nu.116. Valent. 2.2. diſp 3.q.3.p.3.Azorio tom. 2. lib. 12. cap.3.& Graffiò lib.2 cap.172. arbitror non teneri iniuriam paſſum actionem coram iudice omittere, etiamſi teneatur alioqui deponere odium, & rancorem. Et ratio huius eſt, quia ſicut Iudex poteſt iuridicè pœnam, & compenſationem præſcribere, ita offenſus petere poteſt à Iudice, vt ſibi compenſatio iuridicè fiat, præciſo tamen graui lædentis damno, quod læſus tenebatur ex charitate impedire.

Cæterùm exiſtimo in praxi regulariter loquendo ſuadendam eſſe Beiæ, 1. part. caſu 10. Sylueſtri verb. charitas quæſt.6. & aliorum aſſerentium offenſum teneri actionem iniuriarum coram iudice intermittere, offenſore veniam petente, aut debitam ſatisfactionem offerente, niſi neceſſaria ſit iudicis actio ad conſulendum honori, vel damno illius qui offenſus fuit. Ratio huius eſt, quia pauci actionem iniuriarum proſequuntur, depoſito omni odio, & vindictæ affectu. Tum quia hoc eſt
conforme

conforme conſilio Chriſti. *SI quis percuſſerit te in maxilla, præbe ei & alteram.*

QVÆSTIO CCIV.

Vtrùm homo teneatur cum inimico ſuo colloqui, & amicabiliter conuerſari.

RESPONDEO quod per ſe, & abſolutè non magis tenetur homo cum inimico colloqui, & conuerſari, quàm ſi eſſet aliàs amicus: ſed cum amico per ſe nemo tenetur loqui, aut conuerſari, ergo nec cum inimico, etiamſi antea fuiſſet ſolitus conuerſari cum illo.

Dixi notanter, *per ſe*, quia aliquando per accidens ratione ſcandali tenetur ſub mortali cum eo amicabiliter conuerſari, multi enim videntes me nolle colloqui cum inimico, prout antea faciebam, ſcandalizarentur, præſertim meus inimicus putans ſe à me odio haberi. Vel in caſu, quo ſi huiuſmodi ſpecialia amoris ſymbola denegarentur, inimicus grauiter periclitaretur corpore, vel animo: vel ſi huiuſmodi amoris ſigna eſſent maximè vtilia, & ſalutaria ad lucrandum inimicum, & in his caſibus iure cogitur talia ei amoris ſigna præbere, vt fratrem Chriſto lucretur. Verùm contingere poſſet, vt ex familiari noſtro ſermone cum inimico, is vel audacior, vel inſolentior fiat: & tunc præſtaret illum excludere à noſtra conuerſatione. Sic Caiet. 2.2. q. 25. art. 9. Syluest. verb. charitas q. 5. Nauar. in Man. cap. 14. nu. 25. Ban. 2.2. q. 25. art. 9. Azor tom. 2. inſt. Mor. lib. 12. cap. 3. & alij communiter.

QVÆSTIO CCV.

An ſi læſus ex colloquio inimici ſcandalizatur, & ponit ſe in periculo veriſimili peccandi, teneatur in tali caſu cum illo conuerſari.

QVæstio eſt, cuius meminit Bannes 2.2.q.25. art.9. reſpondet autem ipſe negatiuè. Vnde in publico poterit illum breuiter ſigno, vel facto ſalutare, & prudenter cauere à frequenti conuerſatione.

QVÆSTIO CCVI.

Ex dictis colligitur, quid dicendum ſit ad illam celebrem quæſtionem. Vtrùm inimico veniam petenti teneatur læſus oſtendere ſigna dilectionis.

Respondeo affirmatiuè. Et ratio eſt, quia talis petitio veniæ tempus determinat, quo charitas debet neceſſariò exire in actum manifeſtationis cordis ſui erga inimicum. Nam is qui paſſus eſt iniuriam regulariter malam habet voluntatem cōtra inimicum ſuum; ſi huic præſumptioni communi adiungatur in ſpeciali, quòd inimico petenti veniam

veniam non annuit, probabilis, aut violenta opinio fit, quòd odium habet cõtra inimicum, ac proinde petenti veniam datur occaſio maioris odij, vel iræ, ex quo locum veniæ non inuenit, & aliis ſcandalum. Et ideo ita ſentit D. Thomas 2.2.q.25.ar.9. & alij communiter.

QVÆSTIO CCVII.

Quiſnam teneatur priùs veniam, & reconciliationem petere, quando duo mutuò ſe offenderunt.

RESPONDEO quòd per ſe loquendo, & cæteris paribus, is qui priùs iniuriam intulit debet reconciliationem petere. Tũ quia ſic æquitas, & iuſtitia poſtulare videtur. Tum quia is qui priùs offenſus fuit, acquiſiuit ius petendæ ſatisfactionis, qui autem prior eſt tempore, potior eſt iure.

Dixi notanter, *per ſe loquendo*, nam per accidens fieri poteſt, vt non teneatur, vt ſi titulo compenſationis iniuriam alteri illatam reſarcire nolit, præuidens fore, quòd petita venia, & data ſatisfactione, alter nolit eam ſibi rependere.

Dixi, *cæteris paribus*, nam ſi poſterior offenſio ſit maior, vel longè inferioris conditionis, is qui poſteriùs læſit, tũc poſterior debet priùs illam petere. Quia non ſunt cætera paria. Quòd ſi dubia res eſt, vter priùs alterum offenderit, ſtandum iudicio prudentis Confeſſarij. Ita Azor tom.2.lib.12.cap. 3.q. 10. Reginal. lib. 17. num. 125. & alij ſuprà.

QVÆSTIO CCVIII.

Vtrùm offenſus teneatur ex charitate reconciliationem petere.

RESPONDEO non teneri. Sed etſi petierit priùs ſe humiliando, duplicem coronam obtinebit, vnam quia offenſam patiẽter ſuſtinuit: alteram, quia prior rogauit. Verùm ne peccet, non debet mentiri, dicendo ſe eſſe culpabilem, cùm non ſit: ſed rogare, vt odium, & rancorem deponat, proteſtando ſe non eſſe in culpa, ſicut ille exiſtimat: debet etiam ad Deum preces fundere, vt ſe recognoſcat, & mittere aliquos, qui inducant illum ad pacificandum, & ipſe paratum ſe exhibeat ad remittendum.

QVÆSTIO CCIX.

An viri ſancti, & admodum iuſti poſſint verè in oratione Dominica dicere; dimitte nobis debita noſtra.

RESPONDEO poſſe, vt docet Concilium Mileuitanum Canone 7. & 8. & Africanum Canone 83. Et ratio huius eſt, quia omnes ſumus peccatores, & egemus gratia Dei.

Tum quia vnuſquiſque formidare poteſt, an plenè iuſtificatus ſit. Eccleſiaſt. 5. & 9. & 2. Cor. 4.

Tum etiam quia non pro ſe tantùm, ſed pro omni

omnibus peccatoribus orant, qui tali remiſſione indigent.

QVÆSTIO CCX.

An qui ſunt in peccato obdurati, nec iniurias ſibi à proximo illatas ignoſcunt, poſſint hanc orationem dicere.

CASSIANVS collat. 9. cap. 22. negat.

Alij verò rectiùs affirmant, poſſe. Et ratio eſt, quia quamuis verba illa: *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, non verificentur in recitante, ad hoc tamen vt non mentiatur, ſufficit verificari in perſona Eccleſiæ, in cuius nomine orationem Dominicam fundit, & in qua multi ſunt, qui iniurias remittunt. Vnde non dicit, *ſicut ego dimitto*, ſed, *ſicut nos dimittimus*, quod vt diximus debet referri ad Eccleſiam, vt rectè monet D. Thom. 2. 2. quæſt. 83. art. 16. ad 3.

Tum quia quando Sacerdos dicit, *Surſum corda*, & clericus reſpondet, *habemus ad Dominum*, non cogitando Deum, non mentitur, quandoquidem reſpondet nomine Eccleſiæ, in qua nunquam deeſt aliquis, qui id agat.

Tum quia ſi non eſt in peccato obduratus, remiſſionem peccatorum poſtulando, ſimul à Deo petit, vt facultatem ei concedat aliorum peccatis ignoſcendis, ac propterea quiſque verè dicit, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, quantum videlicet ad deſiderium remittendi.

Hinc ſi hæc verba ad priuatam perſonam oran-

tem referantur, qui neque condonat iniurias, nec cupit gratiam à Deo ſibi donari, qua velle incipiat iniurias remittere, dum Dominicam orationem dicit in ſingulis ferè petitionibus illius mentitur. Quomodo enim dicere poteſt, *Pater noſter, qui es in cœlis*, qui non vult eſſe Dei filius: Et *Sanctificetur nomen tuum*, per quem nomen Dei aſſiduè blaſphematur: Et *adueniat Regnum tuum*, qui nihil magis timet, quàm aduentum eius ad iudicium, in quo vnicuique reddet ſecundùm opera ſua: Et *Fiat voluntas tua*, qui ſuam non Dei voluntatem vult facere: nec demum cætera, quæ in ipſa Dominica oratione ſubiunguntur, qui iiſdem à quibus ſe liberari petit voluntariè ſe ſubiicit.

Illud tamen eſt aduertendum, quòd vt homo efficaciter impetrare poſſit quod petit, non ſolùm debet facere in hoc negotio quod de rigore tenetur, ſed quòd etiam eſt de conſilio, nam quò liberalior fuerit in remittendis propriis iniuriis, eò Deum liberaliorem erga ſe experietur.

Sexta petitio eſt, *Et ne nos inducas in tentationem*. Quæ profectò non eſt intelligenda de tentatione, qua Deus bonos probat, ſicut tentauit Abraham, Iob, Tobiam, & alios. Nam illa tentatio, quæ eſt à Deo, bona eſt, & ideo petere non debemus, ne in nobis fiat. Vnde potiùs orabat Dauid in pſalmo 25. Proba me Domine, & tenta me. Sed eſt intelligenda de tentatione, qua Dæmon, vel mundus ad peccatum inducit.

Hilarius & Hieronymus in Comment. ad cap. 26. Matth. Ambroſius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. Cyrillus catecheſi 5. Caſſianus collat. 9. cap. 23. &

D. Au

D. Auguſtinus in epiſt. 121. cap. 11. exiſtimant per hæc verba peti à Deo, non quidem, vt non tentemur, ſed ne tentationi ſuccumbamus, quod eſt in tentationem induci. Tanquam ſi quiſpiam, cui neceſſe ſit, igne examinari, non oret, vt igne non contingatur, ſed vt non exuratur. Vaſa enim figuli probat fornax, & homines iuſtos tentatio tribulationis, Eccleſ. 27. Sic Matth. 26. Dominus monet. Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem, id eſt, ne tentationi cedatis. Et cauſam huius addit, quia Spiritus, id eſt, diabolus promptus eſt ad tentandum, & incitandum ad peccatum, caro autem, id eſt, homo, infirma ad reſiſtendum ſine ope diuina.

Cyprianus in ſermone de oratione Dominica. Euthymius in comment. ad cap. 6. Matth. & Gregorius Nyſſenus oratione 5. de oratione Dominica, volunt his verbis peti, vt ſimpliciter non tentemur. Et probant, quia ſecundùm modum loquendi Scripturarum, non induci in tentationem non videtur eſſe, non vinci à tentatione ſed in tentationem non incidere, iuxta illud pſalm. 65. Induxiſti nos in laqueum, id eſt, in tentationem. Et tamen his verbis non ſignificat propheta ſe Dei permiſſione tentationi ſuccumbere, ſed ſolùm tentari, vexaríque permiſſum.

Tum quia tentatio quamuis interdum ſit vtilis, eſt tamen ſemper periculoſa propter ambiguã, incertámque victoriam, ergo non ſolùm præſumptio eſt illam appetere, ſed etiam humilitas, declinare, & à Deo petere, vt nos in certamen eiuſmodi non inducat.

Alij verò vt Tertullianus, Chryſoſtomus & ple-

rique alij exiſtimant vtrumque peti. Quia licèt tentari non ſit malum, eſt tamen periculoſum, & ideo à nobis cauendum, quantum in nobis eſt, propter noſtram infirmitatem, & ideo meritò cupimus, & petimus etiam non tentari. Pro quo

Primò dico, quòd hac petitione non rogamus, vt non tentemur vllo modo. Ratio eſt, quia nunquam tentari, vel eſt impoſſibile, vel præter legem ordinariam Dei, cùm vita iſta, vt D. Auguſtinus affirmat, ſine tentatione duci non poſſit, immò adeò eſt plena tentationibus, vt tentatio meritò poſſit appellari, ſicut illam Iob vocauit militiam.

Tum quia tentari non eſt malum, immò poteſt eſſe fructuoſum, ſi Deo protegente in tentationibus non deficiamus, iuxta illud 2. Cor. 12. Virtus in infirmitate perficitur.

Et confirmatur, nam ſi oramus, vt non tentemur, vnde nobis erit virtus conſtantiæ? Hinc dicebat D. Auguſt. Dum huius vitæ infirmitatem gerimus, ſi tentationes, & paſſiones omnino nullas habemus non rectè viuimus. Et lib. 2. de ſermone cap. 14. veriſſimè ait, Sine tentatione probatus eſſe nullus poteſt.

Secundò dico, quòd per illa verba poſtulamus ne in noxiam tentationem incidamus, quia hæc petitio, vt conſtat, eſt de malo cauendo, talis autem tentatio malum eſt, quæ verò non eſt noxia, potiùs habet rationem boni. Dicitur autem tentatio noxia, quæ nos eſt ſuperatura, de tali autem verum eſt, poſtulare nos, tum ne illa vincamur: tum etiam ne illam patiamur.

Dicitur autem Deus in tentationem inducere, non

non quia hortetur, vel impellat nos ad malum, cùm non ſit author peccati, iuxta illud Iacobi 1. Deus intentator malorum eſt & neminem tentat; ſed quia deſertus nos deſerit, ac ſuperari à tentatione permittit. Quo enim dirigēte ſtamus, eo manum ſubtrahente labimur. Indurare autem, excæcare, in ſenſum reprobum tradere, offendiculum ponere dicitur Deus, non quia hæc actione aliqua in hominibus operetur, ſed quia permittit iuſto iudicio hæc euenire, in vindictam præcedentium delictorum. Ipſe enim neminem tentat, ad ſeducendum, & ad impellendum in peccatum.

Septima, & vltima petitio eſt. *Sed libera nos à malo.* Cuius variæ ſunt Doctorum explicationes. Tertullianus, Cyrillus, Chryſoſtomus, Euthymius, Ambroſius, Gregorius Nyſſenus, Theophylactus & multi alij, per malum, à quo liberari poſtulamus, Dæmonem intelligunt, iuxta illud Ioannis 2. Viciſtis malignum. & illud Matth. 5. Quod his abundantius eſt, à malo eſt.

D. Auguſtinus ſuprà, & D. Chryſoſtomus homilia 14. operis imperfecti, per malum intelligunt peccatum.

D. Bonauentura lib. 7. de proceſſu Relig. cap. 4. exponit de malō damnationis æternæ.

Leſſius lib. 2. de iuſtitia cap. 37. dub. 4. per malum intelligit omnes diaboli, & conſequenter etiam impiorum hominum, qui ſūnt membra eius, inſidias.

At verò D. Cyprianus, Rupertus, Beda, D. Thomas 2. 2. quæſt. 83. artic. 9. & plerique alij intelligunt per malum omnes pœnalitates, & calamitates

V 5 præ

præſentis vitæ, in quas incidimus per peccatum Adæ; propter quod dicebat D. Ambroſius in quodam ſermone. Tantis malis hæc vita repleta eſt, vt comparatione eius, mors remedium eſſe putetur, non pœna. Ab his igitur liberari petimus, non ſolùm quatenus ad peccatum inducunt, ſed etiam quatenus maius bonum, maiorémque cum Deo coniunctionem impediunt. Oportuit enim vt Chriſtus etiam nos doceret à Deo eſſe ſperandam, & petendam liberationem ab omnibus his malis, quia ipſe ſolus poteſt nos liberare, & rogatus facit, quando expedit nobis.

Non tamen ſic orandum eſt, vt Dominus noſter omnes iſtas pœnalitates, & miſerias penitus à nobis amoueat. Quia nec id naturæ noſtræ conditio patitur, nec ſtatus huius ſæculi exigit: nec nobis fructuoſum eſſet: ſed quod petere debemus eſt, vt illarum moderationem faciat, ne occaſione earundem per impatientiam, aut aliter ad peccandum pertrahamur.

Amen. Iſta particula, quam D. Hieronymus vocat ſignaculum orationis Dominicæ, continet tertiam partem principalem prædictæ orationis, qua petitionum in ea contentarum confirmationem petimus, & optamus, dicentes. *Amen*. Eſt autem hæc particula ſecundùm D. Auguſtinum in libro 2. de doctrina Chriſtiana, non Græca, nec Latina, ſed Hebraica, ſicut ſunt *Alleluia*, *Oſanna*, *Racha*, &c. Et ſumitur in ſacris literis tripliciter: Vno modo nominaliter, & ſic tantum valet, ſicut verax, vel veritas. Qua ratione ſumitur in Apocal. cap. 3 cùm dicitur: Hæc dicit Amen, teſtis fidelis, & verus. *Amen*, id eſt, verax, quod eſt

vnum

vnum ex propriis nominibus Chriſti.

Secundo modo accipitur verbaliter, & valet tunc tantùm,ſicut,fiat. Qua ratione ſumitur communiter in fine orationum, quibus orantis deſiderium exprimitur, vt interpretatus eſt Diuus Ambroſius in pſalm. 40. ſuper illa verba; *fiat, fiat*. Vbi in Hebraico eſt *Amen,Amen*. In hoc ergo ſenſu in præſenti ſumitur.

Tertio verò modo accipitur aduerbialiter. Cuius acceptionis vſus eſt frequens in Euangelio, vt cõſtat ex illo, *Amen, Amen dico vobis*. quod multoties Chriſtus repetit in ſuis concionibus, & tantum valet, quantum verè. Quando ergo ea particula in Euangelio ponitur geminata,in primo loco accipitur nominaliter, & in ſecundo aduerbialiter, vt ſit ſenſus: Ego veritas dico hoc, vel illud verè.

QVÆSTIO CCXI.

Sed dubitabit aliquis hoc loco, An per orationem Dominicam peccata venialia deleantur.

IN qua re certum eſt in primis, per orationem Dominicam peccata venialia non deleri, in his qui peccatis mortalibus ſunt ligati. Et ratio eſt, quia ſecundùm doctrinam D. Thomæ 3.par.quæſt. 87. attic.4. Sine mortali peccato, quando adeſt in homine,venialia nunquam remittuntur.

Secundò etiam certum eſt, orationem Dominicam

nicam delere in hominibus iuſtis, qui orationem Dominicam recitant, peccata venialia.

QVÆSTIO CCXII.

Sed totum controuerſiæ diſſidium verſatur, An oratio Dominica hanc vim habeat ex opere operato, quamuis qui recitat, nullum actum pœnitentiæ eliciat.

SVNT multi qui exiſtimant orationem Dominicam ex opere operato habere vim remittendi peccata venialia.

Alij verò non minoris nominis docent, per orationem Dominicam peccata venialia deleri, quia per illam impetratur diuinum auxilium, quo de peccatis venialibus expreſsè, vel tacitè dolent.

Et hæc de oratione in communi dixiſſe ſufficiant.

LIBER

LIBER SECVNDVS

DE HORIS CANONICIS.

HACTENVS *de oratione in vniuerſum, vt eſt Religionis actus, breuiter egimus: nunc reliquum eſt, vt ſpeciatim de his orationibus diſſeramus, quæ Canonicæ nuncupantur. De quibus diſputant Scholaſti-*[1] *ci cum Magiſtro in* 4. *diſt. D.Thom.& ipſius interpretes in* 2.2.*q*.83.*art*.1.& *Sotus lib*.10.*de iuſt.& iure.q*.5.*Medina C.de ora-. Arrag*.2.2.*q*.83.*art*.12.& 13.*Valent*.2.2.*diſp*.6. *p*.10.*Leſſ.lib*.2.*de iuſt.cap*.37.*Tolet. in ſumma lib. p*.10.*Azor.p*.1.*lib*.10.*cap*.1.*Card.Bellarm.tom*.4. *rou.lib*.1.*de bonis operibus cap*.10.*Steph. Duran. tibus Eccleſ.lib*.3.*Coſm. Philiarch.de offic. Sacerd. ib*. 1.*Summa Corona p*.1.*cap*.1.*à nu*. 52.*Lop.p*.1. *Confeſſ.cap*.244.& *p*.2.*cap*.102.*Graff.lib*.2. *de- ap*. 50. *Rodriq. in Summa p*.1.*cap*. 140.*Vega in na p*.1. *cap*.28.*Franc.Suar.tom*.2.*de Relig.lib*.4. *al.li*.18.*Vaſq.in opuſc.de benef.cap*.4.*Carol.Ma- act.de Horis Canonicis.Vincent. Filiucius tom*.2. *tract*.

*tract.23. Molfeſ.in Summa de Horis Canon. & plerique alij. Canoniſtæ in titulo de celebr. Miſſarum. Summiſtæ verò vt Nauar.in Manuali c.25.à nu.97. & in Enchir.de orat.& Horis Canonicis. Angelus, Tabiena, Roſella,Syluester,Armilla, Supplementum & multi alij verbo,*Horæ Canonicæ,*& verbo* Beneficium.

Definitio Horarum Canonicarum.

ET vt à nomine ipſo exordiamur, obſeruandum eſt primò,quòd Horæ Canonicæ ſunt oratio publica laudandi,precandíque Deum mente ſimul ac voce.ſub certo numero pſalmorum,lectionum & aliorum huiuſmodi authoritate Eccleſiæ inſtituta,& per ſeptem congruentes horas diſtributa.

Et dicuntur Horæ,*non quidẽ ab* oro, oras,*quia orãdo,& cõtemplando perſoluuntur,vt putat Graffius lib.2. deciſ.c.50.n.1.ſequutus Cardinalem,Zabarellã,& alios in Clem.1.de celeb.Miſſar.cùm prima litera verbi* Oro, *non aſpiretur, prima verò verbi* Hora *ſic: ſed ab* Hora Horæ, *quia iuxta canones, & regulas Sanctorum Patrum certis horis nocturnis, ac diurnis recitari vel decantari debent,à quibus etiam nomina ſumpſère.*

Dicuntur autem Canonicæ, *ſeu* Regulares *à* Canone *Græcè,quod Latinè idem eſt,quod* Regula, *quia à ſacris Canonibus ſunt inuentæ, & canonum traditione, & inſtituto à clericis ſunt perſoluendæ.*

Dicuntur diuinæ,*quia Deo impendũtur.Vel quia in eis multa recitãtur,quæ ex diuinis literis deſumpta ſunt.*

Dicuntur officium diuinum,*quaſi munus,& obſequium quod clerici Deo præſtant. Nihil eſt ita propriũ perſonis eccleſiaſticis quã Deũ verum laudare, nihilque magis durabile,in cælo enim ſacrificiũ ceſſabit,diuina tamẽ laus ceſſare nequaquã debet.Beati enim qui habitãt*

in

in domo tua Domine,in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Cuius oppoſitum facient damnati in ſempiternum.

Vocantur officium eccleſiaſticum, *quaſi eccleſiaſticorum miniſteriū,& penſum.Vel quia Eccleſiæ præcepto perſoluuntur:& quia ab Eccleſia ſunt inſtitutæ.*

Aliquando dicuntur officium de Sanctis, *quia celebrantur,& offeruntur in memoriam Sanctorum.*

Aliquando dicuntur officium mortuorum, *quia in defunctorum ſuffragium recitantur.*

Vocantur etiam Vigiliæ, *quia vt dicit Hoſtienſis cap. 2. de celebr. Miſſar. illa cum ſolicitudine vigili recitari & cantari debent.*

QVÆSTIO I.

Quotnam ſint numero Horæ Canonicæ.

NAVARR. de orat.cap.3.n.27.& 28. cum multis aliis octo eſſe contendit, videlicet Matutinum, Laudes, Primā, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas, & Completorium. Et probat, nam Horæ Canonicæ ſunt inſtitutæ exemplo & imitatione veteris populi, de quo Eſdras lib.2.c.9. teſtatur Iudæos poſt liberationem à captiuitate Babylonica octies in die laudaſſe Deum, quater in nocte, & quater in die.

Tum quia Dauid in pſal.118.non ſolùm ait ſepties in die laudem dixi tibi, ſed etiam media nocte ſurgebam ad confitendum tibi,ergo præter ſeptem diurnas horas,ponitur oratio nocturna tanquā hora diſtincta,ergo nocte,& die octies laudabat Deū.

Tum

Tum quia olim Laudes per ſe ſeparatim à Matutino canebantur, & noſtris etiam temporibus in nocte Natalis Domini diuiduntur, & Miſſæ ſacrificium interponitur.

Tum demum, quia Matutinum, & laudes habent propria initia horarum, ſcil. *Deus in adiutorium meum intende*,&c. qualia eſſe ſolent in horis diſtinctis: & hymnos diſtinctos:& laudes habent ſuum proprium capitulum,& alia omnia, quæ ad integritatem horæ reperiuntur, ergo.

His tamen non obſtantibus, communis omnium ſententia habet ſeptem eſſe duntaxat horas canonicas,iuxta illnd pſalm.118.Septies in die laudem dixi tibi.Vbi dies pro naturali die 24. horarum accipitur, qui noctem etiam includit. Cùm autem dicit: Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi,diſtinguit ipſas horas in diem artificialem & noctem.

Tum quia horæ canonicæ non ſunt plures,quàm ab Eccleſia inſtitutæ ſunt:ſicut enim ab Eccleſia inſtitutionem habent, ita & numerum. Eccleſia autem Romana inſtituit duntaxat ſeptem horas canonicas,vt patet ex cap.1.de celebr.Miſſar.ex Clement.1.de reliq.& veneratione Sanctorum, & ex Breuiario Romano,vbi ſeptem horæ numerantur.

Tum demum,quia in Concilio Cabilonenſi ſecundo cap.59.ſub Carolo Magno, ſeptem tantummodo horæ canonicæ dicuntur, videlicet Matutinum,Prima,Tertia,Sexta,Nona, Veſpera,& Completorium.

Poſſunt tamen hæ duæ opiniones inter ſe diſſidentes,& contrariæ fœdere diſtinctionis cōciliari hoc modo,dicēdo ex prima inſtitutione &antiqua

conſue

conſuetudine fuiſſe octo horas canonicas, quando matutinum propria oratione concludebatur, & laudes poſtea diuerſo tempore dicebantur, ſicut modò fit diebus feriatis in toto ordine Ciſtercienſi. At noſtris temporibus vſu iam receptum eſt, & Eccleſiæ Romanæ conſuetudine, vt ſeptem tantùm dici debeant horæ canonicæ, ac proinde vt matutinum ſimul cum laudibus decantetur. Et ideo ita videntur ſentire Turrecrem.tract.73.in Reg.5. Benedicti. Hugo de ſancto Victore lib. 2. de Eccleſ. off.cap.2.& 9.& Marcellus Francol. de temp. hor. canon.cap.6.nu.15.vbi ait. Apud Monachos octo eſſe horas canonicas, & non ſeptem, quia ſeparant omnino nocturna à laudibus, & propria oratione illam nocturnam horam concludunt, & aliam faciunt quaſi propriam matutinam horam, inchoantes laudes, quando ſtella matutina oriri ſolet. At iuxta Romanæ Eccleſiæ morem, horas canonicas eſſe ſeptem contraria ratione.

Ex qua doctrina infertur primò in die Natalis Domini octo horas canonicas à Romana Eccleſia decantari, quia Matutinum antiquo more à laudibus ſeparatur, & propria concluditur oratione.

Secundò infertur in ſacro ordine Ciſtercienſi & in noſtra congregatione Beatæ Mariæ Fulienſis, in quibus iuxta Regulam ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti octaua hora noctis pſalmi nocturni concinuntur, & deinde ſub aurora Matutinæ laudes decantantur, octo eſſe horas canonicas.

Tertiò, & vltimò infertur, quòd quando inchoātur laudes ſeparatim à nocturnis locis, dicen-

dum eſſe ante laudum initium *Pater noſter*, cum *Aue Maria*, more aliarum horarum, propter eandem rationem, quia inchoantur vt hora diſtincta, & per ſe vna. Ita Nauar. de oratione cap. 3. numer. 66.

QVÆSTIO II.

Cur Horæ Canonicæ ſint tantùm ſeptem.

RESPONDEO id factum eſſe in primis, quia ex ſacris literis ſeptem tempora diuinis laudibus apta, & accommodata colliguntur, iuxta illud Dauidis in Pſalm. 118. Septies in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ.

2. Quia ſeptem exiſtunt dies hebdomadæ, quibus conditus eſt mundus.

3. Quia ſeptem ſunt mundi ætates, quibus duraturus eſt.

4. Quia ex ſeptem planetis mundus gubernatur.

5. Quia ſeptem ſunt ætates hominis, quibus omnibus Deus eſt laudandus. Infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuentus, virilitas, ſenectus, & decrepitudo.

6. Quia ex ſeptem rebus homo componitur, ſcilicet, ex quatuor elementis, & tribus potentijs.

7. Quia ex ſeptem etiam virtutibus homo perficitur, ſcilicet, tribus Theologicis, & quatuor Cardinalibus.

8. Quia ſeptem ſunt Spiritus ſancti dona, quibus

bus anima ſanctificatur, quæque vt impetremus ſeptem horas perſoluimus.

9. Quia ex ſeptem ſacramentis homo ad perfectum ſtatum reducitur.

10. Quia ex ſeptem beatitudinibus homo beatificatur.

11. Quia ſeptem ſunt petitiones orationis Dominicæ, quibus omnia ſperanda continentur.

12. Quia Prouerbior. 26. Septies in die cadit iuſtus.

13. Quia Deuter.7. Septem ſunt relictæ gentes quas debellari oportebat à Iudæis, vt terram ſibi à Deo promiſſam poſſiderent.

14. Quia ſeptem dæmonia ſunt per Dominum expulſa à Maria Magdalena. Marc. 16.

15. Quia Prouerb. 26. ſeptem nequitiæ memorantur, ergo aptè ſunt ſeptem horæ canonicæ diuinis laudibus deſtinatæ contra ſeptem lapſus, & ſeptem nequitias.

16. Quia ſeptem fuerunt tubæ, quarum ſonitu Hiericontini muri corruerunt. Ioſue 6.

17. Quia ſeptem ſunt candelabra aurea, quæ Ioannes vidit in Apocalyp.1.

18. Quia Exodi 25. ſeptem fuerunt lampades, ſiue lucernæ in templo Salomonis.

19. Et vltimò, vt redemptionis noſtræ beneficiũ ad memoriam reuocemus. Nã ſeptẽ præcipua paſſionis Chriſti myſteria hiſce horis consũmata eſſe noſcuntur. Nam Matutina ſignificat, cùm Chriſtus in horto fuit à Iudæis cõprehenſus, & ligatus. Prima, cũ in domo Caiphæ fuit alapis cæſus, & ſputis fœdatus. Tertia, cùm fuit lata mortis ſententia. Sexta, cùm crucifixus. Nona, cùm mortuus, & eius

latus lancea apertum eſt. Veſpera, cùm depoſitus fuit de cruce. Completorium, cùm poſitus fuit in ſepulchro. Quæ omnia his verſibus continentur.

Hæc ſunt ſeptenis, propter quæ pſallimus horis,
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet ſputis: cauſam dat tertia mortis.
Sexta cruci nectit: latus eius Nona bipertit.
Veſpera deponit: tumulo Completa reponit.

QVÆSTIO III.

An hæc ſeptem horarum institutio ſit de iure diuino.

PANORM. cap. 1. de celebrat. Miſſar. n. 3. D. Anton. 2. p. tit. 9. cap. 12. §. 1. Angel. verb. hora qu. 6. Roſell. nu. 13. Tab. q. 15. Armil. num. 11. Nauarr. de orat. cap. 7. num. 2. & Graff. l. 2. deciſ. cap. 50. putant eam eſſe de iure diuino. Et probant, quia in Pſalm. 118. dicitur ſepties in die laudem dixi tibi. Huius etiam ſententiæ videtur eſſe Magiſter Sotus lib. 10. q. 5. art. 3. adducens illud Iſai. cap. 43. Omnem illum, qui inuocat nomen meum, in laudem meam creaui illum.

Ex quo inferunt, Romanum Pontificem non poſſe in horis canonicis diſpenſare. Et ratio eſt, quia vt Theologi communiter, ac iuris vtriuſque Doctores fatentur, Romanus Pontifex poteſtatem non habet diſpenſandi in iure diuino.

Sed cæteri communi conſenſu affirmant eam eſſe ſolũ de iure Eccleſiaſtico. Et ratio eſt, quia neque ex Scriptura, neque ex Eccleſiæ traditione, neque ex ſanctorum Patrum teſtimonio colligitur

tur horas Canonicas iure diuino inſtitutas fuiſſe.

Tum quia communiter appellantur Horæ Canonicæ, quia per ſacros canones præſcriptæ, & ab Eccleſia inſtitutæ ſunt ad laudandum Deum. Et ideo ita tenent Syluest. verb. hora. quæſt. 8. Bellarm. lib. 1. de bonis operib. cap. 19. Tolet. lib. 2. cap. 4. num. 6. Valent. 2. 2. diſput. 6. quæſt. 2. part. 10. Azor. lib. 10. cap. 1. q. 7. Suar. l. 4. c. 23. num. 16. & cap. 27. num. 38. Filiuc. to. 2. tract. 23. cap. 3. & alij communiter.

Dices, horæ canonicæ appellantur diuinum officium, ergo iure diuino ſunt inſtitutæ.

Reſpondeo horas canonicas appellari diuinum officium, non à cauſa inſtituente, ſed potiùs à materiali, & finali, quia diuinas laudes continent, & ad Deum laudandum diriguntur, & ordinantur.

Ex quo infertur primò, ſummum Pontificẽ poſſe circa obligationẽ horarum canonicarum diſpenſare. Et ratio eſt, quia ſummus Pontifex poteſtatẽ habet diſpenſandi in iure Eccleſiaſtico: atqui horę canonicæ ſunt inſtitutæ de iure Eccleſiaſtico. ergo.

Secundò infertur, Epiſcopum non poſſe cum ſuis ſubditis in horis canonicis diſpenſare. Et ratio eſt, quia vt dictum eſt, horæ canonicæ ſunt de iure communi Eccleſiaſtico ſuper quod Epiſcopus regulariter nullam poteſtatem habet. Ita Sylu. verb. hora. q. 8. Azor. lib. 10. c. 23. & multi alij.

Et idem dicendum eſt de ſuperioribus Regularibus quoad Religioſos ſibi ſubditos.

An autem aliquando Epiſcopus diſpenſare poſſit conſtabit ex infrà dicendis, vbi oſtẽdemus poſſe.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpódeo, & dico primò, non eſſe de iure diuino omnia

quæ leguntur facta in Scripturis: alioquin teneremur pugnare cum Golia & beſtiis, vt fecit Dauid: ſed ſolùm ea quæ ibi fieri præcipiuntur præcepto morali,& non iudiciali,vel cæremoniali.

Secundò reſpondeo, ex illis verbis non oſtenditur horas canonicas eſſe de iure diuino, ſed tantummodo exprimitur & continetur factum Dauidis, quod non indicat obligationem, alioquin ſequeretur omnes Reges ad horas canonicas obligari.

Tertiò reſpondeo, illa verba probare quidem Dauid ſic oraſſe,non tamen ad id iure diuino obligatum fuiſſe, ac proinde minùs nos ad id obligari.

QVÆSTIO IV.

An in Eccleſia hæc ſeptem horarum inſtitutio ſit antiqua.

Respondeo eſſe antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem dicendi huiuſmodi preces. Patet primò de Matutino,teſtimonio Dauidis in Pſalm. 118.Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi. Et Luc. 6. dicitur, Chriſtum pernoctaſſe in oratione Dei.

De Prima conſtat Pſalm.91.Ad annunciandum manè miſericordiam tuam.

De Tertia patet Act. 1. vbi dicitur Apoſtolos hora tertia vnanimiter oraſſe, & quia illa hora Spiritus ſanctus illis apparuit, ideo canit Eccleſia hymnum. *Nunc ſancte nobis Spiritus.*

De Sexta verò conſtat Act. 10. vbi habetur D. Petrum circa horam ſextam aſcendiſſe,vt oraret.

De

De Nona paret etiam Act. 3. vbi dicitur, Petrum & Ioannem aſcendiſſe in templum ad horam orationis nonam.

De Veſpera, & Completorio conſtat ex illo Pſalmi 54. Veſpere, & manè, & meridie.

QVÆSTIO V.

Quando primùm ſeptem horæ canonicæ fuerint inſtitutæ.

NONNVLLI hanc horarum canonicarum inſtitutionem Damaſo I. tribuunt.

Alij Gregorio I.

Verùm ex hiſtoriis Eccleſiaſticis, & Patribus clarè conſtat iam inde ab Apoſtolorum tempore clericos certis diei, ac noctis temporibus in Eccleſiam conuenire conſueuiſſe vt pſalmos, preces, hymnóſque Deo decantarent, vt patet ex Clem. l. 8. conſt. Apoſt. cap. 30. vbi ſic habetur. Precationes facite manè, tertia hora, & ſexta, & nona, & veſpere vſque ad galli cantum. Hoc idem colligitur ex D. Baſilio in Regulis copioſiùs diſputatis interrog. 37. ex D. Hieronymo in epiſt. 22. ad Euſtochium de caſtitate virginali, ex D. Chryſoſt. in hom. 59. ad populum Antioch. & ex D. Ambroſio lib. 7. ad Lucam.

Fortaſſis Pelagius, aut Damaſus legem tulit, qua horas canonicas ſepties in die perſoluere tenerentur, ita vt quod antea vſu, & conſuetudine antiquiſſima ſeruabatur, lege deinde lata perpetuò in Eccleſia iuſſerit obſeruari.

QVÆSTIO VI.

An clerici ſacris initiati teneantur ex præcepto horas canonicas quotidie recitare.

Respondeo teneri, vt conſtat ex communi vſu, & conſenſu totius Eccleſiæ, qui apertè colligitur ex illis verbis Conc. Baſilienſ. ſeſſion. 21. Quoſcunque in ſacris conſtitutos, cùm ad horas canonicas teneantur, admonet ſancta ſynodus, &c. Vbi Concilium vt patet, horas canonicas non præcipit, ſed obligationem illas recitandi vt antiquam ſupponit. Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆSTIO VII.

Sed dubium eſt, An hoc præceptum in iure canonico habeatur expreſſum.

Canonistæ tuentur partem affirmatiuam. Et probant primo ex cap. 1. de celebratione Miſſarum vbi dicitur. Presbyter manè, matutinali officio expleto penſum ſeruitutis ſuæ, canendo primam, tertiam, ſextam, nonam, veſperáſque perſoluat.

Verùm hoc caput nihil probat, quia ſolùm agit de Presbytero, ergo de Diacono, & Subdiacono nihil concludit.

Panormitanus, & alij canonici iuris interpretes reſpon

reſpōdent,nomine Presbyteri,cōprehendi ibi Diaconum, & Subdiaconum. Quod probant primò ex cap. 1. 15. q. 5. vbi Diaconus ſacerdos appellatur. Et cap. 2. Si quis, de cohabit. clericorum, & mulierum habetur. Si quiſquam ſacerdotum, ideſt, Presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, &c. ergo appellatione ſacerdotis, veniunt Diaconi, & Subdiaconi.

Sed (pace tantorum virorum ſit dictum) hæc reſponſio non ſatisfacit, quia etſi ſacerdotis nomine in iure intelligantur etiam Diaconi, & Subdiaconi, licèt Presbyteri non ſint, quia is qui ſacra docet, vel ſacra dat, ſacerdos dici poteſt, quod etiam Diaconis, & Subdiaconis conuenit. Cæterum Presbyterorum nomine canones nunquam accipiunt Diaconos, & Subdiaconos.

Secundò probant ex cap.Si quis Presbyter. diſt. 92.Verùm ibi non tantùm agitur de clericis Sacrorum ordinum, ſed etiam de aliis, quia non ſolùm dicit,ſi quis Presbyter, aut Diaconus, ſed addit,vel quilibet clericus: ſub qua voce etiam clericos minorum ordinum comprehendit: tamen quia ibi non ſolùm præcipitur recitare, ſed conuenire ad Eccleſiam ad decantandum diuinum officium, ergo non loquitur niſi de clericis alicui Eccleſiæ deputatis, ideſt de habentibus beneficia.

Tertiò probant ex cap. Dolentes. de celebrat. Miſſarum, vbi Innocentius III. cum Concilio generali præcipit Prælatis, & minoribus clericis in virtute ſanctæ obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum, pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudiosè celebrent pariter, & deuotè.

Sed hîc nō exprimitur, qui ſint illi minores clerici:& concilium videtur loqui de officio publico.

Tum quia cùm nomine clericorum minorum non minus intelligantur in ſacris conſtituti: quàm in minoribus, non eſt cenſendum tale præceptum eſſe de recitandis horis canonicis, ſed tantùm de modo, impoſito iis qui aliunde tenentur recitare, vt Prędati, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, ratione ordinis, & reliqui clerici beneficia eccleſiaſtica obtinentes.

Quare ſapientiſſimus Nauar. de oratione cap.7. nu. 2. & alij planè fatentur de Diacono, & Subdiacono, non eſſe hoc præceptū in iure expreſſum, ſed generali totius Eccleſiæ conſuetudine introductum,quæ cùm ſit rationabilis, & legitimè præſcripta,vim legis habet, iuxta caput fin.de conſuetud.in fine.Eſſe verò talem cōſuetudinem legitimè præſcriptam,negari non poteſt,cùm non modò annis,ſed & ſæculis multis, atque adeò ab Apoſtolorum temporibus tanquam pia,ſanctáque in Eccleſia vigeat. Ex quo fit,vt Diaconi, & Subdiaconi ex antiquiſſima ſancta Eccleſiæ conſuetudine eadē lege teneantur,qua Presbyteri,& Clerici beneficiati: Conſuetudo enim immemorialis ad hanc legem inducendam ſufficit. Ratio autem huius legis ea eſſe poteſt, quia qui maioribus ordinibus initiantur, vitæ ſuæ ſtatum firmiter mutarunt in eum,qui diuino cultui eſt conſecratus, & ad Deum collaudandum inſtitutus,laudum ordine,& modo ab Eccleſia præſcripto : modus autem præſcriptus eſt is, qui in Breuiario cōtinetur. Igitur tam Subdiaconi & Diaconi, quàm Presbyteri ratione ſtatus ex ſæculo in cultum Dei tranſlati tenentur horas cano-

nicas

nicas perſoluere. Et ideo ita ſentiũt Vaſq. in opuſc. de benef. cap. 4. §. 1. ar. 1. Suar. to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 16. nu. 9. Azor. lib. 10. cap. 5. q. 1. Reginal. lib. 18. nu. 25. & Macig. cap. 9.

QVÆSTIO VIII.

An clerici in minoribus conſtituti, ratione ſui gradus ad horas canonicas recitandas teneantur.

PANORM. cap. 1. de celebrat. Miſſarum nu. 6. Gloſſa in cap. finali eiuſdem tituli, & Innocent. ibidem aſſerunt eos teneri ex vi quidem iuris diuini ad ſeptem horas, iuxta illud Pſalmi 118. Septies in die laudem dixi tibi. Sed ad has ſeptem horas, quas ſic Eccleſia cum Pſalmis, lectionibus, antiphonis, &c. ordinauit, tantùm teneri iure humano expreſſo in cap. Dolentes, de celeb. Miſſar.

Sed communis eſt omnium Theologorum opinio, nos ab hoc onere eſſe immunes. Et ratio eſt, quia quãuis clerici minoribus ordinibus initiati in ſortem Domini aſſumpti ſint, nondũ tamen ſortiti ſunt ſtatum inter Eccleſiæ miniſtros, poſſunt enim ſi velint, vxorem ducere. Quo fit, vt nec Eccleſia eis obligationem recitandi horas canonicas impoſuerit. Et in his quæ ſunt de iure poſitiuo, vbi lex non obligat, nec nos obligare debemus. Ita Arag. 2. 2. q. 83. ar. 12. Toler. lib. 2. cap. 12. nu. 1. Azor. lib. 10. cap. 5. Nauar. de oratione cap. 7. nu. 12. Valent. 2. 2. d. 6. q. 2. p. 10. Sot. lib. 10. q. 5. ar. 3. Suar. tom. 2. lib. 4. cap. 16. nu. 10. & Vaſq. in opuſc. de benef. c. 4. §. 1. art. 1.

Dices,

Dices, in cap. Dolentes, de celebr. Miſſarum, Innocentius III. præcipit Prælatis, & minoribus clericis in virtute ſanctæ obedientiæ, vt diuinum officium quotidie perſoluant.

Reſpondeo, per particulam illam, *Minores*, intelliguntur clerici in ſacris, qui comparatione Prælatorum dicuntur minores. Quod ſi velimus dictam particulam, *Minores*, extendere etiam ad illos, qui in ſacris non ſunt, intelligi debet de illis, qui ratione beneficij ſunt ad id obligati.

Nec etiam obſtat, quòd etiam per ordines minores aſſumantur illi in ſortem Domini, & transferant ſe in cultum Dei. Nam ſi miniſtrent in ſuis propriis officiis, poterunt ſe exhibere ſpeciali modo cultores Dei, quod ſatis eſt.

QVÆSTIO IX.

An clerici primæ tonſuræ, vel minorum ordinum ea præciſa ratione, qua creati ſunt clerici, eſto non teneantur ad dicendum horas canonicas, teneantur aliquid aliud ex præcepto recitare.

Palvd. in 4. diſt. 15. q. 5. ar. 2. affirmat eos ad aliquid plus teneri quàm laicos, tum quia diuino cultui aſcribuntur. Tum quia gaudent priuilegio clericali.

Nauarrus de oratione cap. 7. nu. 14. cum multis aliis docet eos ad id teneri ex vi iuris diuini, non tamen certas, ac ſtatas preces conſtituit: fundat autem

autem Nauar. hanc obligationem, vel in debito diuini cultus, cui ſunt ſpecialiter deſtinati, vel in gratitudine ad Eccleſiam, quæ eos ad clericorum gradum, & honorem prouexit.

Ex quo infert, clericos primæ tonſuræ, vel ordinum minorum, innumera peccata committere, quia plerunque non plus laudant Deum, nec ampliùs orant pro populo, quàm ſi eſſent laici.

Alij verò eas definiunt, dicentes teneri eos ad horas Beatæ Virginis, vel ad ſeptem Pſalmos pœnitentiales, vel ad canticum graduale, vel ad Pſalmum, Miſerere mei Deus.

Sed communis, & verior ſententia eſt, neque iure diuino, & naturali, neque iure poſitiuo, eos ad aliquid horum teneri, ſed ſolùm ex decentia, & honeſtate: quæ non obligat ad vllum peccatum. Et ratio eſt, quia talis obligatio non eſt imponenda ſine cogente ratione, illa verò nulla eſt, nam communiter miniſtrando in ſuis muneribus, poterunt ſe oſtendere, & cultores Dei, & gratos Eccleſiæ, & multis aliis modis poteſt cultus exhiberi, & gratitudo oſtendi, quando eius occaſio occurrerit.

QVÆSTIO X.

An ſaltem conſuetudine tales clerici ad preces aliquas quotidie recitandas teneantur.

SOTVS præclarus Thomiſta lib. 10. de iuſt. q. 5. art. 3. ſimpliciter negat, eſſe talem conſuetudinem.

Alij

Alij verò vt Medina C. de oratione. Nauar. cap.7. de horis canonicis nu.13.Ledeſm. in 4. p. 2. q. 16. ar. 4. & Palud. in 4. d. 15. q. 5. ar. 1. rectiùs docent, vbi fuerit vſu recepta talis conſuetudo, eam ab huiuſmodi clericis ſeruari debere: nam ſicut iure canonico poteſt conſtitui, vt tales precationes perſoluere teneantur, ſic etiam conſuetudine introduci poterit: Non tamen hæc conſuetudo obligaret ad mortale, vt monet Nau. de oratione cap. 7. num. 14.

QVÆSTIO XI.

An Epiſcopus qui clericos ad primam tonſuram vel ad quatuor ordines minores promouet, poßit eis hoc onus præcipere, vt preces aliquas ſingulis diebus perſoluant.

ET quidem vbi eſt talis conſuetudo eas preces recitandi, certum eſt, Epiſcopum poſſe eos ad illius obſeruationem cogere, nam hoc ad illius munus ſpectat. Ita Med. C. de oratione quęſt. 7.

QVÆSTIO XII.

Tota igitur lis eſt, quando talis conſuetudo non viget, an tunc Epiſcopus poſſit ſuo præcepto, vel ſtatuto id oneris eis iniungere.

Sotvs

SOTVS lib. 10. de iuſt. q. 5. ar. 3. negat, quia omnes ordines deſcendunt à ſummo Pontifice in totam Eccleſiam, ergo ad illum ſolum pertinet diſponere de functionibus, & obligationibus, quæ ratione ordinis imponuntur.

Tum quia quando ſummus Pontifex relinquit liberum, non poteſt Epiſcopus particularis in ſua Eccleſia facere præceptum, niſi in ea diœceſi ſit particularis ratio, quę in propoſito non apparet.

Tum quia alioquin non poſſet ſeruari vniformitas, quæ tamen multum facit ad Eccleſię decus.

Hinc, ſi Epiſcopus in ordinatione aliquid orandum iniungat ordinatis, non eſt cenſendus velle obligare ad culpam, ſed tantùm ex quadam honeſtate, & decentia. Quo pacto etiam putat Sotus, intelligendum eſſe, quod ait Palud. in 4. d. 15. q. 5. ar. 1. nimirum huiuſmodi ordinatos ad aliquid plus teneri, quàm laicos, videlicet, non ex præcepto, ſed ex honeſtate. Eiuſdem opinionis ſunt Azor. lib. 10. cap. 5. q. 4. Emmanuel Sà verb. horæ. nu. 5. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 37. dub. 8. nu. 49. Suar. to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 16. nu. 14. Filiuc. tract. 23. cap. 5. nu. 148. Molfeſ. cap. 3. nu. 8. Vaſqu. de benef. cap. 4. §. 1. dub. 2. num. 6. Carol. Macig. cap. 9. nu. 23. & plerique alij.

Alij verò vt Bonacina de horis canon. diſp. 1. q. 2. p. 3. affirmant poſſe.

At ego arbitror Epiſcopum, etſi non poſſit præcipere ordinato, vt quotidie certas aliquas preces recitet, poſſe tamen præcipere, vt bis, vel ter illas precationes perſoluat; ſicut ex cauſa poteſt aliquod ieiunium bis, térve in ſua diœceſi imponere. Et ideò ita tenent Nauar. de oratione

cap. 7.

cap. 7. nùm. 14. Azor. lib. 10. cap. 5. q. 4. Leſſ. lib. 2. q. 37 dub. 9. nu. 46. Suar. to. 2. de Relig. lib. 4. cap. 16. nu. 15. & plerique alij.

QVÆSTIO XIII.

An clerici excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti, ſeu aliqua irregularitate affecti, vel degradati ab ordinibus, teneantur priuatim horas canonicas perſoluere.

Respondeo teneri. Et ratio eſt, quia par non eſt, vt ex delicto commodum reportent, præſertim cùm recitatio horarum tali pœnæ non repugnet. Et ſua culpa fit, quòd non percipiunt fructus.

Tum quia tales priuantur honoribus, non oneribus, recitatio verò eſt onus, non honor. Verùm clerici degradati, aut excommunicati, non poſſunt, dum horas canonicas perſoluunt, dicere, Dominus vobiſcum, quia hæc eſt quædam communicatio, & functio ordinis. Ita Nau. de oratione cap. 7. nu. 17. Rodriq. p. 1. c. 141. nu. 4. Couar. lib. 3. var. c. 13. nu. 8. Valen. 2. 2. d. 6. q. 10. Azor. lib. 10. cap. 5. q. 6. Sanch. lib. 3. q. 8. nu. 11. Suar. to. 5. de cenſuris d. 12. ſect. 2. nu. 16. Graff. lib. 2. cap. 50. & Sayrus de cenſuris lib. 5. cap. 22. nu. 50.

Dixi notanter, *priuatim*, quia excommunicati non poſſunt cum aliis horas canonicas perſoluere, quia per excommunicationem participatio cum aliis eis interdicitur.

QVÆST

QVÆSTIO XIV.

An clerici in ſacris, per iudicis ſententiam ad triremes damnati, aut à Turcis capti, & ad triremes coniecti, teneantur diuinum officium perſoluere.

BONACINA de horis canonicis diſp. 1. q. 2. p. 3. nu. 4. cum multis aliis affirmat.

Alij verò rectius negant, tum quia vſus eſt in contrarium. Tum quia ſatis habent afflictionis, dum vi in illo ſupplicio detinentur.

Tum quia id cederet in dedecus ordinis Eccleſiaſtici, ſi in illa hominum colluuie oſtenderet ſuum ſtatum.

QVÆSTIO XV.

An clerici beneficia eccleſiaſtica curata, aut ſimplicia habentes, horas canonicas recitare teneantur, etiam ſi clerici non ſint ſacris initiati.

RESPONDEO communem eſſe omnium Theologorum, & canoniſtarum iuris interpretum ſententiam, clericos omnes ad beneficium eccleſiaſticum ſiue ſimplex, ſiue curatum titulo clericali promotos, regulariter ad horas canonicas recitandas teneri.

Dixi notanter, *titulo clericali*, nam qui titulo ſæculari decimas, aut penſiones percipiunt vt Reges, & equites, ad huiuſmodi canonicarum horarum penſum non obligantur.

Hinc, qui ſolùm habent expectatiuas beneficij, vt qui dicuntur canonici in ſpe, non tenentur ad horarum recitationem. Quia beneficium expectare, non eſt illud habere.

Dixi etiam, *regulariter*, ad denotandum extare aliqua beneficia, quæ ex ſua inſtitutione ad diuinum officium non obligant, ſed ad alias preces, vt ſunt quidam Prioratus, vel ſimplices Præpoſituræ, &c. Immò aliqua beneficia reperiuntur, quæ ad nihil recitandum obligant, vt rectè docent Emmanuel Sà verb. Horæ, nu. 4. & Armilla ibidem num. 3.

Hinc qui recipit præbendam, aut portionem ad pulſanda organa, vel ad docendum Theologiam, vel ad aliud officium non eccleſiaſticum peragendum, non tenetur horas canonicas recitare. Ratio eſt, quia beneficiarius ſolùm tenetur ad id, propter quod datur beneficium, at in hoc caſu præbenda non datur cum onere recitandi. Verùm hęc non dicuntur propriè beneficia, ſed fructus, qui dantur per modum ſtipendij ob aliquod opus tẽporale. Secùs ſi beneficium propriè ſumptũ conferatur clerico cum onere legendi, vel aliquid aliud faciendi, iuxta cap. 1. de magiſt. hic enim non ſolùm tenebitur ad legendum, verùm etiam ad perſoluendum horas canonicas, quia verè cenſetur habere beneficium Eccleſiaſticum. Ita Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 22. num. 2. Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 31. num. 174. & alij.

QVÆST.

QVÆSTIO XVI.

Vndenam conſtet beneficiarios ad recitationem horarum canonicarum teneri.

RESPONDEO conſtare in primis ex cap. Quia per ambitioſam, de reſcriptis in 6. vbi Pontifex reprehendit quoſdam beneficiarios, quòd officium diuinum, propter quod beneficium datur, omitterent.

Secundò conſtat ex Concilio Lateranenſi à Iulio II. incepto, & à Leone X. continuato ſeſſ. 9. de reformat. §. ſtatuimus. Vbi Pontifex priuat fructibus beneficiorum eos, qui diuinum officium non recitant: ſupponit ergo obligationem, & quidem ſub mortali, ratione pœnæ grauis, quam inducit.

Tertiò conſtat ex cap. final. diſt. 92. vbi dicitur, omnes Presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, & omnes qui ſunt Eccleſiæ deputati, debere officium diuinum recitare.

Quartò, & vltimò conſtat ex Bulla Pij V. relata à Nauarro in Manuali cap. 25. num. 122.

Ex quibus iuribus clarè colligitur, beneficiarios ad perſoluendum horas canonicas teneri ſolùm iure Eccleſiaſtico, quo decretum eſt, primarium officium pro quo datur beneficium, eſſe horas canonicas.

QVÆSTIO XVII.

An qui propter metum cadentem in virum conſtantem ſibi à parente incuſſum, acceptauit beneficium, teneatur diuinum officium recitare, etiamſi non habeat animum perſeuerandi in ſtatu Eccleſiaſtico?

Respondeo eum ad id teneri. Et ratio eſt, quia hic habet beneficium, cui annexum eſt onus recitandi, & intendit fructus percipere vt ſuppono, & poteſt ſi vult, ſe ab hac obligatione eximere, reſignando beneficium. ergo.

Et confirmatur, nam qui ſentit commodum, par eſt, vt ſentiat onus. Et ideo ita tenet Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 34. dub. 31. nu. 174.

QVÆSTIO XVIII.

An qui plura beneficia poſſidet, teneatur tot officia in die recitare, quot ſunt beneficia?

In hac quæſtione Guillerm. Pariſ. in tract. de collat. beneficiorum; Dionyſius Carth. opuſ. contra pluralitatem benef. ar. 1. & Nauarrus in Miſcell. 60. de oratione nu. 2. 3. & 4. affirmant teneri beneficiarium toties in die diuinum officiũ perſoluere, quot beneficia habet. Ducuntur hi auctores in eam ſententiam, quia beneficium datur propter

propter officium, cap. fin. de reſcriptis in 6. ergo qui plura beneficia habet, tenetur tot officia in die recitare, quot ſunt beneficia: ſicut qui habet plures capellanias, certum numerum Miſſarum, aut certum ſeruitium poſtulantes, tenetur multiplicatas Miſſas dicere, vel multiplicatum ſeruitium exhibere.

Et confirmatur, nam iure naturæ, qui habet commodum, debet ferre illius commodi onus, ſed vnumquodque beneficium habet onus dicendi quotidie diuinum officium, ergo.

Ex quo inferunt, eum qui tantam multitudinem beneficiorum acciperet, vt moraliter non poſſet toties in die diuinum officium recitare, contra iuſtitiam beneficia illa teneret.

Sed communis eſt omnium opinio, eum qui plura beneficia poſſidet, non teneri horas canonicas toties in die recitare quot ſunt beneficia, ſed ſatisfacere vnica recitatione. Probatur primò vniuerſali toties Eccleſiæ conſuetudine ſcita, & tolerata ab omnibus Eccleſiæ Prælatis, quæ conſequenter habet vim legis.

Secundò probatur, quia licèt Eccleſia præcipiat recitare officium habenti beneficium, nullibi tamen præcipit recitare pluries idem officium habenti plura beneficia: & multiplicatio titulorum non multiplicat obligationes, ſed auget eandem, vt pluribus rationibus debeatur, vt patet in beneficiario ordinato in ſacris, vel Religioſo in ſacris habenti beneficium. Nam hi ad vnum tantùm officium tenentur, & conſuetudo ſufficienter interpretatur, talem eſſe mentem Eccleſiæ præcipientis officium habenti beneficium.

Et confirmatur, nam quamuis in vno die concurrat duplex feſtum, vt Dominica, & aliud de præcepto, non obligat ius ad audiendum duas Miſſas, ſed vnam tantùm.

Tertiò probatur, quia recitatio diuini officij, etſi pro pluribus fiat, non minùs valet pro ſingulis, quàm ſi pro vno fiat, vt rectè monet D. Hier. in cap. Non mediocriter. de conſecrat. diſt. 5. dicens. Cùm pro cunctis animabus Pſalmus, vel Miſſa dicitur, tantum prodeſt cuilibet, quantum ſi pro qualibet caneretur. Quod intelligitur quoad vim impetrandi, quæ in his orationibus publicis, quæ nomine Eccleſiæ fiunt, præcipuè conſideranda eſt. Nam in eis non per ſe attenditur meritum recitantis, ſed ſanctitas, & dignitas Eccleſiæ, cuius nomine orat, quæ non minuitur ex eo quòd pro pluribus intercedat, quàm ſi pro vno. Sic ergo quãuis aliquis officium diuinum ſemel dicat pro pluribus Eccleſiis, pro omnibus ſufficienter ſatisfacit. Et ideo hanc partem ſuſtinent omniſcius D. Thomas quodlib. 1. ar. 13. Henriq. lib. 5. cap. 5. nu. 6. Azor. lib. 10. cap. 4. q. 10. Garz. 3. p. cap. 1. nu. 115. Philiarch. lib. 1. cap. 8. Suar. to. 2. lib. 4. cap. 18. nu. 7. Macig. de horis canon. cap. 12. Malder. tract. 20. c. 2. dub. 3. q. 8. & plerique alij.

Ex quo ſequitur primò, eum qui plura beneficia habet vnum peccatum ſpecie committere, dum diuinum officium prætermittit. Et ratio eſt, quia facit contra obligationes eiuſdem rationis. Ita Henriq. lib. 5. cap. 7. nu. 6. Garz. to. 1. de benef. 3. p. c. 1. nu. 86. & 104. & alij.

Secundò ſequitur contra Nauar. vbi ſuprà, eum qui plura beneficia iniuſtè, & abſque legitima

ſuperioris

ſuperioris facultate retinet, non teneri pluries in die officium recitare, nec peccare non recitando quotidie pluries officium, ſed ſolùm retinendo illa, ſine diſpenſatione legitima, vt rectè monet Garz. 3. p. cap. 1. nu. 120. Et licèt Doctores citati loquantur in habente plura beneficia licitè, non ideo volunt habentem illa illicitè teneri ad pluries recitandum.

Et ad argumenta contrariæ opinionis reſpondeo, illa procedere, niſi ex praxi aliter conſtaret de voluntate Eccleſiæ, quæ onus recitandi beneficiariis impoſuit.

QVÆSTIO XIX.

An qui plura beneficia poſſidet, licèt non teneatur pluries in die diuinum officium recitare, teneatur ſaltem tot commemorationes facere, quot ſunt beneficiorum Patroni.

IN hac graui, & perutili quæſtione dico primò, quòd beneficiarius illis diebus, qnibus in Breuiario commemorationes fiunt, tenetur commemorationem illius ſancti facere, in cuius honorem, beneficium erectum eſt. Ratio eſt, quia ſic commnni vſu, & moribus beneficiariorum receptum eſt.

Tum quia beneficiarius tenetur horas canonicas perſoluere iuxta rubricas Breuiarij, in rubricis

autem Breuiarij Romani iniungitur, commemorationem Patroni, vel Titularis fieri. Secus dicendum eſt de penſionario, hunc enim ad commemorationem Patroni, vel Titularis beneficij, arbitror non obligari, quia ipſe beneficij titulum non habet.

Secundò dico, quòd habens plura beneficia, tenetur tot commemorationes facere, quot ſunt beneficia, modò id commodè fieri poſſit. Ratio eſt, quia par eſt omnium ratio, nec poteſt aſſignari cauſa, cur beneficiarius vnius Patroni potius, quàm alterius memoriam facere teneatur.

Dixi notanter, *modò id commodè fieri poſſit*, quia ſi tot eſſent beneficia, ita vt Patroni nonnullorum beneficiorum ſint Apoſtoli, nonnullorum ſint Martyres, nonnullorum confeſſores, poterit vnica oratione complecti Apoſtolos, alia Martyres, alia confeſſores, expreſſis in collecta nominibus Patronorum, ſi collecta illa expreſſionem commodè patiatur.

Tertiò dico, quòd beneficiarius qui ſcienter Patroni commemorationem prætermittit, regulariter loquendo non peccat niſi venialiter. Ratio eſt, quia modicitas materiæ in omni præcepto à mortali excuſat.

Dixi notanter, *regulariter*, quia ſi quis tot beneficia habeat, vt illis reſpondeant plures commemorationes, quæ ſimul ſumptæ notabilem materiam efficiant, arbitror beneficiarium huiuſmodi commemorationes omittentem mortale peccatum committere. Quia frangit Eccleſiæ præceptum in re graui.

Quartò, & vltimò dico, quòd beneficiarius qui ſcienter

ſcienter omittit Patroni, vel Titularis commemorationem,non tenetur regulariter ad fructuum reſtitutionem. Ratio eſt, quia ex omiſſione rei paruæ in diuino officio non conſurgit reſtitutionis obligatio, etiamſi fructus illi parti reſpondentes ſint magni valoris.

Dixi notanter, *regulariter*; quia ſi plures commemorationes in vno officio omittantur, conſtituentes materiam grauem, cenſeo beneficiarium qui tales commemorationes omittit, obligari ad reſtitutionem pro rata fructuum reſpondentium ſingulis commemorationibus omiſſis.

QVÆSTIO XX.

An qui præſtimonium habet ad perſoluendas horas canonicas teneatur.

IOANNES Medina C. de oratione q. 7. Cordub. in quæſt. 187. in addit. ad tractatum de caſibus conſcientiæ. Palat. in 4. diſt. 15. diſp. 9. Gigas q. 28. de penſion. num. 5. Sylua tract. de benef. p. 1. qu. 3. nu. 10. & plerique alij negant. Quia cenſent præſtimonium non eſſe beneficium Eccleſiaſticum, ſed penſionem: eſt enim portio quædam à redditibus beneficiorum abſtracta, & deſignata in ſubſidium adoleſcentium, vt illorum opibus adiuti, ſtudio literarum vacent, & poſtea Eccleſiæ inſeruiant.

Ex qua ſententia colligitur huiuſmodi præſtimoniarios teneri ad dicendum officium Beatæ Virginis iuxta motum Pij V. quia præſtimonium ſi

non eſt propriè beneficium, ſaltem erit penſio, & maximè clericalis, quia nemini datur niſi vt clericus,& vt in clericatu proficiat.

At communis, ac veriſſima ſententia eſt, eum qui præſtimonium habet ad perſoluendas horas canonicas teneri. Et ratio eſt, quia præſtimonium eſt verè & propriè beneficium, cùm propter officium detur,& propria collatione,ac ſpirituali titulo conferatur,ergo talis præſtimoniarius ad ea omnia tenetur,ad quæ alij beneficiarij obligantur. Et eſt concluſio definita in cap. Quoniam. de conceſſione præbendar. in 6. vbi talia præſtimonia inter cætera Eccleſiaſtica beneficia annumerantur. Et in Concilio Lateranenſi ſub Pio V. in conſtitutione, quæ incipit, ex proximo, &c. vbi habetur præſtimoniarios ad horas canonicas perſoluendas teneri.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpondeo, quòd etſi huiuſmodi præſtimonia inſtituta ſint in ſubſidium adoleſcentium, vt eo modo commodè erudiri poſſint, ſed non ſine onere horas recitandi.

QVÆSTIO XXI.

An qui capellaniam habet, teneatur horas canonicas recitare.

AD cuius intelligentiam obſeruandum eſt primò, quòd duplex eſt capellania, vna collatiua, alia verò non collatiua. Capellania collatiua, ſeu ſacra, eſt illa, quæ authoritate Apoſtolica vel ordina-

ria erecta eſt, eo fine, vt iure ſpirituali, & immunitate Eccleſiæ gaudens, in ea eſſet ius percipiendi Eccleſiaſticos fructus ex bonis Eccleſiæ.

Capellania verò non collatiua, ſeu profana eſt illa quæ creata eſt, vel inſtituta per ſolum fundatorem, vel teſtatorem etiam laicum abſque Diœceſani, vel Papæ authoritate. Vt cùm quis relinquit bona ſua cum hoc onere, vt certa quædam penſio per modum cuiuſdam ſtipendij, & mercedis quotannis alicui clerico detur, vt tot Miſſas dicat. Addítque expreſsè, ſe nolle, vt in huiuſmodi bona ſe Epiſcopus ingerat; aut ſi nominet, & eligat certum clericum, ac deinde ſtatuit, vt ſui poſteri abſolutè per ſe ius, & authoritatem habeant ſine authoritate Eccleſiaſtica nominandi, & eligendi clericum ad capellaniam. Quo iacto fundamento;

Primò dico, quòd ſi capellania collatiua eſt, & ſacra, ideſt inſtituta authoritate ordinarij, tunc, etſi de iure patronatus ſit, verè beneficij Eccleſiaſtici rationem habet, ac proinde qui eam poſſidet, vtpote beneficiatus, iure debet per ſeipſum diuinum officium perſoluere, etiamſi Miſſas per alios dicat. Nauar. de orat. cap. 20. numero 17.

Secundò dico quòd ſi capellania collatiua non eſt, ſed profana, ideſt ſolùm inſtituta per teſtatorem ſine authoritate ordinarij, tunc non tenetur Capellanus horas canonicas perſoluere, ſed ſolùm ad explendum Miſſarum onus, quod ſubiit, cùm talis capellania non ſit beneficium Eccleſiaſticum. Ita Nauarrus vbi ſuprà, Cord. de caſibus conſc. quæſt. 33. Roder. part. 1. capit. 141. nu. 4. Suar. to. 2.

lib. 3. cap. 22. num. 12. & Azor. lib. 10. cap. 3. q 5.

Hoc tamen in loco eſt obſeruandum, quòd ſi ille qui habet capellaniam, ipſe ex ſuis bonis eam conſtruxit, ſicut potuit ſine onere reſtituendi eam ſucceſſoribus relinquere, ſi horas canonicas omiſerint, ita poteſt ſe immunem ab hac reſtitutione efficere, ſi illas non perſoluerit, cùm nulli faciat iniuriam. Immò nec ratione illius tenebitur recitare. Decretum enim Concilij intelligitur quando beneficium datur propter officium: quod eſt verum in ſucceſſoribus, non verò in ipſo qui capellaniam ex bonis ſuis inſtituit.

Dices, huiuſmodi capellaniæ ſacræ poſſunt aliquando pueris ante primam tonſuram conferri. ergo non ſunt beneficia, cùm beneficia conferri nequeant carentibus prima tonſura.

Reſpondeo, Capellanias, quæ ex voluntate fundatorum conferri poſſunt pueris ante primam tonſuram, pro tempore, quo ea carent, non eſſe beneficia Eccleſiaſtica, quamquam habens huiuſmodi capellaniam, Miſſas per alios exoluere, & debito tempore ad clericalem ſtatum aſcendere, diuinúmque officium, cùm ad illud habilis effectus fuerit, recitare tenetur. Ita Vaſq. de benef. cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 3. num. 11.

QVÆSTIO XXII.

An qui habet beneficium in commendam, teneatur horas canonicas recitare.

Respondeo, eum qui habet beneficium integrè commendatum quoad totam adminiſtrationem

ſtrationem temporalem,& ſpiritualem eius, teneri horas canonicas recitare, etiamſi commendatio illa non ſit erecta in titulum beneficij, neque in perpetuum conferatur. Et ratio eſt, quia quamuis hic non habeat titulum beneficij, nihilominus veram habet illius adminiſtrationem,& ſubſtituitur in locum habentis beneficium cum tota obligatione; ergo ad horas recitandas tenetur, ac ſi intitulatus eſſet, maximè cùm ipſe ratione huius adminiſtrationis legitimè fructus beneficij percipiat.

Dixi notanter, *integrè commendatum quoad totam adminiſtrationem*, quia ſi ſolùm quoad temporalem adminiſtrationem commendaretur,ideſt,quoad exteriora ſeruitia Eccleſiæ,tunc ex vi huius commendationis ad diuinum officium perſoluendum minimè teneretur, quia ſolùm publicum, & externum miniſterium eſt illi commendatum. Et ideo ita ſentiunt Nauarr. de oratione cap. 10. num. 16. Azor.lib.10.cap.3. quæſt.6.Suar. to.2.lib.3.cap.22. num.14.& 16. Cord.in ſum.quæſt.186.p.3. Arag.2. 2.q.83.ar.12.Vega 1.p.cap.128. caſu 13. & plerique alij.

Ex quo infertur,equites ſancti Ioannis qui Melitæ vocantur,aut etiam alios gaudentes commendis Eccleſiaſticis ad diuinum officium teneri, quia dicuntur habere beneficia Eccleſiaſtica,vt poſt Nauarrum,& alios tenet Molfeſius cap.2. num.20. & Garz.1.p.cap.4.num.6. Quod intelligitur, quando hæc retinentur titulo clericali, quia extant aliquæ commendæ, quæ titulo ſeculari conferuntur, nec onus recitandi diuinum officium inducunt.

QVÆSTIO XXIII.

An coadiutor beneficiati teneatur horas canonicas recitare, ſicut & principalis.

Et quidem ſi coadiutor eſt ordine ſacro inſignitus, vel aliud habet beneficium Eccleſiaſticum, certum eſt teneri ad diuinum officium perſoluendum.

QVÆSTIO XXIV.

Sed tota difficultas eſt, An coadiutor beneficiati ratione coadiutoriæ præciſè teneatur horas canonicas perſoluere.

Respondeo nõ teneri. Et ratio eſt, quia coadiutoria non eſt beneficium Eccleſiaſticum, ſed aliquid adiunctum beneficio. ergo coadiutor ex vi talis coadiutoriæ ad diuinum officium non tenetur. Conſequentia eſt per ſe nota. Antecedens verò probatur, nam vnum beneficium non poteſt ſimul eſſe in duobus, ſed principalis retinet integrum beneficium, ergo coadiutor ratione coadiutoriæ nullum beneficium habet, ergo ad recitandum diuinum officium non tenetur.

Tum quia obligatio recitandi ſemper reſidet apud proprietarium, ergo non afficit coadiutorem, alioquin duo ex vno beneficio obligarentur ad recitandum diuinum officium.

Et

Et confirmatur, nam principalis, & coadiutor non obligantur ad Miſſas, & alia onera duplicata, ſed vno ſatisfaciente, alter non tenetur, ergo ſi obligatio recitandi reſideat penes proprietarium, non tranſit ad coadiutorem.

Tandem eſt concluſio definita à ſanctiſſimo Domino noſtro Paulo V. in ſuo motu proprio 1606. vbi ad petitionem Eccleſiæ Cathedralis Conimbricenſis, inter alia declarat coadiutores canonicorum non eſſe verè canonicos, nec pro talibus habendos, viuentibus coadiutis, ergo coadiutores ex vi coadiutoriæ ad diuinum officium non tenentur. Et idem eſt dicendum de coadiutoribus aliorum beneficiariorum.

Ex quo colligitur primò, capellanum, qui conceditur alicui Parocho, vt vices, & abſentiam ſuam in ſacramentorum collatione, & in externa Eccleſiæ adminiſtratione ſuppleat, non teneri ex vi coadiutoriæ præcisè horas canonicas perſoluere.

Secundò ſequitur, eum qui priuilegium canonicatus obtinuit cum futura ſucceſſione, non teneri ad diuinum officium recitandum, vt patet tum ex rationibus allatis. Tum quia coadiutor canonici non eſt verè canonicus, nec pro tali habendus eſt viuente coadiuto, vt Paulus V. in ſuo motu proprio declarauit. Et licèt vulgò appelletur canonicus, tamen re ipſa non eſt canonicus, niſi in ſpe, propter ius quod habet ad ſuccedendum in canonicatu, & quia ſedem habet in choro, licèt non in loco proprietarij, ſed vltimo loco poſt proprios canonicos. Ita Suar. tom. 2. lib. 4. cap. 22. num. 19.

QVÆST.

QVÆSTIO XXV.

An coadiutor teneatur diuinum officium perſoluere, ſaltem eo tempore, quo onus Eccleſiæ ſuſtinet pro principali.

Medina C. de oratione quæſt. 7. abſolutè affirmat eum ad id teneri.

At verò alij, vt Nauar. de oratione cap. 20. n. 18. & Azor. lib. 10. c. 4. q. 1. negant, & meritò quidem, quia principalis licèt excuſetur à ſeruitio chori, & Eccleſiæ, ſeruiendo per coadiutorem, non tamen ab onere recitandi diuinum officium, quia hoc eſt onus perſonale ſequens beneficium, quod ipſe retinet integrum.

Tum quia coadiutor ſolùm tenetur ad ea, ad quæ deputatur, & aſſumitur, nimirum ad canendum in choro, vel ad miniſtrandum ſacramenta, aût alia ratione ſeruiendum Eccleſiæ, nunquam autem datur adiutor ad officium diuinum pro alio perſoluendum, quia titulum, & poſſeſſionem beneficij non habet, nec ſubrogatur in locum beneficiarij, vt eius vice diuinum officium perſoluat.

QVÆSTIO XXVI.

An coadiutor teneatur ſaltem recitare officium paruum Beatæ Virginis tanquam penſionarius iuxta motum Pij V.

Respondeo, ſi coadiutor recipit propriam penſionem ſuper beneficium principalis, proculdubio

culdubio tenetur ad officium paruum Beatæ Virginis tanquam penſionarius. Si verò ſolùm recipiat aliquos fructus beneficij per modum ſtipendij, non tenetur, quia non comprehenditur ſub motu Pij V.

QVÆSTIO XXVII.

An qui habet officium manuale, ſeu regulare, quod ad nutum eius qui confert, reuocari poteſt, ad horas canonicas teneatur.

RESPONDEO teneri. Et ratio eſt, quia ſiue illud ſit propriè beneficium ſiue non, beneficiarius talis recipit in ſe totam beneficij adminiſtrationem, ad quam vt dictum eſt, pertinet etiam onus recitandi horas canonicas.

Tum quia hoc beneficium aliquo modo perpetuum eſt, quia ad certum, & definitum temporis interuallum non datur, etiam ſi habeatur ad nutum, & voluntatem alterius, cùm poſſit eius permiſſu ad vitam haberi. Et ideo ita tenent Suar. tom.2.lib.3. cap.22.nu.14.& 16. Nauar. de oratione cap. 20.nu. 16. Azor. lib.10. cap.4.q.2. Macig. de horis can. cap. 10.nu.13. Vaſq. de benef. cap.4. art.1. dub.3. & Leſſ. lib.2.cap.34.dub.30.

QVÆSTIO XXVIII.

An penſionarius horas canonicas recitare teneatur.

Respondeo non teneri. Et ratio eſt, quia penſionarius propriè beneficiarius non eſt, nec penſio beneficium: Et Ecclesia nullum præter initiatū ordine ſacro, aut Religioſum profeſſum choro deputatum ad tale officium adſtringit, niſi beneficiatum. Nau. in Man. cap. 23. num. 111.

Obiicies, beneficium nihil aliud eſt, quàm ius percipiendi fructus ex Eccleſiæ patrimonio, ſed penſionarius, vt conſtat, ius habet percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ, ergo verè eſt beneficiarius.

Reſpondeo, in beneficio non ſolùm ius eſſe percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ, verùm etiam titulum, id eſt dignitatem Eccleſiaſticam, vt Archiepiſcopatum, Archipresbyteratum, Canonicatum, &c. At in penſione adeſt tantùm primum, & non ſecundum, quia ſolùm penſionarius retinet ius percipiendi fructus eccleſiaſticos, quod quidem ius dicitur penſio à pendendo, quia dependet à beneficio, vt vſusfructus à proprietate. Hæc autem penſio de iure communi non debet excedere tertiam partem fructuum, & ita ſeruat ſtylus Romanæ curiæ, vt rectè monet Petrus Rebuf. titul. de reſeruat. Vide Concil. Trident. ſeſſ. 24. in cap. Quoniam.

QVÆSTIO XXIX.

An penſionarius preces aliquas recitare teneatur.

Et quidem ante Pij V. conſtitutionem penſionarius nihil determinatè recitare tenebatur ex præce

præcepto, quia Eccleſia tunc minimè ei impoſuerat præceptum recitandi aliquid.

Dices, ergo iniuſtè dabatur. Reſpondeo negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia ex iuſta diſpenſatione Romani Pontificis poterat dari, vel in eleemoſynam, vel ad iuuandum adoleſcentes in ſtudiis literarum, vel ad alliciendos nobiles, & potentes ad id, vt Eccleſiæ faueant, vel denique in gratitudinem, pro eo quòd vel ipſi vel eorum anteceſſores aliquid in Eccleſiæ vtilitatem fecerunt, aut paſſi ſunt.

QVÆSTIO XXX.

Sed quod in dubium vertitur, eſt, An penſionarius iure nouo ad aliquid recitandum teneatur.

RESPONDEO eum, qui vt clericus penſionem obtinet, teneri ſub pœna peccati mortalis dicere officium paruum Beatæ Mariæ, & reſtituere fructus receptos pro rata, quoties omiſerit dicere: Id enim decernit Pius V. in quodam motu proprio ſuo, cuius initium eſt. *Ex proximo.* Et tradit latè Nauar. de oratione cap. 7. nu. 32. Quod debet teneri contra aliquos, qui tenuerunt contrarium non obſtãte hoc motu proprio dicentes, quòd non fuit ſolemniter promulgatum, non aduertentes, quod ſufficit affigi valuis Sancti Petri, aut in acie Campi Floræ ante Cancellariam Romæ, vt dicatur ſolemniter eſſe promulgatum.

Dicitur autem vt clericus penſionem obtinere,

quando prima tonſura in eo requiritur, vt ſit talis penſionis capax: quando verò non requiritur prima tonſura, tunc non habet penſionem vt clericus, ſed vt laicus, ac proinde ad recitandum Beatæ Virginis officium non tenetur. Hoc autem contingit, quando penſio datur viris ob inopiam eorum, vel ſenectutem, vel infirmitatem, vel eo quòd ſunt bene de Eccleſia meriti, vel ob ſpem meritorum erga Eccleſiam, vel ob laborem, & operam temporalem, nimirum ob tintinnabula pulſanda, ad aperiendas templi fores, ad horologij curam, vel ad alia huiuſmodi miniſteria & officia obeunda. Et ideo ita ſentiunt Nauar. de orat. cap. 7.num.25.Azor.lib.10.cap.4.q.3.Valent.2.2. diſ.6. q.2.p.10.Suar.tom.2.lib.3.cap.22.nu. 6.Reginald. lib.30.num.41.& Vaſq.de benef. cap.4.§.1.dub.4. numer.17.

Hinc non tenetur ad officium paruum Beatæ Virginis is, cui confertur penſio abſque præuia cõditione ſtatus clericalis, etiam ſi fortè detur perſonæ Regulari, vt militi Sancti Ioãnis: Immò etiamſi detur illi, vt Regulari, non dicitur dari vt clerico, vt dicitur in Bulla Pij V. Regularis enim propriè, & ſtrictè loquendo non eſt clericus: fieri tamen poteſt, vt alio titulo teneatur iuxta propria ſuæ Religionis ſtatuta. Suar.lib.4.c.22. numer.6. Bonacina diſp.1.q.2.p.4.nu.8.& plerique alij.

Illud tamen eſt obſeruandum, quòd hoc præceptum non debet ita limitari ad officium paruum Beatæ Virginis, quin penſionarius ſi velit, poſſit officium magnum recitare, per quod pleniùs ſatisfaciet ſuo muneri, quàm ſi officium paruum Beatæ Virginis perſolueret, quia intentio Pij V. in illo

præ

præcepto non fuit excludere officium magnum,ſed ſolummodo non imponere penſionariis tantum onus.Ita Garz.3.par.cap.5.nu.119.

QVÆSTIO XXXI.

An qui cum beneficio,penſionem habet,teneatur præter officium magnum, etiam preces Beatæ Virginis recitare.

RESPONDEO non teneri.Et ratio eſt,quia Pontificis intentio non fuit obligare hunc ad duo officia, ſed illorum clericorum abuſum corrigere, qui Eccleſiaſticos fructus vt clerici percipiebant, & diuinis laudibus, & obſecrationibus minimè vacabant.

Et confirmatur, nam ſi habentes plura beneficia,aut plures penſiones ſatisfaciunt recitãdo quotidie ſemel tantùm officium, multò magis ſatisfacient, qui cum beneficio habent penſionem. Ita Philiarch. lib.1.cap.8.Garz.p.3.de benef.cap.1.nu. 116.Nauar.extra de celebrat.Miſſar.lib.3.conſ. 18. & alij communiter.

Hinc, ſi penſionarius clericus efficiatur eques ordinis militaris cum indulto retinendi pẽſionem, non tenetur ad preces Beatæ Virginis, ſed ſufficit quod recitet orationes Dominicas, & Angelicas à Religione præſcriptas, quæ ſunt loco horarum.Ita Nauar.lib.3.conſ.tit. de celebrat. Miſſarum conſ. 18.& 22. Rodriq. in ſumm.1.part.cap.140.num. 5.Azor.li.10.cap.4.q.3.Vega 2.p.cap. 65.caſu primo,& multi alij.

QVÆSTIO XXXII.

An qui habet beneficium paruum, ad diuinum officium teneatur.

ET quidem ſi hic ſit ordine ſacro inſignitus, certum eſt, eum ad diuinum officium teneri.

QVÆSTIO XXXIII.

Sed dubium eſt de eo, qui caret ordine ſacro.

ET quidem ſi beneficium nullos omnino fructus habet, certum etiam eſt, beneficiatum ad diuinum officium non teneri. Quia ceſſat tunc ratio obligationis, cùm nullum ſtipendium ab Eccleſia recipiat.

QVÆSTIO XXXIV.

Quæſtio ergo tantùm eſt de beneficio quod reddit fructus, ſed tenues.

IN qua re etiam conuenit inter omnes, eum qui habet plura beneficia adeò tenuia, vt nullum per ſe ſufficiat, omnia verò ſimul iuncta reddunt competentes fructus, ad diuinum officium teneri. Et ratio eſt, quia hic habet ab Eccleſia ſtipendium ſufficiens titulo beneficiorum.

Tum

Tum quia licèt tenue beneficium per ſe ad officium diuinum non obliget, inchoat tamen obligationem, ergo ſi plura beneficia compleant ſufficiens ſtipendium, proculdubio ad illud obligabunt. Ita Paul. Squillas 1.p.dub. 2. num.8. Malder. de virtut.tract.10.cap.2.dubio 3.& Suar.tom.2.lib. 4.cap.21.ad finem.

Deinde valdè probabile eſt, eum qui habet beneficium obligans ad alia onera ſpiritualia præter diuinum officium, v.g.ſi ſit capellania, & illa obligetur capellanus dicere Miſſas aliquas per ſe, vel per alium, ſi ad tertiam, vel quartam partem ſuſtentàtionis non ſufficiat, non teneri officium diuinum recitare. Et ratio eſt, quia hic iuſtè reputare poteſt, tale beneficium non eſſe inſtitutum pro officio diuino, ſed tantùm pro Miſſis celebrandis, ac proinde ad illud non obligare. Ita Suar.to.2.lib. 4.cap. 21.num.3.& alij.

QVÆSTIO XXXV.

Totum igitur huius controuerſiæ diſſidium in eo conſiſtit, An qui habet beneficium perexiguum, ad diuinum officium teneatur.

IN hac graui, & perdifficili quæſtione duæ extant opiniones probabiles. Prima eſt Magiſtri Soti lib.10.q.5.ar.3. Roder.p.1.cap.140.nu.3. Veg. 1.par.cap.128. caſu 13. Petr. Ledeſm.2.par.tract.9. cap.4.concluſ.4. & aliorum, qui abſolutè negant

hunc ad diuinum officium teneri. Et probant primò ex illo 1.Cor.9. Qui altari ſeruit, ex eo viuere debet, ergo qui ex beneficij redditibus non viuit, iure non cogitur diuinum officium perſoluere.

Secundò probant, quia in iure patum pro nihilo reputatur, ſed qui nullum habet beneficium, ad horas canonicas non tenetur, ergo neque tenetur qui perexiguum beneficium habet. Hanc Soti opinionem Arag 2 2.quæſt.83. artic. 12. & Nauar. infrà citandus exiſtimant eſſe probabilem.

QVÆSTIO XXXVI.

Sed quæret aliquis hoc loco, Quid ſit dicendum beneficium tenue, quoad hunc effectum non obligandi ad diuinum officium.

NONNVLLI Magiſtri Soti opinionem interpretantur de quolibet beneficio, quod ad vitam clerici ſuſtentandam non ſufficit.

Sed hæc interpretatio falſa eſt, nec tale quid ſomniauit Sotus, aliàs beneficiarius, cuius beneficium redderet fructus triginta aureorum, liber eſſet ab hoc onere recitandi, nam triginta aurei regulariter non ſufficiunt ad commoda clericorum alimenta.

Tum quia onus recitandi diuinum officium non eſt adeò graue, neque tam magnam diei partem occupat, vt ſit dignum integra ſuſtentatione perſonæ, immò nec pro maiori parte eius.

Petrus

Petrus Aragona 2.2. quæſt. 83. artic. 11. dicit id relinquendum eſſe iudicio prudentis viri, qui ſententiam proferet habita ratione temporis, loci, perſonæ, & aliarum circunſtantiarum: videtur tamen requirere, vt obliget, quod adiuuet bonæ parti ſuſtentationis clerici. Bona autem pars eſt tertia, vel quarta ſaltem. Quare habens triginta aureos ex beneficio, tantùm erit obligatus, non autem infrà.

At verò Magiſter Sotus reſtringit ſuam ſententiam ad beneficium tantùm, quod eſt adeò tenue, vt beneficij nomen vix mereri poſſit, vt ſi ſummam octo, vel decem aureorum non reddat. Quia quando fructus ſunt tam tenues, vt non pertingant ad prædictas ſummas, moraliter cenſentur nulli, nec poſſunt prudenter iudicari ſtipendium iuſtum.

Secunda verò opinio quam ſequor, ſimpliciter affirmat hunc ad diuinum officium teneri. Et ratio eſt, quia beneficium perexiguum quo ad ſubſtantiam eſt verè, & propriè beneficium, & vt tale in iure reputatur, vt conſtat ex cap. is, cui. de præbend. in 6. ergo qui illud habet, ad officium diuinum tenetur. Probo conſequentiam, nam beneficium eccleſiaſticum vt dicitur in cap. vlt. de reſcriptis in 6. propter officium confertur, quòd non ſolùm intelligitur de beneficio pingui, ſed etiam de tenui, quia indiſtinctè loquitur, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Vnde Gloſſa in eo cap. probat officium eſſe veluti comitem beneficij. Ex quo infert, quòd priuatus officio, eò ipſo priuatus beneficio cenſetur. Cùm ergo in Concil. Lateran. ſub Leone x. declaratum ſit, officium propter quod datur beneficium, præcipuè

Z 5 eſſe

eſſe officium horarum canonicarum, planè concluditur, etiam beneficium tenue dari propter officium, ac ſubinde qui tale beneficium teneret, ad illud recitandum obligatur.

Tum quia qui vnum pingue beneficium, aut plura beneficia iuſtè retinet, non tenetur ad plura officia recitanda, ergo ſignum eſt euidens, exiguitatem, vel pinguedinem beneficij impertinentem eſſe ad obligationem recitationis diuini officij, ergo qui perexiguum beneficium habet, ab onere recitandi non liberatur.

Tum quia qui beneficium habet, quamuis tenue, & exiguũ, cæteris beneficiariorum priuilegiis gaudet & ſubiacet pœnis contra beneficiarios impoſitis, ergo etiam afficitur onere diuini officij.

Et confirmatur, nam omnis clericus etiam primæ tonſuræ tantùm, habens beneficium eccleſiaſticum, quantumuis exiguum, gaudet priuilegio fori, etiam quoad crimina, quo priuilegio, quoad crimina, non gaudet etiam inſignitus quatuor minoribus, ſi beneficio careat, vel alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi non inſeruit, aut in aliquo ſeminario de eiuſdem Epiſcopi mandato non exiſtit. Quod eſt magni momenti, & facit, vt non debeat pro nihilo reputari. Vide Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 6.

Tum quia ratio, ob quam beneficiarius tenetur diuinum officium recitare, non eſt præcisè, quia integrè ſuſtentatur fructibus beneficij, ſed quia beneficium habet aliquos reddens fructus, qui dantur propter officium.

Tum quia ſufficit vt ſeruiens altari, percipiat ſuſtentationem congruam pro tempore, quo illi inſeruiat, cùm autem beneficiarius non inſeruiat toto

die altari,nec totum diem in recitatione diuini officij inſumat, non poteſt ſuſtentationem pro toto die ex recitatione diuini officij prætendere.

Tum quia,ſicut qui duxit vxorem inopem,ſemper & vbique alere eam tenetur, ita beneficiarius qui eſt ſponſus Eccleſiæ, Deo ſemper hoc ſacrificium laudis offerre tenetur, licèt pauper ſit. Et ſicut miles qui ſpontè cum paruo ſtipendio militiam acceptauit,militare tenetur,quamuis non ita commodè ex militia viuat.

Tum etiam,qui ex ſuo beneficio ob grandinem, vel inundationes aquarum paucos fructus recipit ad diuinum officium perſoluendum tenetur, ergo qui perexiguum beneficium habet, vt non ſufficiat ad vitæ ſuſtentationem, ad recitandum diuinum officium tenetur.

Tum quia ipſemet Sotus dicit,quòd ad hoc vt beneficiũ ad diuinum officium non obliget,debet eſſe adeò exiguũ, vt pro nihilo reputetur, quale tamen nullũ eſt,quia ſaltem habens beneficium etiã paruũ, licitè poteſt ſine alio patrimonio ad ordines ſacros promouere. cap.Epiſcopi.& c.tuis. de præbend. ad quos tamen non poteſt ſine beneficio,vel patrimonio ſufficienti admitti;quod eſt magni momenti.

Dices, omne beneficium dari propter officium, tamen ſeruata iuſtitiæ æqualitate, quæ poſtulat, vt non exigatur magnum officium, cui datur paruum beneficium,& ideò videtur ſufficere,ſi ad ſummum paruum Beatæ Virginis officium dicat.

Reſpondeo, vbi voluntarium pactum intercedit, non eſt iniuſtitia, quia ſcienti, & volenti non fit iniuria. Sed in hoc caſu inter Clericum, & Eccleſiam tacitum pactum intercedit, nam lex ab Eccle

Eccleſia declarata eſt,ſe nolle conferre alicui beneficium, niſi ea conditione, vt ad officium magnum teneatur, qui autem ſua ſponte beneficium recipit, conditionem etiam acceptat, ergo obligatus manet, & nulla ei fit iniuria, ſibi enim imputet, ſi tantum onus cum tam paruo ſtipendio acceptauit.

Tandem videtur concluſio definita in cap. Clericus victum diſt. 91. vbi ſtatuitur, vt clericus quem ſui ſacrificij fructus alere non poſſunt, manibus operando victum quærat, dummodo officio ſuo ſatisfaciat. Et ſi id ſibi difficile fiat, imputet ſibi, qui beneficium tale acceptauit, aut beneficiũ dimittat.

Ex quo loco clarè colligitur teneri clericum horas canonicas perſoluere etiamſi non poſſit ex beneficio victum & veſtitum habere, quod beneficium neceſſe eſt, eſſe valde tenue. Et ideò ita ſentiunt Sylueſt. verb. hora. §. 3. Roſell. num. 1. Tab. n. 1. Armil. ibidem Nauar. de orat. c. 7. n. 27. & cap. 11. n. 11. vbi dicit eſſe communem. Couar. lib. 3. var. c. 13. numer. 8. Valent. 2.2. diſp. 6. q. 2. p. 10. Suar. tom. 2. libr. 4. cap. 21. numer. 3. & 9. Tolet. lib. 2. cap. 14. numer. 4. Azor. lib. 10. cap. 3. quæſt. 3. Reginald. lib. 30. cap. 4. numer. 34. Medin. q. 7. de oratione, & alij communiter.

Et ad argumenta adducta pro contraria opinione patet ſolutio ex dictis.

QVÆSTIO XXXVII.

An ſolus titulus beneficij ſine actuali poſſeſſione obliget ad recitandum.

Et

ET quidem ſi is nondum habet ius in re acquiſitum in beneficio, non tenetur recitare. Ratio eſt,quia ius canonicum ſolùm obligat ad recitandum beneficiarios, ſeu habentes beneficium, qualis non eſt, qui non habet ius in re in beneficio,etiamſi habeat ius ad illud. Vnde præſentatus, vel nominatus, vel electus, ſed nondum confirmatus, non tenetur ratione illius recitare: ſicut nec tenetur ad illud is cui collatio beneficij facta eſt, ante collationem acceptatam, vt rectè monet Nauar.de oratione cap.7.nu.29.

QVÆSTIO XXXVIII.

Sed quod in dubium vertitur eſt, An beneficiarius diuinum officium perſoluere teneatur ſtatim, ac collationem acceptauit, etiam ante illius poſſeſſionem.

IN qua re etiam eſt certum, eum qui ſolum habet titulum beneficij ſine ſpe obtinendi poſſeſſionem, non obligari ad recitandum diuinum officium. Et ratio eſt: quia hic potius nomine, quàm re habet beneficium; & non comprehenditur ſub lege obligante habentem beneficium, quæ cum ſit oneroſa,reſtringenda potius eſt,quàm extendenda.

QVÆSTIO XXXIX.

Totum igitur controuerſiæ diſſidium eſt, quando cum titulo adeſt ſpes certa moraliter obtinendi poſſeſſionem.

SApientissimvs Nauar.de oratione cap.7.n.28.& 29.Garz.de benef.3.p.cap.1.n.92. & Carol.Macig.de horis Canon.cap.10.n.25. putant eũ qui habet titulum beneficij teneri ad diuinum officium recitandum, quamuis nondum pacificè inceperit poſſidere, modò ſperet ſe adepturum fructus beneficij.Quia per ſolam collationem acceptam,acquiritur ius in beneficio, & fit beneficium eius,cui collatum eſt.

Tum quia ab eo tempore etiam antequam apprehendat poſſeſſionem,debentur clerico beneficij fructus, & cum poſſeſſionem capit, beneficiarius percipit fructus non ſolùm præſentes, ſed etiam præteritos à die collati ſibi beneficij.

Sed vera,atque tenenda ſententia eſt eorum, qui aſſerunt non niſi à die poſſeſſionis apprehenſæ beneficiatum teneri ad recitãdum diuinum officium. Et ratio eſt, quia beneficium vt ſit ius efficax, cum titulo requirit pacificam eius poſſeſſionem.

Tum quia in iure non cenſetur quis habere beneficium, niſi perfectè illud habeat: non habet autem perfectè, niſi habeat eius pacificam poſſeſſionem.

Tum

Tum quia ſicut ante captam poſſeſſionem non poteſt iura beneficij exercere, ita neque tenetur ipſius onera ſuſtinere.

Tum quia in Bulla Pij V. dicitur, *Poſt beneficij conſequutionem*, ille autem propriè dicitur beneficium conſequutus, qui pacificam illius poſſeſsionem adeptus eſt cum titulo.

Tum quia licèt quis habeat quaſi dominium radicale, ſeu proprietatis beneficij à die collationis, nondum tamen habet dominium vtile, ac proinde non tenebitur ſtatim recitare horas Canonicas, donec vtilitatem ex illo capiat. Neque ſatis eſt, quòd poſtea ſit percepturus fructus illius temporis. Tum quia hoc non eſt vniuerſale, vt patet in nonnullis canonicatibus & præbendis.

Tum quia ſpes illa eſt ſemper incerta, ſæpe enim contingit, vt quis beneficium impetret, & deinde cum vult per ſe, vel per alium poſſeſſionem obtinere, videt ſe nihil impetraſſe, aut quia beneficium non vacabat, aut quia alius priùs impetrauerat, vel alius intruſus eſt colorato titulo, aut multis aliis de cauſis, ergo par non eſt, vt ad onus certum obligetur.

Hoc autem intelligitur, dummodo per beneficiarium non ſtet, quominus poſſeſſionem beneficij conſequatur, quia ſi ſua culpa in poſſeſſionem non admittitur, non debet fraus, vel negligentia illi prodeſſe, nec debet Eccleſia priuari officio ſuo ob culpam beneficiarij. At verò ſi moralem diligentiam adhibeat, rationabiliter excuſatur ab onere recitandi, donec poſſeſſionem accipiat.

Quod ſi poſt poſſeſſionem inueniat aliquos fructus

ctus, qui correſpondent priori tempori, ex quo titulum accepit, id eſt per accidens, nam ſæpe etiam contingit, vt nulli ſint, & interdum ſucceſſori reſeruantur omnes fructus non ſolùm à tempore accepti tituli, ſed etiam à tempore vacationis beneficij.

Hinc, qui habet titulum beneficij, ſed poſſeſſionem accipere impeditur per litem, non tenetur pro eo tempore ad recitandum diuinum officium ratione ſolius tituli. Ratio eſt, quia vt diximus, caret poſſeſſione, & per eum non ſtat, quominus poſſeſſionem acquirat. Et licèt ſi vincat, illi debeantur fructus poſt litis conteſtationem, tamen cùm ſit dubium, non eſt cur in dubio obligetur, cùm in iure cautum non ſit.

Nec obſtat quòd Eccleſia fruſtraretur interim recitatione diuini officij, & quòd clericus qui impeditur, victurus ſit cauſam, & fructus beneficij recepturus. Quia hoc, vt diximus, eſt per accidens, cùm ante captam poſſeſſionem impediri poſſit.

Tum quia tempore vacationis beneficij non perſoluitur officium, quamuis ſucceſſor recepturus ſit fructus tempore vacationis beneficij reſpondentes, ergo neque perſoluitur ex obligatione., antequam beneficij poſſeſſio capta fuerit. Et ideò ità tenent Caietan. in ſum. verbo horę canon. circa principium. Nauar. lib. 3. conſ. tit. de celebrat. Miſſarum conſ. 14. Henriq. lib. 13. cap. 13. §. 1. Rodriq. 1. p. cap. 141. num. 4. Azor. lib. 10. cap. 4. q. 7. Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 30. num. 167. Vega 1. par. cap. 128. caſu 18. Petr. Ledeſm. 2. par. ſum. tract. 9. cap. 46. concluſ. 9. Suar. tom. 2. lib. 4. cap. 19. num. 7. Reginal. lib. 30. n.

38

38. Vaſq. in opuſc.de benef. cap.4.§.1.ar.1. dub.6. qui omnes aiunt nullum beneficiatum teneri recitare horas canonicas ratione beneficij,ſi non habet iam pacificam poſſeſſionem ipſius. Hanc quoque ſententiam ſequuntur Flaminius Pariſ. lib.1. de reſignat. benef. vbi ait id eſſe vſu receptum in curia Romana.& Menoch. de arbitr.lib.2. caſu 429. numer.24.vbi ſic ait. Cauſam excuſantem à recitatione horarum eſſe,quando clericus adhuc reipſa non poſſidet beneficium,etiamſi binas obtinuit ſententias,vt reſpondet Nauar.conſ.14. non enim dicitur adhuc obtinere beneficium, pro quo tenetur dicere officium, nec percipit fructus, qui dantur loco mercedis,operæ,& laboris.

Hinc ſequitur primò, coadiutorem cum futura ſucceſſione non teneri horas canonicas recitare,viuente coadiuto. Quia non dicitur habere proprietatem,& poſſeſſionem beneficij, ſed illam obtinere debet mortuo coadiuto.

Secundò ſequitur, eum qui penſionis titulum obtinuit,ſed penſionem non percipit, nec in futurum percepturus eſt, non teneri officium paruum Beatæ Virginis recitare. Ratio eſt, quia ſicut ſolus titulus beneficij ſine actuali poſſeſſione non obligat ad recitandum, ita nec ſolus penſionis titulus ante illius poſſeſſionem.

Tum quia inutilis, & vana videtur hæc penſio: ergo par non eſt, vt onus recitandi diuinum officium inducat.

Tum etiam,quia in Conſtit.Pij V.idem decernitur in penſionario,quod in beneficiario,ſed beneficiarius ante beneficij poſſeſſionem non tenetur diuinum officium perſoluere,ergo nec penſionarius.

Tertiò ſequitur à fortiori, eum qui penſionem obtinuit, ſed nondum literarum expeditionem, quibus penſionem exigere valet, recuperare potuit, non teneri ad officij parui recitationem, quia nondum videtur eſſe in poſſeſſione, modò per ipſum penſionarium non ſtet, quominus literarum expeditionem conſequatur.

Quartò, & vltimò ſequitur, eum qui poſt ſibi collatum beneficium diuinum officium prætermittit, non teneri ad reſtitutionem fructuum, niſi elapſi fuerint ſex menſes poſt eius poſſeſſionem. Ratio eſt, quia Pius V. in ſua Bulla obligat ad reſtitutionem fructuum ſolùm elapſis ſex menſibus, in quibus beneficiarius tenebatur diuinum officium recitare: tenebatur autem ad illud cum eo onere, poſt beneficij poſſeſſionem, ergo. Ita Suar. tom. 2. cap. 29. num. 13.

QVÆSTIO XL.

An qui de certo aliquo beneficio litigant, ad penſum horarum canonicarum teneantur.

AD hoc dico primò, quòd qui cum titulo beneficij habet illius poſſeſſionem, tenetur horas canonicas recitare. Et ratio eſt, quia hic ratione poſſeſſionis, ius habet acquiſitum in beneficio. Ita Garz. 3. p. cap. 1. nu. 86. & 104. Leſſ. lib. 2. de iuſt. c. 34. dub. 31. n. 173. Suar. tom. 2. lib. 4. cap. 19. nu. 10. Reginal. lib. 30. n. 38. & Azor. lib. 10. cap. 4. q. 9. qui dicit eſſe communem.

Secundò

Secundò dico, quòd ſi vnus poſſidet beneficium, & eſt lis ſuper proprietate, ita quòd poſſeſſor non recipit fructus, quia ſunt authoritate Iudicis ſequeſtrati durāte lite, ſperat tamen probabiliter ſe habiturum victoriam, tenetur diuinum officium recitare. Et ratio eſt, quia fructus debentur ipſi, & lata ſententia à die conteſtatæ litis recuperabit. Ita Nauarrus de oratione capit. 7. numero 28. & in Man. capit. 25. numero 103. Arag. 2. 2. quæſt. 83. ar. 12. Vega cap. 128. caſu 13. Tolet. lib. 2. cap. 14. & alij.

QVÆSTIO XLI.

Sed quid, ſi neuter litigantium adhuc poſſeſſionem beneficij habeat, & vterque dubius ſit de iure, & de cauſa litis.

RESPONDEO, in hoc caſu neutrum ad id teneri. Et ratio eſt, quia neuter habet, nec poſſidet beneficium. Ita Paludan. in 4. diſtinct. 15. & Turrecr. diſt. 91. cap. 1.

QVÆSTIO XLII.

Sed quid, ſi cauſa licèt ſit dubia, nihilominus vnus litigantium probabiliter credit, & ſperat ſe victorem futurum in lite, & fructus percepturum.

Svnt, qui affirmant. Sic Petr. Ledeſm.tract.9. cap.4.concluſione 13.

Sed cæteri communi conſenſu negant eum ad id teneri. Et ratio eſt, quia ius in beneficio non habet, nec ſpes quam habet de ſua victoria, ius illi dat in beneficio, aut cogit eum horas canonicas recitare. Hoc autem intelligitur, modò vterque bona fide litiget, & iuſtè impediat alterius poſſeſſionem: nam ſi vnus iniuſtè litiget, & alterum impediat, tenetur ad diuinum officium, quia iniuſtè priuat Eccleſiam debito obſequio, ac miniſterio. Sic Suar.tom.2.lib.4.cap.19.Bonac.diſput.1. q.2.p.4.n.26.

QVÆSTIO XLIII.

Sed quid, ſi aliquis habeat titulum, & ſperet ſe in lite futurum eſſe victorem, ſéque fructus percepturum.

Respondeo non teneri. Et ratio eſt, quia hic nullum ius certum habet in beneficio, cùm ius acquiratur per poſſeſſionem pacificam, & ſola ſpes non tribuit ius, multíſque modis fieri poſſit, vt recitans penſum horarum, non vincat litem. Vnde huiuſmodi beneficium in tali caſu habendum eſt, quaſi vacans. Ita Suarez lib. 4. cap.19. Reginal. lib.30. num. 40. Et Filiuc.capit.5. q.7.nu.160.

QVÆSTIO XLIV.

An beneficiarius qui nullos fructus ſui beneficij percipit, nec in poſterum recepturus eſt, ad recitationem horarum canonicarum teneatur.

PALVD. in 4.diſt.15.q.5.Sylueſt. verb. hora q. 2. & Med. C.de oratione qu.9. affirmant hunc ad perſoluendum diuinum officium teneri. Et probant,quia qui titulum,& poſſeſſionem beneficij recipit,verè,ac ſimpliciter eſt beneficiarius, quia fructus, vel ſpes eorum non pertinet ad ſubſtantiam beneficij.

Tum quia hic ſedem habet in choro, & ſuffragium in capitulo, & certum honoris gradum in Eccleſia, multíſque denique aliis priuilegiis clericorum gaudet, ergo hic tenetur ad retinendum diuinum officium, quia ius aliam conditionem non requirit,& vbi ius non diſtinguit, nos diſtinguere nos debemus.

At verò illuſtriſſimus Caiet.verb.horæ canonicæ, §.1.Sotus l.10.q.5.ar.3.& Armilla verb.hora. nu.1. negant, putant enim titulum, & beneficium non ſufficere ad obligationem recitandi pro eo tempore,pro quo aliquis nullos accipit fructus,neque per ſe, neque per alios,& per ipſum non ſtat,quominus recipiuntur,nec ſperat illos in futurum recuperare ratione fortè belli,vel alia cauſa.Ducuntúrque,quia moraliter loquendo hic perinde ſe habet pro eo

tempore, ac ſi non haberet beneficium, cùm ſtipendio illius non fruatur. Vnde cùm dicitur, beneficium dari propter officium, intelligitur de beneficio fructuoſo, quia fructus ſunt veluti ſtipendium propter officium. Pro quo

Dico primò, quòd qui ex beneficio nihil aliud, quàm diſtributiones quotidianas percipit, ab onere recitandi horas canonicas non eximitur. Et ratio eſt, quia de tali verè dici nequeat, quod nullum fructum beneficij percipiat. Ita Nauar. de oratione cap.7.n.18. Cord. in ſum. caſuum conſc. caſu 186. Rodriq.p.1.cap.141.n.4.& communis.

Secundò dico, quod qui titulum, & poſſeſſionem beneficij poſſidet, tenetur ſtatim diuinum officium perſoluere, quamuis fructus beneficij non ſtatim percipiat, ſi habet ſpem moraliter certam obtinendi illos. Ratio eſt, quia ille tenetur ad recitandum, qui habet beneficium, ſed hic iam perfectè, & complerè habet quando quidem & eſt dominus, & poſſidet, ergo tenetur ad recitandum, cùm iura obligent habentem beneficium.

Tum quia licèt beneficiarius non recipiat modò fructus beneficij, ſperat tamen probabiliter illos recuperare ratione præſentis officij.

Tum quia qui hoc modo beneficium poſſidet, ſimpliciter fructibus beneficij non caret, cùm ſpes illa pretio æſtimabilis ſit.

Tum etiam, quia talis habet adminiſtrationem beneficij, & tenetur ad alia onera, ergo etiam ad præcipuam quod eſt officium diuinum.

Hinc, qui iniuſtè ob bellum, vel alia iniuſta cauſa priuatur fructibus, non excuſatur ab onere recitandi, quando ſpem habet aliquando illos recupera

cuperaturum, vel quia quod differtur non aufertur, vel quia illa ſpes pretio æſtimabilis eſt, vel certè, quia ad hanc obligationem non eſt neceſſaria anticipata perceptio fructuum, ſed ſufficit quod illorum expectatio ſit moraliter certa, & ideo non debet Eccleſia priuari ſuo ſeruitio in caſu dubij de futuro euentu fructuum, quia in tali dubio melior eſt conditio ipſius beneficij, ſeu Eccleſiæ.

Tertiò dico, quòd qui per potentiam, coactionem, vel iniuſtitiam non recipiat fructus, ſine vlla ſpe illos recuperandi in perpetuum, non tenetur horas canonicas recitare. Ratio eſt, quia tunc ceſſat cauſa talis obligationis, cùm nullum ſtipendium pro illo tempore ab Eccleſia recipiat, nec in poſterum recepturus ſit. Quod non ſolùm procedit in beneficio, quod nunquam habuit redditus, quod reuera beneficium dici non poteſt, ſed eſt beneficium fictum, & de vento, & ſic non poteſt permutari, ſeu reſignari, vt rectè monet Nauarr. conſ. 8. num. 14. & 18. de iure patronatus. Sed etiam in beneficio, quod in initio, & tempore fundationis habuit redditus, ſed temporum calamitate perierunt: nam quamuis iſtud ſit beneficium in potentia, & habitu, & ſic poſſit permutari, & reſignari, tamen non eſt beneficium actu vt rectè docet Valent. 2.2. diſp. 6. q. 16. puncto 3.

Quartò dico quod qui ob iniuſtam alterius actionem ad tempus priuatur fructibus, non excuſatur ab onere recitandi diuinum officium. Et ratio eſt, quia ſi per furtum omnes fructus raperentur, non eſſet beneficiarius ob id excuſandus ab adminiſtratione beneficij, ergo neque ab onere recitandi.

Tum quia ſi caſu fortuito, vel ſterilitate temporum, aliquo, vel aliquibus annis non reciperet fructus, adhuc ad diuinum officium teneretur, quia ſi contingeret vberiores, vel duplo maiores eſſe fructus vnius anni, non propterea maius onus ſuſciperet, ergo à pari etiam tenebitur, quando ad tempus tantum priuatur fructibus ſine vlla ſpe recuperandi illos, & alioqui interim gaudet honore, priuilegiis, & aliis commodis. Ita Suar. tom. 2. lib.4.cap.20.nu.6. Azor.lib.10.cap.4.q.6. Garz. 3. p.cap.1. num.45.Flam.Pariſ.lib.1.q.9.num.3.& alij communiter.

Quintò dico, quòd qui cum titulo beneficij habet illius poſſeſſionem, nō eximitur ab obligatione recitandi, ex eo quòd non ipſe, ſed alius nomine ipſius accipiat fructus. Ratio eſt, quia quamuis ipſe per ſe fructus non percipiat, per alium tamen, vt puta per parentes, & amicos ex eius voluntate percipit. Regula. Qui per alium, &c. lib.6.

Hinc adoleſcentes qui habent titulum, & poſſeſſionem beneficij, in quorum nomine parentes, vel auunculi capiunt fructus, tenentur non minus ad canonicas horas recitandas, quàm ſi ipſimet fructus caperent, & ſi defectu ætatis ſunt inhabiles ad dicendum officium, tenentur illud eo modo perſoluere, quo tenentur ſeruire per ſubſtitutum.

Ex quo colligitur, Patrem qui percipit fructus beneficij ipſius filij teneri illos filio petenti reſtituere. Et ratio eſt, quia clericus dicitur habere peculium quaſi caſtrenſe, & poteſt de illo diſponere, vt omnes teſtantur, & ideo pater non habet in dicto peculio vſumfructum, ac proinde tenetur illos fructus reſtituere, ſi filius eos ſibi reſtitui petierit:

Verùm

Verùm pater poteſt alimenta ab eo præſtita in fructibus beneficij compenſare. Quia quando filius habet aliunde victum, non tenetur pater illi alimenta præſtare.

Sextò dico, quòd qui beneficium, & adminiſtrationem eius acceptat, cum onere ſoluendi alteri omnes fructus in penſionem, non liberatur ab obligatione recitandi ratione talis beneficij. Ratio eſt, quia qui ſic recipit beneficium, voluntariè, & quaſi ex pacto obligatur ad illius beneficij adminiſtrationem, & cedit iuri ſuo, quo ad fructus in fauorem alterius, ergo tenetur adminiſtrare beneficium, ergo & recitare, nam hæc eſt vna ex potiſſimis partibus illius adminiſtrationis. Patet conſequentia. Quia volenti, & conſentienti non fit iniuria, & quiſque tenetur implere, quod promiſit.

Septimò dico, quòd qui ſolum habet titulum beneficij, alter verò ſibi reſeruat omnes fructus pro penſione, ſimul cum toto ſeruitio, & adminiſtratione beneficij, non tenetur diuinum officium recitare. Ratio eſt, quia obligatio recitandi in hoc caſu manet apud penſionarium, qui commodum ſentit, ergo non eſt, cur transferatur in beneficiatum.

Tum quia is cùm nihil poſſit ex beneficio percipere, neque poſſit deſeruire, etiam ſi velit, nolente penſionario, nulla ratio expoſcit, vt eum ad perſoluendas horas obligemus.

Octauò, & vltimò dico, quòd non excuſatur ab onere recitandi is, qui in penſionem omnium fructuum conſenſit ei, qui in ſuum fauorem beneficium reſignauit. Et ratio eſt, quia hic verè benefi-

ciarius eſt, & poſſeſſionem beneficij habet, & per eum ſtat, quominus habeat aliquotam partem fructuum, quia poteſt inſeruire beneficio, & ad mercedem ſui ſeruitij cogere eum, cui omnes fructus ſunt reſeruati, nam illi ſoli fructus, qui deductis oneribus ſuperſunt, reſeruati cenſentur.

Tum quia qui ſic recipit beneficium, ſua ſponte, & quaſi ex pacto obligatur ad illius beneficij adminiſtrationem, ergo etiam tenetur ad diuinum officium perſoluendum, quia hæc eſt vna ex potiſſimis partibus illius adminiſtrationis. Ita Nauar. in Man. cap. 25. num. 104. & de oratione cap. 7. num. 30. Suar. lib. 4. cap. 20. nu. 2. Vaſq. de benef. cap. 4. art. 1. dub. 3. Tolet. lib. 2. cap. 14. num. 8. & alij communiter.

QVÆSTIO XLV.

An qui beneficium impetrat à Romano Pontifice, cuius iuſſu, & authoritate omnes beneficij fructus alteri reſeruantur, teneatur diuinum officium perſoluere.

PALVD. in 4. diſt. 15. q. 5. ar. 5. Sotus lib. 10. de iuſt. q. 5. art. 3. & plerique alij negant, ea ducti ratione, quia qui non percipit commodum, nec debet onus ſuſtinere, vt habetur in Reg. iuris in 6. & in cap. Cùm ſecundùm Apoſt. de præben.

Tum quia per huiuſmodi beneficiarium non ſtat,

ſtat, quominus ex tali beneficio fructus ſibi percipiat, quoniam eum Romanus Pontifex beneficij fructibus priuat, cùm eos alteri applicat.

Medina C. de oratione q. 7. exiſtimat hunc ad diuinum officium perſoluendum teneri. Et probat, quia hic beneficiarius propria voluntate beneficium accepit, & acceptam ratámque habuit reſeruationem fructuum Romani Pontificis authoritate factam; ſibi igitur imputet, quòd ſolum beneficij titulum habeat, nam perinde eſt, ac ſi ſponte ſua beneficij fructus ipſe in alterũ tranſtuliſſet: nec Papa ſic conferens beneficium, intendit auferre illi hoc onus, neque ipſe poteſt ſua ſe voluntate liberare, cùm ſit intrinſecum ipſi beneficio.

Arag. 2. 2. q. 83. art. 12. Ledeſm. in 4. p. 2. q. 16. ar. 4. dub. 5. Cord. in ſum. q. 186. p. 2. Tolet. lib. 2. cap. 14. & plerique alij diſtinguunt. Nam vel hic beneficiarius non voluntate ſua, ſed iuſſu Pontificis beneficium acceptare cogitur, aut ſecus. Si primum, non tenetur horas canonicas perſoluere, quia tunc nec per ſe, nec per alium recipit fructus, nec per illum ſtat, quominus eos recipiat, ſed per Pontificem, qui beneficium illo modo contulit. Si ſecundum, tunc talis beneficiarius tenetur diuinum officium recitare, eo quòd voluntate ſua in beneficij impetrationem, & adeptionem conſenſit.

Sed hæc diſtinctio non placet, nimirum, vt hoc procedat, quando acceptatio talis beneficij cum illa fructuum reſeruatione eſt voluntaria, non verò quando eſt à Papa iniuncta ex obedientia. Quia etiam tunc tenetur beneficiarius ad recitandum, quia nunquam ita obligatur ad fructus alteri tradendos, quin ſaltem quotidianas diſtributiones, vel aliquid

aliquid in ſuſtétationem recipere poſſit, & debeat, ſi interueniat, quod ſatis eſt, vt ad recitandum teneatur. Nam ſi ſeruire noluerit, & ideo nihil acceperit, iam non ex neceſſitate, ſed ex voluntate caret ſtipendio, ideóque tenetur nihilominus recitare, cùm beneficium poſſideat. Nec admitto caſum, in quo Pontifex præcipiat acceptare beneficium, cum adminiſtratione, & ſeruitio eius abſque vllo ſubſidio temporali, & abſque voluntario conſenſu recipientis, nam tale præceptum eſſet iniuſtum, niſi aliunde Pontifex de ſtipendio conuenienti illi prouideret, & tunc clarum eſt mentem Pontificis eſſe obligare illum ad totam adminiſtrationem beneficij, ſub qua etiam recitatio horarum canonicarum comprehenditur.

QVÆSTIO XLVI.

An nouus Canonicus diuinum officium recitare teneatur primo, vel ſecundo anno, in quo ex ſtatuto, vel conſuetudine, aut priuilegio Eccleſiæ, nullos prorſus ex beneficio fructus lucratur.

ET quidem, ſi hic ſaltem lucretur diſtributiones, certum eſt eum ad recitandum horas canonicas teneri, licèt non lucretur fructus. Ita Nauar. de oratione cap. 7. nu. 30.

QVÆSTIO XLVII.

Sed dubium eſt de eo, qui ex beneficio nihil omnino percipit.

IN qua re etiam eſt certum, quòd ſi conſuetudine, vel priuilegio Eccleſiæ fructus ex primo anno, vel pluribus cedunt in ſalutem animæ canonici defuncti, aut eius hęredibus, aut inter alios Canonicos antiquiores diſtribuuntur, & cedunt in augmentum ſtipendij eorum, tunc canonicus tenetur horas canonicas recitare, etiam illo tempore, quo nullos percipit fructus. Et ratio eſt, quia ipſe voluntariè ſe ſubiecit huic oneri.

Tum quia habet titulum, & poſſeſſionem beneficij, cui eſt annexa obligatio recitandi diuinum officium, & quamuis ipſe de pręſenti non percipiat fructus, nihilominus hæredes ipſius, poſt eius mortem, vel ipſe recipiet, dum factus fuerit antiquior, accedentibus alijs canonicis iunioribus. Ita Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 31. Azor. lib. 10. cap. 4. q. 4. Suar. lib. 4. cap. 26. nu. 5. & Garz. 3. part. cap. 1. nu, 62. qui ait ſic declaraſſe ſacram congregationem Cardinalium.

QVÆSTIO XLVIII.

Totum igitur controuerſiæ diſſidium eſt, quando fructus illi ex primo, vel ſecundo anno, conſuetudine, vel ſtatuto Eccleſiæ in alios pios vſus impenduntur.

NAVAR.

NAvar. de oratione cap. 7. nu. 30. & Garz. 3. p. cap. 1. nu. 21. negant debere eum horas canonicas recitare. Et probant, quia hic licèt titulum,& ius beneficij habeat, fructibus tamen ſpoliatur,nec per ipſum ſtat, quominus percipiat,ergo perinde eſt, ac ſi beneficiarius non eſſet.

Sed cęteri communi conſenſu docent, hunc canonicum eſſe cogendum horas canonicas perſoluere. Et ratio eſt, quia beneficium cum ſuo onere tranſit in eum, in quem confertur, ſed huiuſmodi beneficium ex vſu, & priuilegio habet hoc onus, vt fructus ex primo, vel ſecundo anno, canonico non debeantur, ergo canonicus cum hoc onere beneficium acquirit.

Tum quia canonicus ſibi imputare debet, quòd in primo, vel ſecundo anno fructus nòn percipiat: nam ſponte ſua beneficium acceptum, ac ratum habet, ergo illud ſuſcipit cum oneribus, & obligationibus ipſi beneficio annexis.

Tum quia hic reuera habet beneficium, & ius ad fructus, quòd autem illos non lucretur, voluntate eius factum eſt, ergo apud illum manet tota obligatio diuini officij.

Tum quia non tenetur is, cui applicantur fructus, diuinum officium recitare, vt conſtat, ergo neceſſe eſt, vt qui recipit beneficium; hanc etiam obligationem ſuſcipiat, non enim debet Eccleſia ſuo ſeruitio priuari.

Tum quia, ille qui hoc modo acceptauit beneficium, tenetur ad quodcunque aliud ſeruitium debitum ex vi beneficij, etiam ſi fructus non percipiat, ergo etiam tenebitur ad hoc ſeruitium recitandi horas.

Tum

Tum demum, quia licèt fructus non percipiat materialiter, recipit tamen quoad fructum, & effectum ſpiritualem, cùm in pios vſus impendantur.

Tum demum, quia tali debetur dimidia pars fructuum, provt declaratur in extrauaganti Ioannis Papæ 22. quæ incipit, *Suſcepti regim.* ergo ſi illam non exigat, illi debet imputari. Et ideo ita ſentiunt Azor. lib. 10. cap. 4. q. 4. Suar. to. 2. lib. 4. cap. 20. num. 11. Filiuc. cap. 5. q. 8. Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 31. nu. 170. & alij.

Nec obſtat argumentum in contrarium adductum, quia non probat, niſi quòd miniſtrantibus Eccleſiæ, ſuum debeatur ſtipendium, iure etiam diuino illis ſuffragante, niſi ipſi ſpontè huic iuri ſumendi ſtipendium cedant, qualiter cedunt, qui beneficia ſuſcipiunt, alteri fructibus reſeruatis.

QVÆSTIO XLIX.

An clericus qui habet redditus Eccleſiaſticos ſine beneficio, ad diuinum officium teneatur.

RESPONDEO eum qui fructus abſque beneficio recipit vt doceat v. g. Grammaticam, Philoſophiam, Theologiam, vel pulſet organa, aut ſacriſtæ munus exerceat, non teneri diuinum officium recitare. Ratio huius eſt, quia hic non habet beneficium, ſed tantùm habet peculiare quoddam ſeruitium, pro quo accipit ab Eccleſia ſtipendium; &

& per accidens eſt, quòd qui huiuſmodi officia facit, ſit clericus, nam poſſunt commodè per laicos fieri, & interdum fiunt.

Hinc, qui habet à Papa penſionem ex fructibus Eccleſiæ, non vt clericus, ſed aliquo titulo communi laicis, nimirum per modum gratitudinis propter ſeruitia parentum in Eccleſiæ vtilitatem, vel aliquid ſimile, non tenetur ad dicendum officium. Et ratio eſt, quia licèt iſte habeat ius ad redditus Eccleſiæ, illud tamen non eſt beneficium, quia non datur propter aliquod miniſterium ſacrum.

QVÆSTIO L.

An qui penſioni ceſſit, ab onere recitandi officium ſit liber.

ET quidem ſi ceſſit ſolùm in partem, certum eſt apud omnes non eſſe ab onere recitandi immunem. Et ratio eſt, quia dicitur adhuc penſionem titulo clericali poſſidere.

QVÆSTIO LI.

Sed dubium eſt, de eo qui liberaliter ceſſit penſioni in totum.

SED reſpondeo, eum eſſe à tali onere exemptum. Et ratio eſt, quia cùm hic non habeat ampliùs penſionis titulum, nec dicatur penſiona-

rius, non debet onere penſionarij grauari: ſicut beneficiarius, ſi alteri beneficium reſignet, non tenetur ampliùs ratione beneficij ad recitandum officium, cùm non dicatur ampliùs beneficiarius. Ita Bonacina diſp. 1. q. 2. p. 4.

QVÆSTIO LII.

An Religioſi profeſſi, & ad chorum deputati, preces horarias recitare teneantur ſaltem priuatim.

ET quidem certum eſt in primis, Religioſos profeſſos, & in ſacris conſtitutos, teneri ſub mortali horas canonicas perſoluere, etiamſi ad beneficium promoti non ſint.

QVÆSTIO LIII.

Sed dubium eſt de Religioſis profeſſis, & ad chorum deputatis, etiamſi nec beneficiati ſint, nec in ſacris conſtituti.

IN qua re etiam eſt certum, Religioſos omnes non teneri ad horas recitandas ex vi profeſſionis. Et ratio eſt, quia profeſſio Religioſa per ſe, & ex natura ſua non ordinatur ad hoc miniſterium, ſed ad perfectionem, quæ alia via, quàm recitatione horarum acquiri poteſt.

Tum quia profeſſio religioſa ordinariè non obligat niſi ad tria vota eſſentialia, nimirum pau-

pertatis, caſtitatis, & obedientiæ obſeruanda iuxta Regulam: fieri autem poteſt, vt de recitatione horarum, in Regula nihil contineatur.

Dixi notanter, *ordinariè*, vt excluderem Religioſos ordinis Sancti Franciſci, qui de præcepto particulari ſuæ Regulæ tenentur dicere officium ſecundùm ordinem ſanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, licèt non ſint in ſacris conſtituti.

Secundò etiam eſt certum, non dari aliquam legem Eccleſiaſticam, quæ ad hoc obliget in vniuerſum omnes Religioſos. Immò nec reperiri vniuerſalem conſuetudinem, nam quidam ſunt non deputati ad chorum, qui non aſſumunt hanc obligationem, vel quia ſunt Religioſi laici tantùm ad corporalia opera miſericordiæ exercenda deputati, vt ſunt aliqui hoſpitalarij: vel ſunt Religioſi militares, qui vt tales ſunt, non contrahunt obligationem, quia non profitentur chorum, ſed militiam aduerſus infideles, vt optimè ſuo more annotauit Nauar. de oratione cap. 7. num. 21.

Tum quia ſunt multi Religioſi clerici ad bonarum literarum ſtudium, & alias ſpirituales actiones extra chorum ordinati, quales ſunt Patres deuotæ ſocietatis Ieſu, qui iſtud peculiare onus non aſſumunt, quouſque ſacro ordine initientur. Et de his Religioſis modò non diſputamus, quia certum eſt apud omnes, eos ad id non teneri.

QVÆSTIO LIV.

Quod autem in dubium vertitur eſt, de Religioſis, qui ex vi ſui ſtatus chorum profitentur, an videlicet teneantur horas canonicas recitare.

ET de iis conſtans eſt omnium opinio, eos ad id teneri. Et idem dicimus de Monialibus choro mancipatis, vt rectè monet Nauar. in Man. cap. 25. num. 96. & Sylu. verb. hora nu. 3. vbi dicit eſſe communem ſententiam Doctorum.

QVÆSTIO LV.

Totum igitur controuerſiæ diſſidium verſatur, quo iure, vel ratione iſti Religioſi, vel Moniales ad id teneantur.

NONNVLLI affirmant eos ad id obſtringi iure naturæ, pertinente ad diuinum cultum, & Religionem. Quia ſunt ad hunc cultum peculiariter dicati per profeſſionem.

Sed hæc opinio non placet, quia diuinus cultus latiſſimè patet, & multis aliis modis poteſt exhiberi vt conſtat, ergo ex eo ſolo cap. non poteſt inferri obligationem hanc potius eſſe ad memoratam recitationem, quàm ad alium alterius modi

cultum Dei: præſertim cùm Religioſus ſe per profeſſionem mancipans cultui Dei, non imponat ſibi neceſſitatem determinatè ad aliquas actiones cultus diuini, niſi ad eas, quas expreſsè vouet, aut quas Regula, vel Prælatus diſtinctè præſcripſerit.

Palud. in 4. diſt. 15. q. 5. art. 1. docet eos ad id obligari ex naturali lege iuſtitiæ, quia ex Chriſtianí populi bonis in eleemoſynam acceptis aluntur, & viuunt, ac proinde tenentur pro his, qui bene de ipſis ſunt meriti, precari.

Sed nec hæc opinio mihi probatur, quia Religioſi non ſuſtentantur à populo propter hanc, vel illam determinatam actionem vitæ Religioſæ, ſed ſimpliciter vt in tali ſtatu perfectionis ſecundùm ſuum inſtitutum viuant ad Dei gloriam.

Tum quia eleemoſynæ non ob id præcipuè conferuntur Religioſis, quaſi ex lege iuſtitiæ, & per modum ſtipendij orent pro populo, ſed propterea quòd ſint diuino cultui, & contemplationi mancipati, & ex profeſſo pauperes.

Tum quia ſi fundamentum Paludani admitteretur, ſimiliter ad horas canonicas tenerentur conuerſi, quos laicos appellamus, & etiam nouitij, quia aluntur, ſicut & alij, quod non eſt dicendum.

Tum demum, quia admiſſo iſto fundamento, ad ſummum probaretur eſſe in ſingulis Monaſteriis obligationem recitandi horas canonicas in choro, non verò quòd hæc obligatio deſcendat in ſingulos, quandò iuſta de cauſa abſunt à choro.

Petrus

Petrus Aragona 2. 2. q. 83. art. 12. cenſet eos ad id obligari iure canonico.

Sed non placet, quia nullus canon ea de re extat, vt rectè Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 17. num. 9. probat. Syluester id colligit ex cap. licet voto, &c. Sed vt egregiè annotauit Sotus lib. 10. q. 5. art. 3. inde nihil probari poteſt, quoniam ibi tantùm decernitur, quòd ſi quis aliquid vouit, illud impleat, non tamen dicit, quòd Religioſus eo ipſo, quòd religionem vouit, teneatur horas canonicas recitare, aut quòd illas implicitè vouerit.

Illuſtriſſimus Caietanus in ſumma verb. horæ, & cum eo Armillla num. 4. fatentur ſe nullo modo videre, qua ratione Religioſi ad id teneantur, niſi ex antiquiſſima, & ſancta conſuetudine, de qua vtrùm obliget, nec ne, multum ſe dubitare dicunt.

Sed cæteri communi conſenſu affirmant eos ad id teneri ex vniuerſali conſuetudine præſcripta, quæ inueterata inſtar præcepti obligat. Et ideo ita tenent Sotus lib. 10. q. 5. art. 3. Nauar. de oratione cap. 7. num. 2. & 5. & cap. 21. num. 19. & in Man. cap. 25. num. 96. Valent. 2. 2. d. 6. q. 2. p. 10. Tolet. lib. 2. cap. 12. Vaſq. in opuſc. de benef. cap. 4. §. 1. art. 1. Leſſ. lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 49. Azor. lib. 10. cap. 6. q. 1. Suar. to. 2. lib. 4. cap. 27. nu. 9. & plerique alij.

Hinc non audiendus Aragona 2. 2. 83. art. 11. qui putat hanc obligationem non eſſe tam rigoroſam, ſicut in clericis ſacrorum ordinum; vnde ait, non peccare mortaliter Religioſos choro deputatos, qui bis, vel ter priuatim diuinum

officium omittunt. Quia vel conſuetudo talis eſt, vt æquetur præcepto recitandi diuinum officium, vel non eſt huiuſmodi. Si primum, conſequenter ſequitur peccare mortaliter Religioſos qui ſemel horas canonicas omittunt, quia eſt materia grauis, nec aperienda eſt ianua omiſſioni officij diuini in huiuſmodi Religioſis. Si ſecundum, profectò non peccabunt mortaliter tales Religioſi, etiam ſi ſæpius illud prætermittant, quia non agunt contra præceptum. At tunc excuſare illos non audet ipſe Arag. ergo oportet, vt fateatur hac conſuetudine eſſe introductum præceptum obligans ſub mortali hos Religioſos ad recitandum quotidie diuinum officium. Cuius ſententiæ fundamentum eſt, quia communi, & generali Eccleſiæ conſuetudine, quę legis vim habet, ita eſt declaratum.

Nec obſtat, quòd ſi Religioſus choriſta ad laicorum ordinem transferatur, non obligabitur ad officium, quare nec antea. Quia Prælatus poteſt auferre obligationem indirectè, ſublato fundamento obligationis: ſicut etiam Epiſcopus auferens beneficium à clerico, tollit obligationem recitandi officium.

Hinc Religioſus qui in priori Religione tenebatur recitare horas canonicas, non tenetur ad illas recitandas, ſi tranſeat ad aliam Religionem, in qua conſuetudo recitandi horas canonicas introducta non eſt, nam conſuetudo non obligat, vbi recepta non eſt. Suar. lib. 4. cap. 17. numero 2.

QVÆ.

QVÆSTIO LVI.

An Religioſus aliâ deputatus ad chorum, & nondum in ſacris conſtitutus, qui Romani Pontificis authoritate, & priuilegio extra Monaſterium viuit, horas canonicas recitare teneatur.

ET quidem ſi Religioſus facultatem, & diſpenſationem habet viuendi extra Monaſterium ſolùm ad tempus, certum eſt hunc ad horas recitandas teneri. Et ratio eſt, quia hic per talem diſpenſationem non deſinit eſſe Regularis.

Tum quia non liberatur aliis oneribus Religionis, quæ extra clauſtra poteſt implere, ergo neque ab horis canonicis. Et ideo ita tenet Nauar. de orat. cap. 7. num. 22.

QVÆSTIO LVII.

Quæſtio igitur eſt de eo, qui iuſtam diſpenſationem, vel priuilegium habet viuendi in perpetuum extra Monaſterium.

NAVAR. de oratione cap. 7. num. 22. & Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 17. nu. 8. affirmant eum ad id teneri.

At contrarium mihi ſuadeo ſequutus Sotum lib. 10. q. 5. ar. 3. Azor. lib. 10. cap. 6. q. 8. Bonacinam diſp. 1. q. 2. p. 2. num. 4. & alios. Ducor, quoniam eo ipſo eximitur à choro, cùm liberetur perpetuò ab vſu eius, cuius conſuetudine eiuſmodi obligatio exiſtit.

Tum quia quamuis non deſinat eſſe Religioſus, nihilominus deſinit eſſe Regularis, ac ſubinde non tenetur ad regulas Religionis, in qua conſuetudo eſt recitandi officium.

An autē hic ad alia Religionis onera teneatur, patet ex dictis à nobis in theſauro Religioſorum.

QVÆSTIO LVIII.

An Religioſus qui facultatem, & diſpenſationem ducendi vxorem obtinuit, & vxorem iam duxit, aut iam exiit de Monaſterio, vt vxorem ducat, ad recitandum diuinum officium teneatur.

Respondeo non teneri. Et ratio eſt, quia omnino deſiit eſſe Religioſus. Quod fieri poſſe à Papa iuſta de cauſa docuimus in noſtro theſauro Religioſorum, dicentes iuſtam fore cauſam, vt diſpenſaretur cum filio Regis Religioſo ob defectum hæredum ad procreandos eos, & ad ſedanda ſcandala, vt pacificè regnaret, & liberos hæredes procrearet. Talis enim Religioſus iuſtè per talem diſpenſationem coniugatus non teneretur horas

cano

canonicas recitare, quia omninò deſineret eſſe Religioſus.

QVÆSTIO LIX.

An clericus qui priuilegio Pontificis vxorem duxit, ad recitandum diuinum officium teneatur.

SANCH. lib.8.de matrimonio quæſt.8. num.11. negat.

Sed verius,ac probabilius multò eſt, quod docet Azor.lib.10.cap.5. q.5. videlicet hunc ad diuinum officium teneri. Ducor, quia diſpenſatio eſt odioſa, ergo ſtrictè eſt explicanda, & per conſequens priuilegium ducendi vxorem, non videtur exemptionem ab obligatione recitandi officium continere.

Tum quia adhuc retinet characterem, ratione cuius tenetur horas canonicas perſoluere.

QVÆSTIO LX.

An Religioſus fugitiuus ad horas canonicas teneatur.

ET quidem ſi ſit in ſacris,certum eſt apud omnes eum ad id teneri.

QVÆSTIO LXI.

Sed dubium eſt, quando fugitiuus non eſt ſacris inſignitus.

Bonacina diſp. 1. q. 2. p. 2. nu. 6. negat, quia eſt in ſtatu, in quo non eſt conſuetudo perſoluendi diuinum officium.

Alij verò rectiùs affirmant. Et ratio eſt, quia culpa non debet ei patrocinari, aut libertatem conferre.

Nec obſtat, quòd à choro abſit, & aliùnde quàm ex Monaſterij bonis alatur, cùm vtrumque ſua malitia contingat. Et ideo ita ſentiunt Nauar. de oratione cap. 7. nu. 19. & 20. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 37. dub. 9. n. 50. Azor. lib. 10. cap. 6. qu. 5. & Suar. lib. 4. cap. 17. n. 9.

QVÆSTIO LXII.

An Religioſus qui ob delictum ſuum eſt ad triremes damnatus, teneatur diuinum officium recitare.

Qvæstio intelligitur de Religioſo nondum ad ſacros ordines promoto, quia de promoto certum eſt, eum ad id teneri ratione ordinis ſacri.

Et quidem ſi in perpetuum damnetur, certum eſt eum eſſe liberum, quia eiectio eſt perpetua: & re-

mouetur à ſtatu, in quo conſuetudo inualuit perſoluendi diuinum officium, & transfertur ad ſtatum, in quo huiuſmodi conſuetudo, & obligatio non reperitur.

QVÆSTIO LXIII.

Tota igitur difficultas eſt de damnato ad tempus.

QVidam affirmant, eum ad id non teneri. Contrarium nihilominus cenſeo probabilius. Ducor, quia ſua culpa eam pœnam ſuſtinere, & perferre compellitur. Tum quia non eſt abſolutè de Monaſterio eiectus, ſed verè illius Religionis membrum, ergo ad diuinum officium tenebitur, perinde ac Religioſus qui iuſta de cauſa cum ſuperioris licentia ad tempus extra Monaſterium commoratur. Aliunde tamen iuſtam excuſationem habere poteſt eius oneris, vt ſi horarum canonicarum codice careat, aut ſi habeat codicem, tamen recitare commodè nequeat.

QVÆSTIO LXIV.

An Religioſus per iuſtam ſententiam è Monaſterio eiectus, ad recitandum diuinum officium teneatur.

ET quidem ſi ſit ad ſacros ordines promotus, certum eſt, eum ad id teneri.

QVÆST.

QVÆSTIO LXV.

Sed dubium eſt, quando à Religione eiectus non eſt ad ſacros ordines promotus.

NAVAR. lib. de oratione cap. 7. num. 20. & in cap. Nullum. 15. q. 2. num. 45. affirmat hunc ad id teneri.

At verò Sotus lib. 10. q. 5. ar. 3. & Bonacina diſp. 1. q. 2. p. 2. n. 3. negant. Et meritò quidem, quia Religioſus eſt ad diuinum officium adſtrictus ſolùm ex conſuetudine, quatenus eſt ad chorum deputatus, ſed qui per ſententiam à Monaſterio expellitur ampliùs non eſt choro addictus, ergo ab hoc onere recitandi eſt immunis.

QVÆSTIO LXVI.

An ſuperior poſſit cum Religioſis nondum in ſacris conſtitutis, circa obligationem recitandi officium diſpenſare?

SVAR. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 28. num. 41. Reginal. lib. 18. num. 141. & 186. Vaſq. in opuſc. de benef. cap. 4. §. 1. ar. 1. dub. 11. num. 49 Graff. 1. p. lib. 2. c. 54. num. 9. & Macig. de horis canon. cap. 22. num. 8. tenent non poſſe.

Sed quamuis ſententia hæc ſit valdè probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam. Ducor, quia cùm hæc tota obligatio in Religioſis ex conſuetudine ortum habeat, quæ vim legis habet in

Religio

Religione, valdè probabile eſt, poſſe ſuperiorem ex iuſta cauſa in ea diſpenſare, ſicut in aliis ſtatutis etiam obligatoriis, ſi iuſta cauſa ſubſit, vt rectè docet Valent.2.2.d.6.q.2.p.10. Quam cauſam debere eſſe grauem ex eo colligitur, quòd ne quis quidem, quem neceſſitas compellit agriculturam exercere, liberatur à tali onere, prout conſtat ex cap.1.de celebr. Miſſarum. Vnde non mihi videtur ſatis tuta diſpenſatio, quam ex cauſa ſtudiorum nonnulli ſuperiores dant ſuis Religioſis choriſtis, quoniam recitatio horarum canonicarum non eſt talis, neque tantus ſtudiorum obex, vt experientia docet, quin fructum vberrimum eas recitans poſſit reportare, ex ipſis ſtudiis, ſi eis ſedulò incubuerit.

QVÆSTIO LXVII.

An ſi Religioſus deſtinatus ad chorum, nec in ſacris conſtitutus, iuſſu, & authoritate ſuperiorum transferatur ad ſtatum conuerſorum, ab horarum canonicarum onere ſit liber.

Respondeo eſſe liberum. Et ratio eſt, quia hæc obligatio nec iure naturæ, nec ex vi voti, aut profeſſionis, ſed ex antiquiſſima, & ſancta conſuetudine ortum habet, & ex eo quòd Religioſus deputatur ad chorum: ergo qui legitima ſuperioris authoritate liberatur à choro, eo ipſo à lege horarum canonicarum ſolutus cenſetur.

Deinde, ſicut beneficiarius in minoribus, qui be-

neficium deponit, ab onere recitandi liberatur, ita ſimiliter Religioſus qui à choro eximitur ab eodem onere fit liber. Sotus lib. 10. quæſtio. 5. artic. 3.

An autem Religioſus choro deputatus, poſſit ſuperioris authoritate ad ſtatum conuerſorum transferri. Et cuius Prælati authoritate hæc tranſlatio fieri poſſit; patet ex dictis à nobis in theſauro Religioſorum, lib. 6. q. 177. & 178.

QVÆSTIO LXVIII.

Vtrùm Nouitij, qui chorum, & cantum frequentant, diuinum officium perſoluere teneantur.

PALVD. in 4. diſt. 15. q. 5. affirmat Nouitios teneri, ſicut cæteros profeſſos, recitare horas canonicas, cùm comedant de eleemoſynis, ſicut reliqui Religioſi, & gaudeant priuilegiis clericorum.

Sed conſtans eſt omnium opinio, eos ab hoc onere eſſe immunes. Et ratio eſt, quia verè nondum ſunt Religioſi effecti, ſed tantùm in via ad perfectionem, per quam Religioſi fiunt reuera, neque in onerosis ſub illa voce comprehenduntur, & quod caput eſt, nulla eſt lex, vel conſuetudo, quæ illos obliget ad hoc. Et ideo ita tenent Nauar. de oratione cap. 7. numero 4. Aragon. 2. 2. quæſt. 83. art. 12. Tolet. lib. 2. cap. 12. Rodriq. parte 1. capit. 1. num. 10. Azor. lib. 10. cap. 6. quæſt. 2. & communis.

Nec

Nec obſtat quòd Nouitij inſtar profeſſorum de eleemoſynis laicorum alantur, quia eo ipſo quòd ſe ſubiiciunt ordini, ſub diſciplina Religioſa vitam agendo, debetur eis victus & veſtitus.

Nec etiam obſtat, quòd Nouitij gaudeant priuilegio canonis cap. ſi quis ſuadente diabolo 17. quæ 1. quo excommunicantur illi, qui percutiunt clericos, quia clerici primæ tonſuræ, & quatuor minoribus conſtituti eo gaudent, & tamen non tenentur ad horas.

QVÆSTIO LXIX.

Vtrùm fratres, & ſorores tertij ordinis ſancti Franciſci ad horas canonicas perſoluendas teneantur.

RESOLVTIO huius quæſtionis petit vt inquiramus, An fratres, & ſorores tertij ordinis ſancti Franciſci ſint verè, propriè, ac ſimpliciter Religioſi.

Pro cuius quæſtionis intelligentia, obſeruandum eſt primò, fratres, & ſorores tertij ordinis ſancti Franciſci eſſe in duplici differentia. Quidam enim illorum, & primi tempore ſunt illi, qui non emittunt tria vota ſolemnia. in Religione ſub Regula approbata per ſedem Apoſtolicam, nec in cõmuni viuunt, ſed in propriis domibus cum ſuis vxoribus, & filiis, aut familia prout faciunt alij ſæculares, excepto, quòd obſeruant ea quæ in Regula per Nicolaum IV. compilata continentur.

Alij verò Tertiarij ſunt, qui faciunt prædicta tria

vota ſolemnia in manibus ſui Miniſtri, vel Miniſtræ coram communitate, & viuunt in communi ſub clauſura Quo iacto fundamento,

Primò dico, quòd Tertiarij primi generis, qui fuerunt ordinati per Beatum Franciſcum, non ſunt verè, propriè, ac ſimpliciter Religioſi, ſed ſolùm impropriè, & ſecundùm quid. Et ratio eſt, quia iſti non emittunt tria ſolemnia vota, nec profitentur aliquam Religionis Regulam, ſed aliam longè diuerſam, quæ licèt fuerit per Romanum Pontificem comprobata, fuit tamen comprobata, vt quidam modus bene viuendi, vt rectè monet Diuus Thomas 2. 2. q. 187. art. 4. & de iſtis loquutus ſum in Theſauro Religioſorum, quando in eo libro dixi fratres, & ſorores tertij ordinis non eſſe verè, & propriè Religioſos.

Ex quo infertur huiuſmodi Tertiarios ad perſoluendum horas canonicas non teneri. Et ratio eſt, quia cùm iſti non ſint verè, & abſolutè Religioſi, vt ſuprà probatum eſt, non debent onere Religioſorum grauari.

Secundò dico, quod Tertiarij ſecundi generis ſunt verè, propriè, ac ſimpliciter Religioſi. Et ratio eſt, quia illi ſunt verè, & propriè Religioſi, qui in Religione per ſedem Apoſtolicam approbata certam Regulam vouent, & emittunt tria Religionis eſſentialia, & ſubſtantialia vota, nimirum, obedientiam, caſtitatem, & paupertatem in manu ſuperioris, vt definitur in cap. Ad monaſterium. de ſtatu Monachornm, & tradit eleganter Diuus Thomas 2.2.q.88.ar.7. Atqui fratres, & ſorores huiuſmodi, faciunt hæc omnia, vt cõſtat ex cõceſſione Sixti IV. & Leonis X. & tradit Rodriq.tom.3.de Reg. q.72.

art. 1. ergo ſunt verè, & abſolutè Religioſi, quorum quamplurima ſunt Monaſteria.

Ex quo ſequitur huiuſmodi fratres, & ſorores tertij ordinis Sancti Franciſci, cùm ſint verè, & ſimpliciter Religioſi, ad penſum horarum canonicarum teneri.

QVÆSTIO LXX.

An Religioſi laici, ſeu Conuerſi ad horas canonicas teneantur.

DIuus Anton. in 4. par. tit. 3. cap. 8. Palud. in 4. diſt. 15. quæſt. 5. Tab. verb. hora §. 8. & plerique alij docuerunt hos teneri ad recitandum horas Canonicas, quia viuūt ex eleemoſynis ſæcularium, quibus aliquo modo recompenſare tenentur.

Communis tamen tam Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententia habet eos ad illas non teneri. Et ratio eſt, quia, vt diximus, Religioſi nullo naturali, aut diuino iure coguntur horas canonicas perſoluere, ſed conſuetudine vſu recepta. At conſuetudine huiuſmodi Religioſi Conuerſi ab hoc onere ſunt liberi. ergo.

Tum quia illorum munus in Religione non eſt vacare exercitiis eccleſiaſticis, ſed miniſtrare menſis, clericis ſeruientes. Vnde ſecundùm Sylueſtrum gloriam Thomiſtarum, verbo horæ Canonicæ §. 3. & Summam Coronam eodem titulo, ſi in illis ſunt notabiliter negligentes, peccant mortaliter, quia in Religione ad hæc præcipuè recipiuntur, vt ſcil. corporalia ſeruitia diligenter exerceant.

 Tum

Tum quia loco horarum canonicarum in omnibus ferè Religionibus, Religioſis cõuerſis certus orationum Dominicarum numerus imponitur, quem explere tenentur, & quòd ſuo modo horæ canonicæ dici poſſunt, quod ſolet breuius & facilius eſſe, vt illi non impediantur à debitis obſequiis clericis exhibendis.

Quam doctrinam exiſtimo eſſe adeò veram, vt laici qui ſine licentia ſui Prælati recipiunt ordines ſacros, non teneantur poſtea horas canonicas recitare, eo modo quo cæteri Religioſi choriſtæ initiati ordinibus. Sic enim declarauit Leo X. dicens, quòd laici qui ſine licentia ſuorum Prælatorum accipiunt ordines ſacros, priuentur omni honore clericali, neque permittantur dicere diuinum officium, ſed cogantur more ſolito laborare, licèt libenter redeant ad Religionem relicta apoſtaſia, quod præcipitur fieri in Religione Sancti Franciſci, vt habetur in Compendio priuileg. titulo laici fratres §.4. & notat Rodriq. cap. 141. num. 3.

Nec argumentum Diui Antonini & aliorum in contrarium adductum vrget, quia etſi Religioſi conuerſi ex eleemoſynis ſæcularium alantur: ſuo tamen modo pro illis orare cenſentur, in quantum alios orantes adiuuant, eos à curis aliis & ſolicitudinibus excuſando, vt rectiùs, & attentiùs Deo vacent. Quod ſatis eſt, etiamſi aliàs ipſi non orarent, vt iuſtè Monaſterij eleemoſynis, ſiue redditib. viuãt.

Et idem dicendum eſt de Monialibus Religionem profeſſis, quæ laicæ, ſeu conuerſæ dicuntur. Ita Roder. par. 1. cap. 141. nu. 13.

Ex quo infertur, Equites Sancti Ioannis, & Sancti Iacobi ad bellum, & prælium profeſſos, ab one-

re recitandi horas canonicas eſſe liberos. Quia non eſt vſu receptum, vt iſti ad hoc onus obligentur. Vnde ſatis eſt, vt eas preces quotidie fundant, ac recitent, quas eorum Regula, vel conſtitutiones præſcribunt, vt ſunt tot *Pater noſter*, & tot *Aue Maria*, ad quas tamen ſub mortali non tenentur, vt declarauit Martinus V. & Innocentius VIII. & tradit Ayala in compendio eiuſdem Regulæ fol. 15. & Roder. 1. p. cap. 141. num. 9.

QVÆSTIO LXXI.

An laici, ſeu conuerſi, ita obligentur, vt mortaliter peccent, ſi abſque vlla cauſa ſuum officium ſibi præſcriptum prætermittant.

DIVVS Antoninus 3. p. tit. 13. c. 4. & Iacobus de Graffiis lib. 2. deciſ. cap. 50. nu. 7. affirmant eos peccatum mortale committere.

Sed cæteri communi cõſenſu negant, ex eo quia laici, ſeu conuerſi in Monaſteriis ſolùm corporalibus exercitiis & in obſequium choriſtarum, vt hi liberiùs Deo vacẽt, mãcipantur, & ſic eorũ principale inſtitutũ eſt, actiuã vitam exercere, & ideo in Religionibus, in quibus conuerſi *tot Pater noſter*, & tot *Aue Maria* quotidie dicere tenentur, hæc obligatio nõ habet vim aliã præcepti niſi quantũ in ipſa Religione exprimitur. Vnde in noſtra Cõgregatione Beatæ Mariæ Fulienſis, quia illud vinculum ad nullam culpam obligat, niſi vbi contemptus adfuerit, ſed ad pœnam tantùm, conuerſi officium ſibi præſcriptum relinquentes, non peccabunt mortaliter, immò nec venialiter, niſi aliun-

de ratio culpæ ortum habuerit. Et idem fatetur Aragona de conuerſis ſui ordinis Eremit. Sancti Auguſtini, & Summa Corona de conuerſis ordinis Canonicorum Regularium & ordinis Sancti Dominici. Secùs tamen eſt de Conuerſis Ordinis Sancti Franciſci reformatis, & Sancti Benedicti, qui Monachi nigri vocantur, qui vt conſtat ex eorum ſtatutis, ad mortale obligantur.

Idem mihi videtur dicendum de Conuerſis Monaſterij Monialium, quæ ad munia coquinæ profitentur ob eandem rationem.

QVÆSTIO LXXII.

An præceptum de recitandis horis canonicis obliget ad mortale.

Angelvs verb. hora num, 10. cenſet obligare ſolùm ad veniale, ac proinde ſi quis per negligentiam, eas recitare omittat, non peccat niſi venialiter. Secùs ſi ex contemptu, aut tædio rerum diuinarum, vel cum aliorum offenſione, vel ex cõſuetudine eas prætermittat.

Communis támen tam Theologorum, quàm Canoniſtarum ſententia habet, præceptum de recitandis horis Canonicis obligare ad mortale, ac proinde qui illas etiam abſque contemptu, ſed per ſolam negligentiam ſine iuſta & debita cauſa omittit, peccat mortaliter. Ratio eſt, quia agit contra peculiare præceptum Concilij Generalis ſub Innoc. III. vbi Eccleſiaſticis diſtrictè præcipitur in virtute Sanctæ obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum, pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, ſtudiosè celebrent, pariter & deuotè. Quæ

verba pleniſſimè oſtendunt præcepti vim obligantis ad mortale.

Tum quia in cap. Clericus victum. diſt. 91. tale peccatum eſt dignum excommunicatione, quæ non imponitur niſi ob peccatum mortale, vt conſtat ex cap. Nemo Epiſcoporum. 11. q. 3. & tradit Nauar. de orat. cap. 7. num. 5.

QVÆSTIO LXXIII.

An peccet mortaliter, qui voluntariè, & ſine legitima excuſatione integrum officium canonicum vnius diei omittit.

RESPONDEO eum peccare mortaliter. Et ratio eſt, quia qui violat præceptũ in re graui, peccat mortaliter: qui autem omittit recitationem diuini officij vnius diei, violat præceptum in re graui pertinente ad virtutem Religionis, & ad colendum Deum, ergo peccat mortaliter.

Tum quia qui omittit Miſſam in die feſto, vel vnius diei ieiunium præceptum frangit, mortale peccatum committit, vt conſtat, ergo & qui omittit integrum officium vnius diei peccat mortaliter.

Tum etiam, quia omittens diuinum officium ſuſpendi poteſt. Cap. Dolentes. de celebrat. Miſſar. Immo etiam poteſt excommunicari. Clem. 1. eod. tit. iſtæ autẽ cenſuræ ſupponunt grauẽ culpã. ergo.

Hinc, non ſunt audiendi Aragona 2. 2. q. 83. art. 12. & Rodriq. 1. p. cap. 141. n. 3. aſſerentes eum qui ſemel, aut bis omittit recitare diuinum officium ex negligentia, & non ex contemptu, non peccare mortaliter.

QVÆSTIO LXXIV.

An qui ex negligentia notabilem partem officij vnius diei omittit, peccet mortaliter.

Respondeo eum peccare mortaliter. Et ratio eſt, quia pars notabilis eſt etiam materia grauis iudicio prudentum.

Tum quia non ſolum peccat mortaliter, qui in die feſto totam Miſſam negligit, ſed etiam qui notabilem partem eius omittit, vt conſtat ex c. Miſſas. 2. de conſecr. diſt. 1. ergo etiam mortaliter peccat qui notabilem officij partem omittit, cùm eadem ſit vtriuſque ratio.

Tum demum, quia officia diuina non ſunt imperfectè relinquenda. cap. Illud. & cap. Nihil. 7. q. 1. ergo qui ſine iuſta cauſa diuinum officium notabiliter mutilat, peccat mortaliter.

QVÆSTIO LXXV.

An peccet mortaliter, qui vnius tantùm horæ officium integrum omittit, v.g. tertiam, vel ſextam.

Rosella verbo hora nu. 3. negat, putat enim totius officij vnius diei omiſſionem requiri ad conſtituendum in hac re peccatum mortale.

In contrarium tamen eſt vetus & communis, & vera ſententia. Tum quia quælibet hora officij diuini contingens in tali parte, eſt notabilis.

Tum quia talis omiſſio eſt notabilis deformitas, &

& mutilatio talis partis officij, quæ ſufficeret ad mortale, ſi ſola ſub eo reatu præciperetur, quales ſunt ſine dubio ſingulæ eædem horæ, quæ ſimul quidem & tanquam partes eiuſdem totius præcipiuntur, ſed perinde ac ſi ſeorſim vnaquæque præciperetur. Et ideo ita tenent Sylu. verb. hora q. 12. Tab. n. 18. Reginald. lib. 18. n. 143. Rodriq. 1. p. c. 141. n. 17. Molfeſ. cap. 5. n. 7. Suar. loc. cit. nu. 15. Filiuc. to. 2. tract. 23. c. 7. & alij communiter.

QVÆSTIO LXXVI.

An qui vnius horæ aliquam partem omittit, peccet mortaliter.

Et quidem ſi pars omiſſa ſit parua, puta vna dictio, aut pars vnius verſus, vel pſalmi etiam ſine voluntate repetendi, non eſt pluſquam veniale, modò abſque contemptu, & notabili ſcandalo omittatur, quia vt rectè docet D. Thom. 2. 2. q. 59. art. 4. in omnĩ materia præceptorum modicitas excuſat à mortali.

QVÆSTIO LXXVII.

Totum igitur controuerſiæ diſſidium eſt, quando pars omiſſa diuini officij eſt notabilis.

Sylvester verbo hora. q. 12. negat, putat enim vnius horæ omiſſionem requiri ad committendum in hac re peccatum mortale.

At communis omnium opinio docet, eum qui vnius horæ vnam partem notabilem omittit, peccare mortaliter. Quia talis omiſſio eſt notabilis deformitas, & mutilatio diuini officij. Sic Nauar. in

Man.cap.25.num.68.Azor. lib.10.cap.7.q.3. Macig.cap.26.num.2.& pleriquc alij.

QVÆSTIO LXXVIII.

Quænam horarum canonicarum pars cenſeri debeat ita notabilis, vt illius omiſſio ad mortale ſufficiat.

NAVAR. in Man.cap.25.num.68. Azor. lib.10. cap.7.quæſtio.3.Macig.cap.26.numer.2.Malder. tract.10.cap.2. dubio 3. & multi alij, putant partem notabilem horæ verbi gratia Primæ, vel Tertiæ, eſſe tertiam partem. Quia tertia pars horæ videtur pars notabilis reſpectu illius horæ. Vnde idem Nauar.de oratione cap.10.numero 43. cenſet eſſe partem notabilem in prima, vel tertia, omittere totum initium vſque ad primum pſalmum incluſiuè. Quia illa eſt (inquit) circiter tertia pars.

Sed hæc iſtorum opinio eſt nimis rigida, quia etſi vna hora ſit materia grauis, & ſufficiens vt ſub mortali præcipiatur, non tamen inde ſequitur, tertiam eius partem talem eſſe, alioquin etiam tertia pars vnius pſalmi talis dicenda eſſet.

Alij verò cenſent, grauitatem materiæ non eſſe deſumendam ex eo quòd ſit tertia, vel quarta pars, ſed ex eo quòd ſit magna in ſe, conſiderata dignitate eius, & deformitate reſpectu totius officij ſecundùm prudentem æſtimationem. Vnde in Matutino cum Laudibus, vnum nocturnum eſt quarta pars tantùm, & tamen eius omiſſio cenſetur materia grauis. Contrà in hora tertia, vel

ſex

ſexta Hymnus cum primo pſalmo eſt tertia pars, & tamen hi non exiſtimant eſſe materiam grauem. Aiunt ergo omiſſionem partis quæ æquiualeat minimæ horæ, eſſe peccatum mortale. Si verò non attingat, eſſe tantùm peccatum veniale. Et ideò ita tenent Sylueſt verb. hora quæſt. 12. Ang. nu. 8. & alij qui citant Palud. in 4. diſt. 15. q. 5. Quam ſententiam cenſet eſſe probabilem Filiuc. tom. 2. tract. 23. cap. 7.

At ego arbitror medietatem horæ paruæ eſſe materiam notabilem, quamuis in publica recitatione, tertiam partem ſatis eſſe exiſtimem. Ducor quia pars infra dimidiam partem horæ minimæ ſecundum ſe videtur modica, & leuis, & conſequenter non ſufficiens ad mortale peccatum

Tum quia veriſimile non eſt Deum velle perpetuis gehennæ ſuppliciis illum ſubiicere, qui leuiorem dimidia parte minimæ horæ omittit. Quare dicendum eſt dimidiam partem minimæ horæ eſſe materiam grauem, non verò tertiam partem vnius horæ paruæ.

QVÆSTIO LXXIX.

An omnes ſeptem horæ canonicæ vnicum integrum eccleſiaſticum officium conſtituãt, ita vt quælibet hora pars illius habeatur, an verò ſint ſeptem inter ſe diuerſæ precationes quaſi ſeptem officia ſeptem diei diſtinctis temporibus à clerico perſoluenda.

Tabiena verbo hora q.18. Leſſ.lib.2.cap.37. dub.9.nu.53.& multi alij putant eſſe ſeptem officia diſtincta.

Sed communis opinio eſt, vnum tantùm eſſe officium quotidie præſtandum à clerico ex ſeptem partibus conſtans. Ita Nauarrus de horis canonicis, & oratione cap.7.nu.6.& 7.

QVÆSTIO LXXX.

An omittens vna die omnes ſeptem horas canonicas, committat vnum tantùm peccatum, an verò tot peccata, quot ſunt horæ.

Non intelligitur quæſtio de eo, qui ſciens, & volens vnius horæ officium omittit, cùm tamen decernat cæteras horas recitare, & deinde appropinquante tempore quo aliam horam dicere deberet, eam quoque tunc tẽporis ſcienter omittit, hic enim duo peccata committit. Loquitur ergo de eo qui vnico actu voluntatis omnes ſeptem horas canonicas ſcienter prætermittit.

Item intelligitur quæſtio de peccatis externis, & conſummatis, nam interna poſſunt numero multiplicari, etiam circa vnam, & eandem horam, repetendo ſæpius per diem internam voluntatem nõ recitandi in temporibus diſtinctis, cum interruptione morali. Loquendo igitur de omiſſione externa, & conſummata per vnicum actum voluntatis: ſunt quidã qui dicunt ſeptem peccata mortalia committere, quia putant tot eſſe præcepta precandi in die, quot ſunt horę canonicæ, ſicut ſi quis quadragenarium ieiunium frangeret, tot peccata committe

mitteret, quot ſunt eius ieiunij dies. Et ideo huius opinionis ſunt Tabiena verb. hora q. 18. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 37. dub. 9. num. 53. Tolet. lib. 2. cap. 12. & plerique alij. Quod Sylueſter intelligit de eo, qui diſiunctim eas recitare tenetur, vt Religioſi & ſeruientes in choro, qui autem ad hoc non tenentur, omnes omittendo pro vno peccato computatur.

Sed cæteri communi conſenſu docent hunc vnum tantùm peccatum externum omiſſionis conſummatum committere. Et ratio eſt, quia præceptũ de toto officio vnius diei vnicum tantùm eſt, non autẽ tot, quot horæ, omnes enim ſunt partes vnius officij, tanquam vnius actionis moralis integræ, & ideo illius totius vna eſt omiſſio integra, atque ita vnum peccatum, tanto quidem grauius, quãto plures horæ omittuntur.

Tum quia volitio, qua quis vult integrum officium vnius diei omittere, eſt vnum numero peccatum, modò actus voluntatis moraliter, id eſt per contrariam deliberationem non interrumpatur, ergo etiam ipſa omiſſio eſt vnum numero peccatũ.

Obiicies, ſingulæ horæ ſunt diſtinctæ preces, & orationes diſtinctis temporibus ex præſcripto Eccleſiæ recitandæ, ergo illarum omiſſiones ſunt diſtincta numero peccata.

Reſpondeo, ſingulas horas non eſſe diſtincta officia, ſed diſtinctas partes eius officij eodem die perſoluendi, ſicut ſunt manus, & pedes reſpectu eiuſdem hominis.

Dices, ſingularum horarum recitatio eſt impletio præcepti, ergo ſingularum omiſſio eſt violatio præcepti.

Reſpondeo, ſingularum horarum recitationem eſſe impletionem partialé præcepti, ſicut ſingularũ omiſſio eſt violatio præcepti in parté. Et ideo huius opinionis ſunt Sylu. verb. hora.nu. 15. Roſell. ibidem n. 7. Nauar.de oratione cap.7.n.6.Azor.lib. 10.cap.7.q.4. Valent.2.2.diſp.6.q.2.p.10. Rodriq. p.1.cap,141.nu.16.Reginald.lib.18.nu.145. Vaſq. de benef.cap.4.§.1.ar.2.dub.5.Suar.lib.4.cap. 25.n. 18.Lop.2.tom.cap.105. Eman.Sa in aphoriſ. conf. verb.horæ nu.14.& alij communiter.

Hinc qui proponit omittere omnes horas canonicas aut notabilem earum partem,peccat mortaliter, de eóque & pœnitere, & confiteri debet ſuo tempore,quantumcunque poſtea mutato propoſito eas debitè recitet, aliàs confeſſio non eſſet integra,quod notandum eſt pro confeſſariis & pœnitentibus.Nau.de orat.cap.7.nu.11.

Hinc,ſi is qui vno die,vel hebdomada,vel menſe,vel anno diuinum officium omiſit,pluries recordatus huius debiti,propoſuit illud non dicere,non tenetur id exprimere in confeſſione, quia adhuc ſolùm eſt vnum peccatum, niſi interruptio facta ſit per contrariam deliberationem.Ita Lop. 2.tom. cap.105.Can.in Relect.de pœnit.p.5. & Philiarch. 2.p.lib.2.cap.22.

Hinc,qui per ſpatium vnius diei, menſis,aut anni propoſuit firmiter non recitare diuinum officiũ, toties peccauit mortaliter, quoties hoc prauum propoſitum depoſuit, & de nouo illud innouauit, quod debet notari tanquam quotidianum,& multi momenti.

Hinc,nõ eſt audiendus Petrus Ledeſm.2.p.tract. 9.cap.4.concl. 14. vbi ait,eſſe vnum & idem peccatum,

catum,licèt multò grauius, ſi quis recitare omitteret officium diuinum vnius menſis, vel anni.Quia licèt hoc verum ſit quantum ad actum internum voluntatis, quo id propoſuit in communi, tamen ſecuta poſtea omiſſione in actu, tot ſunt peccata, quot ſunt dies, in quibus diuinum officium prætermiſit per hebdomadam,vel menſem,vel annum,ſicut qui omittit audire Miſſam in omnibus feſtis vnius anni, tot peccata committit, quot ſunt dies obligationis, quia pro quolibet die eſt diſtinctum præceptum.

QVÆSTIO LXXXI.

An is qui tres, vel quatuor, vel etiam omnes horas omiſit, ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat dicendo in confeſſione, commiſi vnum peccatum mortale in non recitando.

RESPONDEO non ſatisfacere,ſed debere explicare quot horas omiſit,quia peccatum eſt magis,vel minùs graue notabiliter, iuxta numerum horarũ omiſſarũ.Nam licèt magnum ſit diſſidium inter Theologos, an circunſtantiæ quæ notabiliter aggrauant peccatũ intra eandem ſpeciẽ,ſint neceſſariò confitendæ, de quo dixerunt Nauar. cap. de pœnit.diſt.5.nu.5.& in Man.cap.6.n.7.Lop.to. 1.cap.29. Rodriq.to.1.cap.53.nu.3.Tolet.lib.3.ca. 7.Suar.to.4.diſp.22.lect.3. & multi alij,in ea tamẽ ſunt ſentẽtia,quòd circunſtantiæ notabiliter aggrauantes ex parte obiecti,ſunt in confeſſione explicandæ,aggrauantes verò ex parte ſubiecti,vt circũſtantiæ intentionis, & durationis actus non ſunt

confi

confitendæ. Et ratio huius eſt, quia circunſtantiæ ex parte obiecti de ſe ſunt preceptibiles, & faciles cognitu, non ſic quæ ſe tenent ex parte ſubiecti. Henriq. lib. 5. c. 7. §. 6. & Valent. 4. tom. diſp. 7. q 11. Immò eſt hodie per extrauagantem Pij V. neceſſarium, ad hoc vt poſſit confeſſarius colligere, quęnam reſtitutio ſit facienda.

QVÆSTIO LXXXII.

Quando peccatum hoc omiſſionis conſummetur.

RESPONDEO quoad animum conſummari ſtatim, atque voluntariè quis ſtatuit illo die non recitare officium, quod peccatum poteſt multiplicari per moralem interruptionē, & multiplicationē interiorū actuum. Voluntas enim omittendi ſæpius repetitur, dum ſæpius interrupta per contrariā deliberationē renouatur. At verò quoad rē ipſam, nō conſummatur, niſi in fine diei, nimirum in puncto mediæ noctis, quando non eſt ampliùs tempus illā auferendi. Vnde qui manè non recitauit, v. g. Matutinum animo non dicendi illud eo die, nondum reipſa omiſit, quia ſi animum mutet, & ante punctum mediæ noctis dicat, verum eſt dicere, re ipſa non omiſiſſe. Quare ſi lata eſſet excommunicatio contra non recitantes officium, hæc nō incurreretur niſi in fine diei, quia excommunicatio non incurritur ob peccatum internum: ſed ob peccatum externum completum: peccatum autem externum omiſſionis officij non eſt completum quandiu vacat tempus ad illud perſoluendum, cùm intra illud

tem

tempus officium recitari & ſatisfieri poſſit. Ita Suar.lib.4.cap.13.num.19.

QVÆSTIO LXXXIII.

An qui ratione ordinis ſacri, & beneficij ad diuinum officium tenetur, duo peccata ſpecie diſtincta committat, ſi illud recitare prætermittat.

HENRIQ. lib.5. de pœnitentia cap. 5. num.6. Garz.de benef.to.1.3.p.cap.1. num.125.Azor. lib.4.cap.2.q.6. & plerique alij affirmant vnum tãtùm peccatum committere.

Alij verò vt Sanch.lib.9.de matrim.diſp.15. nu. 6.Suar.tom.2.de Relig.lib.4.cap.13. & Macig. cap. 10.numer. 5. & cap.25.numero 10. docent hunc duo peccata committere, vnum contra obligationem ratione ordinis ſacri,alterum verò contra obligationem ratione beneficij. Et ratio eſt,quia tot ſunt ſpecie peccata,quot ſunt virtutes,quæ violantur:atqui hîc nõ ſolùm violatur virtus Religionis, cuius intuitu ſacris initiatus ad diuinum officium obligatur,verùm etiam læditur iuſtitia ratione beneficij,confert enim Eccleſia beneficium eo onere, vt illud poſſidens diuinum officium perſoluat, & aliàs eius redditus non faciat ſuos, ergo beneficiarius diuini officij recitationem omittens,facit contra iſtud pactum,ergo violat iuſtitiam.

Hinc qui horas canonicas recitare prætermittit, tenetur in confeſſione explicare titulos ſuę obligationis,an videlicet teneretur officium ratione beneficij, & ordinis perſoluere: conſtat enim

enim peccata quoad ſpeciem in confeſſione explicanda eſſe: non explicarentur autem, ſi pœnitens hos titulos reticeret, vt confeſſarius aliunde non cognoſceret ſtatum pœnitentis.

Sed profectò licèt hæc ſententia tutior ſit, non tamen probabilitatem primę ſententiæ tollit, quam vt probabiliorem nos ſuprà ſequuti fuimus.

QVÆSTIO LXXXIV.

An qui plura beneficia poſſidet, tot peccata committat, quot ſunt beneficia, dum diuinum officium prætermittit.

ET videtur quòd ſic, quia cùm quodlibet beneficium detur propter officium, plures huiuſmodi concurrunt tituli, & rationes obligationum, & plura ſpecialia pręcepta: ſicut qui frãgit ieiunium in vigilia Sancti Matthiæ, in qua occurrit aliud ieiunium de præcepto, vel qui non audit Miſſam in die feſto, qui incidit in diem Dominicam, duo peccata mortalia committit, vt poſt alios docet Nau. in ſum. cap. 11. num. 4.

Sed hoc non obſtante tanquam certum tenendum eſt, hunc non peccare niſi vnum peccatum. Et ratio eſt, quia quamuis quodlibet beneficium de per ſe ad officium obliget, tamen cum in vna perſona iungantur, ratione omnium vna ſola conſurgit obligatio recitandi, non plures, ac proinde ſi diuinum officium omittit, non cõmittit niſi

vnum

vnum peccatum mortale. & ideo ita tenent Garz. 3.p. cap. 1. num. 142. Henriquez lib. 5. cap. 7. numero 6. Azor. 1. part. lib. 4. cap. 2. quæſt. 6. & multi alij.

Nec ratio dubij obſtat, quia verius eſt ibi non committi niſi vnum peccatum, quia cùm iſta diuerſa præcepta eiuſdem ſpeciei circa eandem numero materiam verſentur, in idem recidere videntur. Vnde in confeſſione non erit opus hanc circunſtantiam exprimere. Ita Henriq. lib. 12. c. 10. §. 3. Vaſq. 1. 2. d. 98. n. 8. & plerique alij.

QVÆSTIO LXXXV.

An peccet, qui cùm diuinum officium perſoluit, verba mutila, & decurtata ſcienter profert.

ET quidem certum eſt, hunc qui cum diuinum officium dicit, mutila verba. & decurtata ſcienter profert, nonnihil peccatum committere. Et ratio eſt, quia qui debet totam aliquam quantitatem, non ſatisfacit dando partem, & quamcunque ſubtrahat inuito creditore peccat, ſed clericus tenetur integrum officium perſoluere, ergo ſi ſcienter aliquam eius partem mutilat, peccatum committit.

QVÆSTIO LXXXVI.

Sed dubium eſt, An hic peccet mortaliter?

RESPONDEO, eum qui dum recitat, notabiliter verba mutila & decurtata ſcienter profert,

mortaliter peccare. Et ratio eſt,quia violat Eccleſiæ præceptum in re graui. Vnde in c.Dolentes.de celebr.Miſſar.clerici,& beneficiarij reprehenduntur, qui tranſcurrendo, & ſyncopando diuinum officium recitant.Et in Conc Baſil. ſeſſ.21.§.4. ſic habetur. Quoſcunque beneficiarios,ſeu in ſacris conſtitutos.cùm ad horas canonicas teneantur, admonet hæc ſancta ſynodus, vt ſi orationes ſuas Deo acceptas fore cupiunt, non in gutture, vel inter dentes,ſeu deglutiendo, aut ſyncopando dictiones, vel colloquia,aut riſus intermiſcendo,ſed ſiue ſoli, ſiue aſſociati,diurnum,nocturnúmque officium reuerenter,verbíſque diſtinctis perſoluant. Hæc ibi. Hoc autem intelligitur, niſi excuſetur ob præcipitantiam linguæ, aut balbutiem, aut ſolitam conſuetudinem,quam corrigere nequit.

Hinc, qui dum recitat, tantam partem verſuum, vel pſalmorum ſcienter omittit,ita vt ex omiſſis,vel malè,ac corruptè recitatis, conſtituatur pars notabilis,peccat mortaliter.Et ratio eſt,quia qui ſic recitat,omittit partem notabilem horarum, nec recitat eas integras, ac proinde Eccleſiæ præceptum non implet.Quæ culpa grauior eſt,cùm fit à toto choro, quàm cùm fit ab vno,vel altero tantùm, tunc enim afferret ſcandalum populo audienti,& eſt irreparabilis mutilatio,cùm non poſſit repeti publicè,quod ſemel cantatum eſt. De ea autem primò participat qui præeſt choro,deinde alij cooperatores.

Hinc qui ob ſolam negligentiam toties ſyllabas contrahunt,& dictiones deglutiunt,vt iudicio boni viri fiat notabilis confuſio, peccant mortaliter. Et ratio eſt,quia notabiliter minuunt officium, & inturbant deuotionem.Ita Nau.in Man.c.25.n.98.

Vnde

Vnde D.Bern.in ſerm.47. in Cant.Non præcidẽtes, inquit,verba dimidia,non integra tranſilientes,non fractis,& remiſſis vocibus, muliebre quiddam balbadenare ſonantes,ſed virili,vt dignum eſt,& ſonitu,& affectu voces ſancti Spiritus depromamus.

Hinc peccant mortaliter, qui recitando,vel canendo,notabiliter anticipant verſus,omittentes audire vltimam ſyllabam verſuum, quos alij recitant, vel canunt, nam præterquam quòd audire non ſinunt partem horarum,quam ſocij audire tenentur, prætermittunt, & confundunt intellectum eius, quod recitatur, & cauſam dant propriæ & alienæ diſtractioni,omittendo audire finem verſuum aliorum, & non permittendo principium ſuum audiri ab alijs. Qui ſanè defectus eſt intolerabilis ſecundùm Nauar. in commentario de ſilentio,ac proinde à choro penitus expellendus. Vnde huiuſmodi tales conſiderare deberent viſionem illam relatam à ſancto Antonino 2.p.tit.9.cap.13.§.3.de quodam Patre ſancto, cui videnti in choro diabolum mũlta imponentem ſacco,& interrogatum quid imponeret, reſpondiſſe ſyllabas, & verba, quæ hi, vel illi omittunt,vel degluciunt inter dentes,vel verſus incipiunt, antequã ſocij ſuos perſoluãt,vel malè verba pronũciant,vt illos eius rei accuſaret in iudicio.

Hinc qui dicit horas cùm notabiliter balbutiente propter linguæ impedimentum itaut non bene pronunciet; ſine animo repetendi, peccat mortaliter. Quia agit contra Eccleſiæ præceptum in cap. Dolentès. de celebr.Miſſarum. Et in Clem.1. eod. tit.& in Conc.Baſilien.ſeſſ.21.§.2.

Animaduertant autem qui timidam conſcienciam habent,non teneri ad repetendas horas in caſu

quo exiſtimant ſe vel non integrè pronunciaſſe, vel aliquo modo ſyncopaſſe, vel verba aliqua non voce, ſed gutture dixiſſe, dummodo defectus non ſit valdè notabilis: nam tunc ſatis erit, vt de huiuſmodi defectibus pœnitentiam agant.

Ex qua reſolutione colligitur intelligentia priuilegij quod conceſſit Leo X. Minoribus, ſcilicet quòd ſatis faciunt præcepto, cap. Dolentes. de celeb. Miſſar. etiam ſi propter aliquam fatigationem, vel aliam cauſam dicant diuinum officium ſedendo aut deambulando, vel non integrè proferendo verba, prout ſunt ſcripta, propter negligentiam, aut imperitiam, vel malam prolationem naturalem, propter defectum linguæ, &c. Quod ſcilicet, non ſit intelligendum de omittentibus partem notabilem, in his enim non militat ea ratio, quæ militat in parte non notabili, nam priuilegia ſunt reſtringenda, & non amplianda in his, quæ poſſunt eſſe occaſio peccandi.

Dices, Si hoc ita eſt, ergo nihil prodeſt huiuſmodì priuilegium.

Reſpondeo, quòd licèt huiuſmodi priuilegium nihil concedat vltra ius, multum tamen confert, tum ad pacandas ſcrupuloſas, & timoratas conſcientias fratrum, tum ad tollendam obligationem, qua Religioſi interdum tenentur ſub veniali ſupplere aliquos defectus, qui inter recitandum committuntur, nam hoc priuilegium non excuſat à peccato veniali eos, qui committunt defectus in eo contentos, ſolùm enim conceditur in fauorem recitantis, vt non obſtantibus dictis defectibus, cenſeantur Eccleſiæ præcepto ſatisfacere, etiam ſi eos poſtea non ſuppleant.

QVÆST.

QVÆSTIO LXXXVII.

An qui partem aliquam diuini officij prætermiſit, teneatur totum officium iterum recitare, an verò ſufficiat partem omiſſam ſupplere.

ET quidem ſi omiſit etiam culpabiliter partem aliquam exiguam, puta pſalmum, vel lectionem vnius horæ, ipſa peracta, poterit ſupplere, nec tenetur à principio incipere horam illam.

QVÆSTIO LXXXVIII.

Sed dubium eſt, quando pars omiſſa ex incuria eſt notabilis.

ARMILLA verbo hora §. 15. tenet cum Archidiac. quem citat, quòd non ſufficit ſupplere, ſed oportet totum repetere officium integrè.

At omninò dicendum eſt, quòd ſufficit ſupplere omiſſum. Et ratio eſt, quia ordo ſecundùm omnes non eſt ſubſtantialis, vt illo omiſſo, ſit mortale peccatum. Conſulendum tamen eſt, vt totum officium repetatur integrè propter decentiam.

QVÆSTIO LXXXIX.

An qui itinere fatigatus lecto ſuccumbit cum intentione recitandi in eo memoriter completorium, & inter recitandum obdormiat, cum illius omiſſione, peccet mortaliter.

Respondeo eum peccare mortaliter, ſi ſciebat, aut ſcire debebat, quòd attenta ſua complexione, & conſuetudine illis horis ſomno præoccupari, nec expergiſci ſolitus erat. Ratio eſt, quia in hoc caſu talis omnino eſt voluntaria in ſua cauſa. Ita Nauar. de orat. cap. 9. nu. 7. Suar. lib. 3. cap. 26. & Reginal. lib. 18. num. 157.

Idem dicendum eſt de eo, qui voto, aut pœnitentia tenetur dicere Roſarium, aut quippiam aliud, & antequam illud perſoluat, in lecto decumbit, vt illud in eo recitet.

QVÆSTIO XC.

An qui ſemidormiens ita diuinum officium perſoluit, vt neſciat, an erret, vel audiat quod dicitur, peccet mortaliter.

Respondeo eum peccare mortaliter, niſi habeat animum ſupplendi poſtea huiuſmodi defectum, & intra eandem diem ſuppleat. Et ratio eſt, quia

quia ſopitis, ſenſibus vt fit in ſomno, non habetur rationis vſus ſufficiens ad actum virtutis, qualis eſt diuini officij recitatio, quæ eſt actus Religionis. Ita Nauar. de orat. cap. 9. nu. 9. qui addit eum, qui ſic reſiſtit ſomno obrepenti inter recitationem, vt pronunciet ſuum officium, cum tanta attentione, vt ſaltem videat ſe non omittere verba, licèt ob grauamen ſomni non attendat ad ſignificationem illorum, nec meditetur diuina, nullum peccatum committere.

QVÆSTIO XCI.

An qui per metum vel vim horas canonicas recitat, Eccleſiæ præceptum adimpleat.

AD hoc dico primò, quod qui per metum etiam grauem horas canonicas recitat, Eccleſię præceptum adimplet. Ratio eſt, quia metus quamuis grauis voluntarium non tollit, ergo qui metu preces horarias exoluit, reuera præceptum adimplet.

Secundò dico, quòd qui per vim abſolutam diuinum officium perſoluit, Eccleſiæ præcepto non ſatisfacit. Et ratio eſt, quia vis abſoluta voluntarium tollit. Azor. lib. 10. cap. 22. q. 9.

QVÆSTIO XCII.

An qui priuata authoritate aliquid addit Breuiario Romano, aliquod peccatum committat.

Respondeo eum peccare, quia facit contra præceptum Pij V. in ſua Bulla, vbi ſic habetur. *Statuentes Breuiarium ipſum nullo vnquam tempore, vel totum, vel ex parte mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omninò detrahendum eſſe.* Et ſi hoc fit in re graui, eſt peccatum mortale, in re verò minima veniale, vt ſi quis vellet in officio facere commemorationem alicuius ſancti, quando iuxta rubricas Breuiarij facienda non eſſet. Illud tamen eſt aduertendum, quòd quamuis additio non eſſet magni momenti, eo ipſo quòd fieret in choro quaſi perpetuo ritu, eſſet res grauis cenſenda ſecundùm Suar. lib.4.c.13.n.15.& Filiuc.tract.23.q.11.

Hinc, qui aliquid addit diuino officio non tanquam partem ipſius, ſed tanquam aliquid extrinſecum, ſeu cōcomitanter ad maiorem ſolemnitatem, non peccat, vt ſi inter vnum, & alterum pſalmum aliquod mottetum canatur, ad organum, hoc enim nullo iure vetatur, modò cantus non ſit laſciuus, vel prophanus.

QVÆSTIO XCIII.

An Sacerdos cùm ſolus, aut cum vno ſolo ſocio recitat, debeat vti hac ſalutatione, Dominus vobiſcum.

Respondeo debere. Et ratio eſt, quia ſacerdos cùm ſalutat, non ſolùm videtur ſalutare præſentes, vel præſentem, ſed etiam Eccleſiam totam, & maximè particularem, cui deſeruit, cuiúſve beneficio viuit. Nau. Miſc.67. & in hoc omnes Doctores conueniunt.

QVÆSTIO XCIV.

Sed dubium eſt; An hæc ſalutatio poſſit fieri ab aliis quàm à ſacerdotibus.

RESPONDEO non poſſe, vt rectè Duran. lib. 4. ration. diuini officij cap. 14. reſoluit. Quod eſt adeo verum, quòd nec Diaconus debet ea vti, niſi cùm cantat Euangelium, vel cereum Paſchalem benedicit.

QVÆSTIO XCV.

An qui recitat officium ſedendo, cùm ſtandum eſt, aut ſtando, vel ſedendo, dum genibus flexibus recitandum eſt, aliquod peccatum committat.

ET quidem loquendo de eo qui publicè recitat in choro, certum eſt eum qui abſque vlla iuſta cauſa recitat officium ſedendo, cùm ſtandum, vel genuflectendum eſt, peccare, quia debitam Deo reuerentiam non exhibet, & præſefert quandam ſpeciem contemptus, dum aliis genuflectentibus, ipſe ſine vlla cauſa ſtat, vel ſedet. Tum quia non obſeruat conſuetudinem, & modum præcepti: non tamen peccat mortaliter, nec tenetur repetere, quia adimplet præceptum quoad ſubſtantiam.

QVÆSTIO XCVI.

Sed tota difficultas verſatur de eo qui priuatim diuinum officium recitat.

NAVAR. de oratione cap. 4. num. 15. affirmat eum peccare venialiter. Sed hoc mihi non probatur, quia ritus recitandi officium hoc modo non videtur teſtante generali mundi vſu ſub rigore præcepti, ſed ſolùm maioris deuotionis gratia receptus, ſaltem in priuata oratione.

QVÆSTIO XCVII.

An horæ canonicæ ſine vlla interruptione ſint recitandæ.

QVÆ dubitatio non intelligitur de interruptione, quæ fit inter vnam, & alteram horam, quam perſpicuum eſt, fieri poſſe. Quia licèt horæ canonicæ ſint partes vnius officij diei, non ſunt tamen partes continuæ, ſed diſcretę, & ideo diuiduntur per interruptionem adinuicem, quod etiam nomen ipſum indicat, ex eo enim dicuntur horæ canonicæ, quia ſunt preces certis diei horis diuerſis deputatæ per ſacros canones.

QVÆSTIO XCVIII.

Quæſtio igitur eſt de interruptione, quæ fit inter partes vnius, & eiuſdem horæ, inter vnum Pſalmum, & alium, vel inter Pſalmos, & lectiones, aut inter partes vnius Pſalmi, vt ſi quis inchoatis veſperis vocetur ab amico ad ludum, ad negotia, vel ad alia.

ET quidem loquendo de pauſa, quæ fit in medio cuiuſlibet verſiculi Pſalmorum, certum eſt, eam eſſe potius commendatam, quàm prohibitam, vt conſtat ex Concilio Baſilienſi ſeſſ. 21. §. 2.

QVÆSTIO XCIX.

Tota igitur difficultas verſatur de interruptione, quæ fit, quando quis aliquam horam incœptam intermittit animo continuandi ac perficiendi reliquum illius horæ inchoatæ, ſtatim ac illud impedimentum ceſſauerit. An videlicet talis interruptio ſit licita.

ET quidem ſi talis interruptio notabilis,nimia, & inuſitata fiat à toto choro ſine vrgente cauſa, certum eſt, eſſe peccatum mortale. Quia eſt contra ritum, & inſtitutionem Eccleſiæ, in qua diſcrepare in publica recitatione ex ſuo genere mortale eſt, niſi vel materiæ leuitas, vel aliqua inaduertentia excuſet.

Tum quia non fit hoc in choro ſine aliquo ſcandalo tum clericorum in eodem choro aſtantium, tum laicorum audientium, vel videntium.

QVÆSTIO C.

Sed quod habet difficultatem eſt, quando talis interruptio fit extra chorum.

IN qua re etiam illud eſt certum,talem interruptionem in quacũque hora eſſe peccaminoſam, ſi ea ſit nimia & abſque iuſta cauſa fiat. Et ratio eſt, tum quia id ſpecialiter prohibetur in cap. Dolentes. de celeb. Miſſar.

Tum quia eſt contra vnitatem moralem cuiuſque horæ, & contra ritum, & inſtitutionem, quæ non parum violatur per hanc interruptionem, quando eſt inuſitata.

Tum etiam, quia ſi inciuile eſt, ſermonem cum terreno Principe lubenter auſcultante cœptum ex leuitate animi, & ſine cauſa interrumpere, vt ad plebeium, ac infimæ claſſis hominem ſermonem ſuum conuertat, animo ad Principem iterum redeundi ad perficiendum, & pertractandum negotium antea cœptum, multò magis erit inciuile

ſic

ſic inire colloquium cum Deo, Rege Regum & Domino Dominantium, vt ſine tantæ Maieſtatis reſpectu pro ſola animi libidine, nullâque cogente cauſa, illo interrupto, ad alia inutilia nos, ipſo vidente, applicemus.

Dixi primò, *ſi ſit nimia*, quia ſi eſt breuiſſima, nullum erit peccatum, etiam ſi fiat abſque iuſta cauſa, quia parum pro nihilo reputatur, & vno, duobus, vel etiam tribus verbis, oratio interrumpi non videtur moraliter loquendo.

Dixi ſecundò, *ſi fiat abſque iuſta cauſa*, quia qui aliquid ex iuſta cauſa agit, prudenter operatur, ac proinde excuſari poteſt etiam à veniali culpa, vt ſi incœpto officio opus ſit concionem audire, aut habere, aut orationem facere, aut ſuperioris iuſſu, vel ex charitate proximi occurrat aliquod opus faciendum, quod non poteſt commodè in aliud tempus differri. Quando tamen huiuſmodi impedimenta ſunt præuiſa, debent vitari quantum commodè fieri poteſt, idque vel illa opera anticipando, vel diuinum officium alio tempore dicendo. Ita Nau. de oratione cap. 16. num. 68. & 69. & alij communiter.

Hinc non peccat, qui incœpto officio, aliquod opus miſericordiæ ſpiritualis, aut corporalis interponit, cuiuſmodi eſt dare eleemoſynam pauperi, ſubuenire conſilio bono, doctrina, reprehenſione, vel conſolatione opus ei habenti. Quia hæc non cenſetur moralis interruptio, diuini officij, cùm hæc omnia dirigantur ad Deum.

Hinc, eadem ratione poterit quis abſque peccato exonerare aluum, vel potionem aliquam ſumere, aut excipere hoſpitem, cui vt expectet, ſine

nota inurbanitatis dici non poteſt, & alia ſimilia opera pietatis facere, quando non poſſunt talia opera commodè differri, vel ex dilatione aliquod commodum ſequeretur.

Hinc non peccat, qui incœpto officio, verba habet cum ſocio, vel ad intelligendum ea, quæ recitantur, vel ad maioré deuotioné in reliqua parte officij excitandam, vel ad tollendam aliquá occaſionem diſtractionis, vt quia aliquid interiùs eius menté ſollicitat, illud breuiter notat, ſeu ſcribit, aut famulo præcipit, vel quid ſimile. Quia hæc omnia iuuant orationem, & ſunt conſentanea fini eius.

Hinc poterit, qui ſolus recitat in contemplatione alicuius verſus immorari, & accendere lumen, libros quærere, & alia id genus interponere, quia hæc licitè durante officio fiunt, cùm ad illud, vel eius finem pertineant.

Hinc non peccat, qui ſolus recitans, & incidens in illa verba Pſalmi 31. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, &c. & ad memoriam reuocans multitudinem, malitiam, & fœditatem ſuorum peccatorum, immoratus in eis deplorandis, etiam ſi feruore diſplicentiæ fortè ſeipſum cædat, aut corpore in terram proſtratus, & animo erectus in cælum, aliquanto tempore in eo verſetur.

Hinc, ſi quis ſolus recitans, incidit in verſiculum illum. *Venite exultemus Domino*, &c. in mentem eius ſubeat Maieſtas, & celſitudo creatoris, & vilitas creaturæ, & perpendens quantum illi debeat, in terram ſe proſternat, dicens. *Domine non ſum dignus*, & ſe tantiſper in eo occupat, non peccat, nec tenetur recitatum repetere, ſed ſufficit cœptum continuare.

Hoc idem dicendum eſt de Roſario, corona, aliiſque orationibus ex voto, iuramento, vel confeſſarij iuſſu debitis. Quia hæc inſtar aliorum præceptorum obligant. Azor. lib. 10. cap. 8. quęſt. 3. & 8.

QVÆSTIO CI.

Tota igitur præſens controuerſia verſatur, An qui ſine iuſta cauſa diuinum officium interrumpit, præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat, vel lethalem culpam incurrat.

ET quidem ſi interruptio ſit modica, puta per vnum quadrantem horæ, aut eo ampliùs, certum eſt, eum qui ſic diuinum officium interrumpit, præcepto Eccleſiæ ſatisfacere, nec lethalem culpam incurrere, ac proinde nec repetere quod ante recitatum eſt.

QVÆSTIO CII.

Quæſtio ergo tantùm eſt, quando officium ad longum tempus interrumpit ſine iuſta cauſa, puta per riſum, iocos, aut ſermones alioqui otioſos, & vanos.

NAvar. de orat. cap. 16. num. 75. Med. C. de oratione q. 16. Emmanuel Sà verb. horæ ad finem, Angles de oratione q. 5. diff. 5. Macig. cap. 87. num.

num. 12. & Azor. lib. 10. cap. 8. q. 5. teneat eum lethalem culpam incurrere, & oneri Diuini officij recitandi non ſatisfacere, ſed ad illius repetitionem obligari. Et probant primò, quia in Concilio Toletano VII. prout refertur in cap. Nihil. 7. q. 1. ſub pœna excommunicationis cauetur, ne quis diuina officia interrumpat, pœna autem excommunicationis mortalem culpam requirit.

Tum quia quando eſt magna intermiſſio, priora, & poſteriora non efficiunt vnam orationem, vnum officium diuinum, ac proinde ex illis partibus non conſtituitur officium, v. g. primæ, vel tertiæ. &c.

Sed quamuis ſententia hæc ſit valdè probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum interrumpentem diuinum officium ad longum tempus non peccare mortaliter, ſed ſatisfacere præcepto Eccleſiæ quo ad ſubſtantiam, modò poſtea reliquam partem abſoluat, etiamſi partem priùs dictam non repetat. Et ratio eſt, quia nulla eſt ratio, quæ efficaciter perſuadet contrarium, præcipuè cùm ſit hoc præceptum recitandi officium diuinum, onus pœnoſum, & per conſequens debeat reſtringi.

Tum quia verum eſt dicere, hunc intra eundem diem totum diuinum officium recitaſſe, ergo etiam verum erit dicere, præcepto Eccleſiæ ſatisfeciſſe. Conſequentia conſtat, quia ille præcepto Eccleſiæ ſatisfacit, qui facit opus ab Eccleſia præceptum, hic autem facit opus ab Eccleſia præceptum, ergo.

Tum quia non eſt de ſubſtantia ſingularum horarum vt continuentur: & preces interruptæ

efficiunt

efficiunt vnum officium, ſuámque habent ſignificationem, ſicut multæ confeſſiones interruptæ integrant vnam confeſſionem generalem, obtenta in fine abſolutione. Vnde ſicut confeſſio non deſinit eſſe vna, eo quòd diuidatur in diuerſa tempora, ita nec officium primę, vel tertiæ amittit ſuam neceſſariam vnitatem per hanc diuiſionem, quia illa magis conſiſtit in integritate, quàm in continuatione.

Tum demum, quia ſinguli Pſalmi, immò ſinguli penè verſiculi perfectam habent ſignificationem, ſúntque per ſe, vel oratio quædam, vel laudatio, vel ſententia non habens neceſſariam cum alijs connexionem. Et ideo ita tenent Arag. 2. 2. q. 83. art. 12. Rodriq. 1. p. cap. 141. nu. 3. Nald. verb. diuinum officium nu. 4 & alij.

Hinc qui diuinum officium incœpit, & poſtea interrupit cum animo continuandi cum præcedentibus ſequentia, non tenetur in integrum de nouo recitatum repetere, eſto cauſa fuerit indecens, & tempus interruptum fuerit magnum. Et ratio eſt, quia legis, & præcepti ſubſtantiam ſeruauit.

Ex quibus omnibus infertur, quòd quemadmodum multi peccant recitando aliquod, ad quod non tenentur, qui non peccarent, ſi non recitarent, eò quòd ſine attentione debita recitant, ita multi peccant omittendo, vel interrumpendo orationem cœptam, vt v. g. coronam, ſeptem Pſalmos, Pater noſter, Aue Maria, quę non erant obligatoria, qui non peccaſſent, ſi ea non incœpiſſent.

Et ad argumenta in contrarium adducta reſpon-

deo, & ad primum dico primò, Concilium Tolet. loqui de interruptione ſacrificij Miſſæ,quia vt patet ex ipſo textu loquitur de ſacerdote Miſſam celebrante.

Secundò reſpondeô, præfatum Concilium, etſi daremus loqui de horis canonicis, explicandum eſſe de omnimoda interruptione, quæ fit animo non recitandi ea quæ ſuperſunt perſoluenda.

Ad ſecundum reſpondeo, ex partibus vnius lõgæ orationis tempore diuiſis, poſſe conſtitui vnam orationem, vnum officium diuinum, ſicut ex multis confeſſionibus vna integra confeſſio.

QVÆSTIO CIII.

An qui incœptum officium interrumpit, animo, & voluntate repetendi id, quod iam recitauit, ſuæ obligationi ſatisfaciat, ſi poſtea non repetat, ſed ſolum continuet reliquum quod ſupereſt.

NAVAR. de orat. cap. 16. num. 73. affirmat hunc ſuo muneri non ſatisfacere, niſi quod iam recitatum eſt, repetat.

Sed mihi dicendum videtur, eum ſuæ obligationi ſatisfacere,etiam ſi nihil repetat, modò quod intermiſſum eſt proſequatur. Et ratio eſt, quia ille ſatisfacit præcepto,qui facit opus ab Eccleſia præceptum: ſed hic facit opus ab Eccleſia præceptum, cùm Eccleſia non præcipiat recitari officium animo repetendi, ſed ſimpliciter præcipit quotidie recitari diuinum officium,ergo ſatisfacit præcepto.

Et

Et confirmatur, nam qui die feſto audiuit ſacrum animo non ſatisfaciendi præcepto, ſed audiendi aliud, poteſt mutare animum, & non audire. Et ratio eſt, quia opus præceptum non eſt, v. g. audire ſacrum animo implendi præceptum, ſed ſimpliciter audire ſacrum attentè, & deuotè: hoc autem fit, etiam ſi fiat animo non adimplendi præceptum. Quare ſatisfactum eſt intentioni Eccleſiæ, quo ad rem præceptam, & non incurret cenſuram non audienti poſitam. Et ideo ita tenent Valent. 2. 2. d. 6. q. 2. p. 10. Suar. lib. 4. cap. 24. in fine. Vaſq. in opuſc. de benef. cap. 4. §. 1. dub. 7. num. 114. Henriq. de Miſſa cap. 25. nu. 6. & alij.

QVÆSTIO CIV.

An qui quotidie tenetur dicere Roſarium, aut Pſalterium, cogatur illud continuè dicere, vel ſatisfaciat dicendo vnam partem manè, aliam ſub meridie, & aliam ad veſperam.

RESPONDEO ſatisfacere. Et ratio eſt, quia continuatio non eſt de ratione Roſarij, aut Pſalterij, & quia ea dicit in diſtinctis horis diei, integrè recitat, ergo. Ita Nauar. de oratione cap. 10. numero....

Hinc, qui ſemel in hebdomada tenetur dicere Roſarium, ſatisfacit dicendo tertiam, vel quartam partem ſingulis diebus propter eandem rationem. Suar. lib. 3. cap. 9. num. 15.

- Hinc, qui præceptum habet viſitandi quinque altaria, vel templa per vnum diem, illud obſeruat, etiam ſi interruptis horis intra eandem diem id faciat.

QVÆSTIO CV.

An tres vigiliæ nocturnæ poſſint ſeparatim recitari.

RESPONDEO poſſe, ſi ſubſit cauſa iuſta. Et ratio eſt, quia, vt diximus, interruptio diuini officij iuſta de cauſa excuſari poteſt à peccato. Tum quia ſic antiquitus fiebat. Tum quia in recitatione officij mortuorum ſingulæ vigiliæ nocturnæ ſolent in Eccleſia recitari cum laudibus, vel veſperis ſeorſim ab alijs nocturnis, ergo inter nocturnas officij canonici non videtur adeſſe tanta connexio, quin iuſta aliqua de cauſa ſeorſim ab aliis licitè recitari queant.

QVÆSTIO CVI.

An officium nocturnum diuidi iure poſſit à Matutinis laudibus.

RESPONDEO, olim diuidi ſolebat, vt teſtatur Francolinus in tract. de temp. horarum canon. cap. 2. nu. 13. & nunc etiam Eccleſia diuidit in nocte Natalis Domini, dum illis interponit primã Miſſam, & in noſtro ordine Ciſtercienſi, octaua hora

hora noctis Pſalmi nocturni concinuntur, & deinde ſub aurora Matutinæ laudes decantantur. Nunc autem iuxta Breuiarium Romanum iure diuidi non poſſunt, quia habentur tanquam officiũ vnius horę.

QVÆSTIO CVII.

An mortaliter peccet, qui ſine rationabili cauſa officium nocturnum à Matutinis laudibus ſeiungit?

Respondeo, eum non peccare niſi venialiter. Nau. de orat. cap. 3. num. 28. Tolet. lib. 2. cap. 13. Azor. lib. 10. cap. 8. q. 4. & alij.

QVÆSTIO CVIII.

An quando Matutinum ſeorſim à laudibus decantatur, dicendum ſit ante laudum initium, Pater noſter *cum* Aue Maria.

Azor. lib. 10. cap. 8. q. 4. negat, cùm nullo præcepto hoc præſcribatur.

At verò Nauar. de oratione cap. 3. num. 66. Rodriq. tom. 1. cap. 141. num. 5. & Victorell. in annot. Toleti lib. 2. cap. 13. affirmant, eo quòd tunc laudes ab officio Matutino diſtinctè inchoantur.

Tum quia id ſeruatur in cæteris horis, quæ ſeorſim ab aliis recitantur.

Tum etiam, quia facit Regula illa Breuiarij Pij V. in fine Regularum generalium, quòd *Pater noſter* cum *Aue Maria*, ante omnes horas debet præmitti.

QVÆSTIO CIX.

An in Eccleſiis vbi Matutinum more antiquo ſeorſim à laudibus decantatur, vel priuatim extra chorum recitatur, in Matutini fine dici debeat Pater noſter, *cum* Aue Maria *ſecundùm Breuiarij Pij V. formulam.*

Azor. lib. 10. cap. 8. quæſt. 4. negat. Quia de hoc nullum eſt præceptum, licèt in nocte Natalis Domini fiat.

At verò Nauar. de oratione cap. 3. num. 66. Garz. de beneficiis 3. p. cap. 1. Rodriq. tom. 1. cap. 141. num. 5. Victorellus in annot. Toleti lib. 2. cap. 13. & Filiuc. tract. 23. cap. 6. num. 111. & 238. affirmant. Quia recitatur per modum horæ diſtinctæ.

Tum quia canones præcipiunt, vt cuiuſlibet horæ officium diuinum per orationem Dominicam cum ſalutatione Angelica terminetur.

Tum demum, quia id ſeruatur in cæteris horis, quæ ſeorſim ab aliis recitantur.

QVÆ-

QVÆSTIO CX.

Vtrùm recitatio diuini officij, quæ iuſſu Eccleſiæ funditur, vim habeat ex opere operato.

RESPONDEO minimè, ſed operantis. Ratio eſt, quia illud prodeſt ex opere operato, quod ex diuina inſtitutione aliquem producit effectum vltra meritum, & diſpoſitionem agentis, & recipientis: recitatio autem diuini officij non prodeſt vltra meritum Eccleſiæ cuius nomine offertur, ergo.

Tum quia valor Miſſæ reſpondens precibus, & orationibus quæ in Miſſa dicuntur, non prodeſt ex opere operato, vt cum Aragona, Valentia, Suar. Vaſq. & aliis viris doctiſſimis reſoluit Bonacina de ſacramentis diſp. 4. q. vlt. p. 4. num. 7. ergo neque fructus diuini officij quod non minoris momenti eſt, prodeſt ex opere operato. Et ideo ita tenent Couar. cap. Alma mater. p. 1. §. 5. nu. 7. Petr. Nauar. de reſt. lib. 2. c. 20. nu. 49. & Corduba lib. 1. quæſt. 3.

QVÆSTIO XCI.

An qui ratione ordinis ſacri, vel beneficij diuinum officium perſoluit, eiuſmodi oratio proſit aliis, quamuis qui recitat, in ſtatu peccati mortalis exiſtat.

Respondeo prodeſſe. Et ratio eſt, quia malicia miniſtri non nocet operi boni auctoris, auctor autem videtur Eccleſia, cuius nomine oratio offertur. Sicut ſi dominus aliquis per ſeruum eleemoſynam erogaret, fructu non careret ſuo, tametſi ſeruus ſit improbus.

Tum quia preces, & orationes quas ſacerdos in ſacrificio Miſſæ Deo fundit, fructuoſæ ſunt, quamuis talis ſacerdos ſit malus, ergo diuinum officium, quod iuſſu & nomine Eccleſiæ funditur, ſuo fructu non caret, tametſi ab improbo clerico perſoluatur. Et ideo ita ſentiunt Sotus in 4. diſt. 13. quæſt. 1. art. 6. Med. de orat. quæſt. 17. Couar. c. alma mater p. 1. §. 5. nu. 7. & Suar. lib. 4. cap. 12. num. 2.

QVÆSTIO CXII.

An qui ad Horas Canonicas tenentur, ſuæ obligationi ſatisfaciant, recitando eas ex quouis Breuiario alio quàm ſui Epiſcopatus.

Et quidem quæſtio intelligitur, quando in particulari recitantur horæ, nam de choro non eſt dubium teneri ſingulos ad cantandum diuinum officium iuxta Breuiarium in ſua diœceſi, vel ordine approbatum, & receptum.

Diuus Antoninus 3. part. tit. 13. cap. 4. §. 2. Angel verbo hora num. 12. & 14 Syluest. queſt. 1. Tab. q. 10. & 16. Nauar. in Manual. cap. 25. nu. 10. 7

& Card. Bellarm. lib. 1. de bonis operibus cap. 18. dicunt eos qui nullum habent beneficium, ſed titulo patrimonij ſunt ad ordines promoti, poſſe pro libito quouis Breuiario vti, dummodo legitima authoritate approbatum ſit in aliqua Prouincia, Diœceſi, aut Religione. Et probant, quia iſti non tenentur certæ alicui Eccleſiæ inſeruire in hoc munere recitandi; ſed tantùm Eccleſiæ Dei, ergo ſatis eſt, ſi dicant aliquod officium in Eccleſia approbatum. Secus ſi ſunt ordinati titulo beneficij, quia tunc tenentur ſequi formulam eius Eccleſiæ, cuius habent beneficium.

Caiet. verb. hora cap. 2. & Armilla ibidem §. 7. docent vniuerſim omnibus clericis fas eſſe vti Breuiario Eccleſiæ Romanæ, non autem aliarum Eccleſiarum, ſed ſolùm ſuæ Diœceſis. Quia Eccleſia Romana eſt omnium clericorum Mater communis, ſicut communis etiam omnium patria Roma cenſetur.

At verò Sotus lib. 10. de iuſt. q. 5. ar. 3. Nauar. de oratione cap. 19. num. 211. & cap. 22. num 18. & plerique alij negant licere clerico vti alio Breuiario, præterquam ſuæ Diœceſis, etiamſi ſolùm titulo patrimonij ſit ad ordines promotus: ſicut aliquis quilibet Religioſus ſui inſtituti, & ordinis formulam tenere, & ſeruare iure compellitur. Pro quo

Primò dico, quòd ſtando in iure communi antiquo, omnes clerici qui ad horas canonicas obligantur, tenentur ſub mortali eas recitare priuatim iuxta Breuiarium in ſua diœceſi, vel ordine approbatum, & receptum, alioqui ſuo muneri non ſatisfaciunt, vt colligitur ex cap. de iis. & cap. Placuit.

diſt. 12. vbi præcipitur, vt vnuſquiſque Prouinciæ ciuis, Rectoréſque Eccleſiarum vnum, eundémque in pſallendo teneant modum, quem in Metropolitana ſede cognouerint inſtitutum, nec aliqua diuerſitate ordinis, vel officij à Metropolitana ſede patiantur ſe diſiungi. Et hac ferè ratione vtitur D. Tho. quodlib. 1. ar. 3. vbi concludit vnumquemque debere conformari eorum conſuetudini, cum quibus viuit.

Et confirmatur, nam in Clem. 2. de celebrat. Miſſar. conceditur clericis ſæcularibus, & Religioſis Cardinalium, & Epiſcoporum familiaribus facultas vt poſſint diuinum officium recitare eo modo, quo ipſi Cardinales, vel Epiſcopi penſum horarum canonicarum perſoluunt. Quod vt ibi notat Gloſſa, neceſſarium non fuiſſet, ſi quod authores primæ opinionis aſſerunt, verum eſſet. Quam doctrinam Nauar. cap. 19. num. 215. etiam extendit ad clericos ſæculares, ad ordines promotos ad titulum ſui patrimonij. Quia quamuis non habeant beneficium, ſubditi tamen ſunt Epiſcopo ſui domicilij, illiúſque ſynodalibus legibus parere tenentur in his, quę ad omnes æquè pertinent: ſicut recitatio diuini officij æquè pertinet ad omnes tam habentes beneficium, quàm eo carentes.

Hinc, Regulares vt ſatisfaciant obligationi, quæ eis ex ſua profeſſione incumbit recitandi horas canonicas, tenentur ſub mortali ſequi eam Breuiarij formulam, qua ſedis Apoſtolicæ approbatione vtitur ordo, cuius inſtitutum profeſſi ſunt, vt conſtat ex cap. De his. & cap. Placuit diſt. 12. vbi Regulares compelluntur ſui inſtituti, & ordinis recitandi formulam tenere, & ſeruare. Ita Sotus lib. 10. qu. 5.

ar. 4.

ar.4. & expreſſiùs Tab. verb. hora num. 16. & Nauar. id colligit ex pœna graui quæ in dictis iuribus imponitur.

Secundò dico, quòd ordinatus, & intitulatus ad certam Eccleſiam, tenetur dicere horas canonicas iuxta formulam ibi conſuetam: atque adeò ſecundùm Epiſcopi ſui ſpecialem Regulam, ſi aliqua detur: alioqui ſecundùm Regulam Metropolitani. Quia non retineretur alioqui formulę vnitas, quam in horarum canonicarum recitatione ſeruandam commendant ſacri canones, vt patet ex dictis.

Tertiò dico, quòd Regularis præfectus Eccleſiæ ſæcularis, tenetur ſequi conſuetudinem Eccleſiæ, ad quam tranſit, ſi ad eum transferatur in perpetuum. Secus ſi tantùm ad tempus, quia tunc debebit officium ſuum regulare retinere. Ita Syluest. verb. hora quæſt.1. & Rodriq. tom.1. de regularib. quæſt.43. ar.17.

Quartò dico, quòd Religioſus qui liber eſt à choro, nec vlli Regulæ ſubeſt, qua certam formam ſeruare teneatur, per ſtatutùm à ſede Apoſtolica approbatum, tenetur ſequi Regulam Epiſcopi cui ſubeſt, aut ſi exemptus ſit, vti nouo Breuiario Romano. Nauar. lib.5. conſ. titul. de celebrat Miſſar. conſ.16.

Quintò. & vltimò dico, quòd iure nouo authoritate Pij V. conſtituto, omnes clerici tum ſæculares tum Regulares, tenentur, tam in choro, quàm extra chorum dicere horas canonicas iuxta formulam præſcriptam in Breuiario Romano iuſſu eiuſdem Pontificis ædito anno 1568. vt dicitur in conſtitutione Pontificia eidem Breuiario præfixa, exceptis his, qui habent morem recitādi aliud antiquius ducentis

centis annis. Hi enim non modò poſſunt, ſed etiam tenentur ſeruare modum propriæ diœceſis, niſi Epiſcopus, & vniuerſum capitulum conſentirent in mutationem, & aſſumerent Breuiarium Romanum, id enim facere permittuntur, vt ex dicta Bulla confirmationis prædicti Breuiarij Pij V. clarè habetur. In Monaſteriis tamen exemptis non requiritur conſenſus Epiſcopi, ſed ſufficit Capituli, & Prælati, & eo acceptato, non poſſunt ampliùs ad prius Breuiarium ſine licentia Papæ redire, quia per illam acceptationem prius Breuiarium cenſetur abolitum, vt patet ex illis verbis: *Omni itaque alio vſu quibuſlibet interdicto.* Et tradit ex Suar. & Filiuc Bonacina de horis canon. d. 1. q. 3. p. 1. nu. 2.

Eſt autem hîc obſeruandum, quòd per illam particulam, *vniuerſum*, non poſtulamus; vt omnes de Capitulo, nullo diſcrepante conſentiant, cùm hoc regulariter obtineri nequeat, & ferè ſemper in Capitulo aliquis diſſentiat à communi aliorum iudicio, nec vis verbi hoc petit, ſed ſolùm; quòd conſenſus præſtetur à Capitulo, vt Capitulum eſt, ideſt, per modum vnius corporis myſtici, ad hoc congregati, & tunc omnes conſentiunt, quàndo maior pars vincit. Ita Suar. to. 2. de Relig. lib. 4. capit. 11. num 4.

Ex quo colligitur, eos qui alio Breuiario à ducentis annis ſunt vſi, vt ſunt Dominicani, Carmelitæ, Carthuſiani, Ciſtercienſes, non teneri ad acceptandum Breuiarium Pij V. qui verò minori tempore, teneri, etiamſi eorum formula à ſede Apoſtolica fuiſſet approbata, quia Pius V. abſolutè omnia alia Breuiaria abrogat, quæ ducentos annos non habent. Vnde graue peccatum eſſet, quacunque alia

forma

forma vti tam in choro, quàm extra chorum, quia præceptum eſt ſatis expreſſum in cap. De his. diſt. 12. vbi vnuſquiſque iubetur ſecundùm ſuam Regulam recitare: & contraueniens tali præcepto, per ſex menſes à communione ſuſpenditur: quæ amara pœnitentia indicium eſt culpæ grauis.

Hinc, qui tenentur recitare officium Romanum, & ſcienter non recitant iuxta præſcriptam formam Eccleſiæ Romanæ, peccant mortaliter. Et ratio eſt, quia agunt contra expreſſum præceptum Pij V. & hoc in materia ſatis graui, pertinentéque ad ſubſtantiam diuini officij.

Hinc, ſi beneficiarius diuinum officium perſoluit, non tamen conforme Breuiario Romano vel Eccleſiæ matrici, tenetur fructus beneficij reſtituere, vt in Bulla Pij V. in ipſo Breuiario affixa habetur, & tradit Graff. lib. 2. cap. 51. num. 10. vbi ait: Teneri ad reſtitutionem fructuum, beneficiatum dicentem officium, non tamen conforme ſuo Breuiario. Et ſumma Corona 1. p. c. 1. num. 100. ſic ait: Non licere immutare officium, nam per dictam Bullam Pij V. præcipitur vt obſeruetur vniformitas Breuiarij noui, tam in ſeruientibus choro, quàm priuatim, & domi recitantibus: itaque ſi alio Breuiario vſi fuerint, ac ſi non recitaſſent, cenſebitur. Hæc Corona. Hoc idem ſentit Bellarmin. 2. tom. contr. li. 1. c. 18.

QVÆSTIO CXIII.

Qua formula Breuiarij vti teneantur clerici Scholaſtici, dum ratione ſtudij in aliena diœceſi commorantur.

ET

ET quidem certum eſt, eos iure nouo debere recitare iuxta noui Breuiarij formulam Pij V. authoritate præſcriptam.

QVÆSTIO CXIV.

Sed tota difficultas eſt de iure communi antiquo.

SVnt qui affirmant eos iure communi debere vti Breuiario, quod vſu eſt receptum in ipſorum diœceſi, à qua originem trahant, vel in qua habent firmum domicilium, vel in qua beneficium poſſident.

Alij verò, vt Suar. to. 2. lib. 4. cap. 23. num. 7. Filiuc. cap. 7. nu. 221. & Bonacina d. 1. q. 3. nu. 11. probabilius credunt eos pro tempore, quo in ſtudio literarum verſantur, poſſe recitare diuinum officium, iuxta morem illius Ciuitatis, in qua commorantur. Et ratio eſt, quia pro tunc habent ibi quaſi domicilium, & in ſpiritualibus vtuntur ſacramentis, & miniſtris illius loci.

Tum quia iuxta D Tho. quodlib. 1. art. 3. valdè expedit imitari honeſtos mores eorum, inter quos viuimus.

QVÆSTIO CXV.

Quid de illo clerico, qui in vna Eccleſia habet beneficium, in altera verò vbi commoratur, diuerſus eſt modus recitandi, qua formula vti debeat.

Divvs

DIvvs Thomas quodlib. 6. art. 8. docet hunc beneficiarium in recitando morem illius Eccleſiæ ſequi debere, in qua beneficium habet.

At verò Suar. lib. 4. cap. 23. num. 6. exiſtimat hunc debere recitare iuxta morem Eccleſiæ, in qua commoratur. Tum quia valdè expedit conformari eorum conſuetudini, cum quibus vitam degimus. Tum etiam, quia titulus domicilij potentior eſt, quàm titulus beneficij.

QVÆSTIO CXVI.

Quonam Breuiario vti debet, is, qui duo beneficia poſſidet in duabus Eccleſiis, quæ diuerſis vtuntur Breuiariis.

RESPONDEO, iure communi antiquo, cum qui legitimè duo beneficia habet, teneri vti Breuiario, quod tenet ex Eccleſia in qua reſidet, & habet firmum domicilium. Ratio eſt, quia potentius eſt vinculum domicilij, & reſidentiæ, quàm beneficij. Si verò in neutro cõmoratur, debet vti formula, quam tenet, & ſeruat ea Eccleſia, in qua habet beneficiũ dignius, v.g. Decanatum, quantumuis pinguius habeat in altera, ſed minùs dignum, vt ſimplicẽ canonicatũ. At quando beneficia ſunt æqualis dignitatis, v.g. duo ſimplices canonicatus, & in neutra Eccleſia clericus reſidet legitimè, nimirum per diſpenſationem, aut quia neutrum beneficiũ reſidentiã requirit, vti debet Breuiario, quo vtitur Eccleſia dignior. Si verò etiam Eccleſiæ ſint pares dignitate, liberum eſt beneficiario adhibere, quod maluerit

Breuiarium

Breuiarium, quod in alterutra Eccleſia vſitatur. Quia non eſt maior ratio, cur ad vnum potius Breuiarium, quàm ad alterum obligetur, cùm diœceſim in vtraque Eccleſia contraxerit. Et ideò ita tenent D.Th.quodlib.1.ar.13.Sot.lib.10.q.5.ar.3.Reginald lib.18.num.169. Molf tract 5. cap.2. nu.47. Macig.cap.20.nu.32.& Azor lib.20.cap.11. quæ.2. qui dicit eſſe communem. A quia tamen recedit Suar.cap.23. num.6. vbi docet beneficiatum poſſe recitare horas canonicas ſecundùm Breuiarium receptum in diœceſi, in qua reſidet, & habet domicilium, quia præualet illa ratio, quòd oportet vt vnuſquiſque ſe accommodet ritui eorum inter quos vitam degit,& firmum domicilium habet,potentius enim videtur vinculum domicilij,& reſidentiæ, quàm beneficij.

Dixi notanter, *iure communi antiquo*, quia hodie iure nouo Pij V. debet ſeruare formulam Breuiarij eiuſdem authoritate promulgati.

Ex quo ſequitur, eum qui in vna Eccleſia habet beneficium, ſed in altera,in qua non adhibetur eadem formula recitandi, habet domicilium, teneri vti Breuiario, quod vſitatur in loco domicilij, & habitationis, quia, vt diximus, beneficiarius debet ſe accommodare ritui loci,in quo reſidet. Suar.li.4. cap. 23. num.6. & Filiuc. cap. 7. quæſtio. 1. numero 221.

Hinc colligitur, quid ſit dicendum de Regularibus ad epiſcopatum aſſumptis,de quo lege Macignum cap.29.num.39.& ſeqq. vbi quàm plures authores citat.

QVÆSTIO CXVII.

An qui non tenentur Breuiario Pij V. vti, poſſint, ſi velint, vti eo extra chorum, ita vt ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ de dicendis horis canonicis.

ILLVSTRISSIMVS Caiet. in ſumma, verbo hora, tuetur partem affirmatiuam. Et probat, quia Romana Eccleſia eſt mater omnium Eccleſiarum, & cui omnes conformari expedit. Hanc quoque ſententiam videntur ſequi Emman. Sà, verb. horæ numero 6. Leſſ. lib. 2. c. 37. dub. 12. num. 75. & plerique alij.

Sed communis, & verior ſententia eſt, non licere his, qui proprium Breuiarium habent approbatum ante ducentos annos, vti extra chorum nouo Breuiario Romano, quod patet ex illis verbis prædictę Bullæ Pij V. *Quibus vt inueteratum illud ius dicendi & pſallendi ſuum officium non adimimus, ſic eiſdem, ſi fortè hoc noſtrum, quod modò peruulgatum eſt, magis placeat, dummodo Epiſcopus, & vniuerſum Capitulum in eo conſentiant, vt id in choro dicere, & pſallere poſſint, permittimus.* Non ergo licet vnicuique priuata authoritate recitare iuxta Pij V. Breuiarium, vbi aliud legitimè retinetur.

Dices, quamuis Pius V. inſinuet non eſſe mutandum officium publicum ducentorum annorum abſque conſenſu Epiſcopi, & Capituli, nihil tamen dicit de priuato: tacitè ergo permittit illud mutari.

Reſpondeo, eſto ex illis verbis immediatè non colligatur eſſe neceſſarium talem conſenſum quoad priuatam recitationem, colligitur nihilominus mediatè, quia Pius V. nullam mutationem facit in illis Eccleſiis, quæ aliud antiquius ducentorum annorum Breuiarium retinent, niſi ipſæ voluntariè eam faciant, ergo ibi relinquitur integrum ius commune: ſed ius commune vult, vt ſinguli in recitando, ſequantur formulam ſuæ Eccleſiæ vel Ordinis, ergo illud ius ibi durat.

Tum quia in illis diœceſibus non poſſunt clerici, vel Religioſi ſua authoritate in ſuis Eccleſiis introducere Breuiarium Pij V. at illi dum horas canonicas perſoluunt, tenentur ſequi formulam ſuæ Eccleſiæ, vt dictum eſt, ergo.

Tum quia non videtur Summus Pontifex illius intentionis fuiſſe, vt ponat diuerſitatem in his, qui ſunt vnius ordinis, & habitus, quod eſſet, ſi alij dicerent extra chorum nouum, & alij vetus.

Tum quia indecens videtur in eodem Monaſterio vſus diuerſorum Breuiariorum.

Tum quia, ſi ſummus Pontifex ita officium Romanum approbaret, vt pro toto orbe illud proponeret, & ſeruandum præciperet, vel concederet, proculdubio haberet locum opinio Caietani. Sed hoc nec ante, nec poſt Pij V. conſtitutionem reperitur factum: nec etiam inuenitur conſuetudine receptum, vt vnaquæque Eccleſia poſſit conformari Eccleſiæ Romanæ, & Matricem relinquere. Immò oppoſitum colligitur ex c. In die. & ex c. Nouit. diſt. 12. vbi Gregorius VII. clarè dicit, in his rebus non oportere ſequi conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ, ſed quod in vnaquaque Eccleſia inſtitutum eſt. Neque

que valet exceptio Angeli,verbo hora, n.12. & 14. niſi ſint ordinati ad titulum patrimonij:quia etiam hi tenentur ſe ſuæ Eccleſiæ conformare.

Hinc,qui ex conſtitutione,vel conſuetudine,quæ ducentos annos excedit, proprium Breuiariũ retinent,& nihilominus ſine aliqua iuſta cauſa,ſed pro ſuo arbitrio, ſecundum aliud Breuiarium recitant, etiamſi ſint ordinati ad titulum patrimonij,peccant mortaliter, quia faciunt contra præceptum Eccleſiaſticum,quo iubetur quiſque ſuum Breuiarium retinere: nec ſuæ obligationi recitandi ſatisfaciunt, etiamſi ex aliqua inaduertentia id accideret, & poſtea aduertunt in tempore,quo poſſunt reiterare,& non reiterant. Atque ita tenent Nauar. de oratione cap.19.nu.211.Valent.2.2.d.6.q.2.p.10.Garz.de benef.3.p.c.1.num.155. vbi affert declarationem ſacrę Congregationis.Reginald.lib.18.nu.168.Suar.to.2. lib.4.cap.11.nu.4.& cap.23. num.2.& 9. Bellarmin. lib.1. de bonis operibus cap.18. Vaſq.de benef.c.4. dub.2.ar.1.Azor.lib.10.cap.11. q.1. Filiuc. tract.23. cap.7.q.1.Macig.cap.29.num.31.

Et ad fundamentum Caiet.reſpondeo quòd Roma licèt ſit communis patria quoad alia,non tamen ad eximendum à legibus ſuorum Epiſcoporum eos qui extra eam viuunt.

QVÆSTIO CXVIII.
An hoc præceptum Pij V. nunc obliget vbique.

RATIO dubij eſt,quia poteſt alicubi non eſſe receptũ,nec moribus introductũ:cùm enim hoc

præceptum humanum ſit, poterit conſuetudine contraria abrogari, ergo ibi non obligabit, ac proinde poterit aliud Breuiarium retineri, etiam ſi ducentorum annorum ſpatium non excedat. Hoc tamen minimè ſuffragante;

Primò dico, quòd nullibi reperitur fuiſſe tale præceptum per contrariam conſuetudinem abrogatum, quia Pontifices nunquam talem conſuetudinem approbarunt, quin potiùs Clemens VIII. præcepit, vt quod Pius V. ordinauit, vbique inuiolatum conſeruaretur.

Secundò dico, quòd iſtud præceptum non tantùm habet vim præcipiendi, verùm etiam irritandi omnia alia Breuiaria, quæ infra ducentos annos initium habuere: quare nulla conſuetudine poſſunt reuiuiſcere, ac proinde officium illud non poteſt eſſe canonicum, neque aptum, vt per illud clerici ſuo muneri ſatisfaciant. Vnde exiſtimo omnes poſteriores conſuetudines ita eſſe per hoc præceptum reprobatas, vt contra idem præceptum præualere non poſſint.

QVÆSTIO CXIX.

Sed quid, ſi alicubi non ſit receptum Breuiarium Pij V. non quia ibi careat vi obligandi, ſed quia Prælati ex negligentia illud introducere, & promulgare neglexerunt.

RESPONDEO in hoc caſu poſſe, & debere vti Romano. Et ratio eſt, quia talis conſuetudo eſt iniqua,

iniqua, vtpote retenta contra expreſſam Pontificis voluntatem. Vnde in tali caſu poterunt omnes clerici priuatim recitare iuxta Breuiarium Romanum, quia non poſſunt obligari ad imitandum morem iniqua conſuetudine retentum, & Pontificis authoritate abrogatum. Immo exiſtimo clericos omnes ad id teneri, ſi commodè poſſint, quia per ſe obligantur præcepto Pontificis, quod non pendet ex Epiſcopi, vel capituli acceptatione, nec ex noua promulgatione in partibus ſingulis facta, quia Romæ facta, ſatis eſt, cùm lex ipſa expreſsè aliam formam non requirat, ſed contrarium expreſsè decernat.

QVÆSTIO CXX.

An qui iuxta decreta ſui Epiſcopi tenetur in ſua Eccleſia horas recitare ritu quodam particulari, debeat dum alibi diuertit, vti Breuiario Romano, ſiue alio quod in eo loco vſitatur.

QVÆSTIO hæc agitatur propter clericos Mediolanenſes, qui ex Decreto D. Caroli iubentur in virtute ſanctæ obedientiæ, horas canonicas recitare iuxta præſcriptum Breuiarij Ambroſiani.

Reſpondeo, ſi hic ad aliam diœceſim tranſit animo ibi conſtituendi domicilium, vel ibi manendi maiori anni parte, tenetur ad officium iuxta

formulam loci ad quem accedit. Secus ſi ad illam diœceſim tranſeat animo ibi breui commorandi, quia tunc non fit propriè ſubditus Epiſcopo illius loci.

Tum quia, qui tranſit, aut breui tempore degit in aliquo loco, non dicitur moraliter eſſe in eo loco: qui autem in eo loco non eſt, non tenetur legibus illius loci.

Obiicies, Regularis non poteſt extra Monaſterium alia formula Breuiarij vti, quàm ſuæ Religionis, ergo neque clericus extra propriam diœceſim.

Reſpondeo, negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia Regularis non ſolùm tenetur ad officium ex vi conſuetudinis, verùm etiam ex vi Regulæ, quam profeſſus eſt; Regula autem, & ipſius obligatio ſequitur regularem vbicunque commoratur.

Tum quia Regula approbatur, & confirmatur à Romano Pontifice, Romanus autem Pontifex totum orbem habet pro diœceſi.

Tum quia ſi fratres ordinis Minorum feria ſexta non eximuntur à ieiunio, quamuis extra conuentum exiſtant, ita nec immunes ſunt ab onere recitandi ſecundùm formulam ſuæ Religionis, licèt extra conuentum commorentur.

Dices, Romanus ſi in Mediolano exiſtit, non poteſt vti formula Ambroſiana, ergo neque Mediolanenſis Romana.

Reſpondeo negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quia clericus qui beneficium poſſidet in loco, in quo dicitur officium cõforme Breuiario Romano, tenetur illo vti ex præcepto Summi Pontificis,

tificis, qui pro Diœceſi habet totum orbem, ac proinde tenetur iuxta formam prædicti Breuiarij recitare, niſi fortè commorari decernat in eo loco, in quo alia formula recitandi vſitatur. Clericus verò Mediolanenſis tenetur ad officium iuxta preſcriptum Breuiarij Ambroſiani ex ſtatuto illius loci, ſtatutum autem Epiſcopi non obligat extra diœceſim: clericus igitur qui ex lege Eccleſiæ Mediolanenſis tenetur recitare iuxta ritum Ambroſianum, formula Breuiarij Romani vti poteſt extra diœceſim, non verò in territorio Mediolanenſi.

QVÆSTIO CXXI.

An priuilegium conceſſum alicui, ad recitandum diuinum officium per aliud Breuiarium breuius, aut dicendum illud non in ſuo tempore, intelligatur conceſſum ei qui illum adiuuat ad recitandum.

HENRIQ. lib. 7. de indulg. cap. 30. num. 4. affirmat. Cuius opinionem admitto in caſu quo priuilegiatus non poteſt commodè recitare officium ſine ſocio. Quia in hoc caſu, ſi non communicaretur ſocio, eius priuilegium eſſet fruſtratorium. Aliter verò non approbarem ego hanc opinionem.

QVÆSTIO CXXII.

An priuilegium Innocentij IV. conceſſum fratribus Minoribus, quòd ratione itineris, aut alterius iuſtæ cauſæ exiſtentes extra ſuos conuentus, poſſint recitare cum aliis, vel per ſe officium diuinum, non ſecundùm Breuiarium Romanum, ſit reuocatum per dictam Bullam Pij V. in qua reuocantur omnes permiſſiones, ac conſuetudines, & ſtatuta, nec non priuilegia recitandi more & ritu Breuiariorum ſuppreſſorum.

Respondeo non eſſe reuocatum. Et ratio eſt, quia licèt Summus Pontifex præcipiat quòd omnes perſoluant horas canonicas iuxta præſcriptum dicti Breuiarij, non obſtante quocunque priuilegio in contrarium, hoc debet intelligi de illis qui omittunt dictum ritum pro ſemper, non verò quando id faciunt aliquando ob iuſtam cauſam. Ita Garz. p. 3. de benef. cap. 1. nu. 179. & Petr. Ledeſm. tract. 9. cap. 4.

Ex quo ſequitur, illud priuilegium, quod conceſſit Martinus V. Patribus ſancti Hieronymi ægrotantibus, aut conualeſcentibus, ſcilicet, quòd ſatiſfaciant ſuo muneri recitandi, dicendo aliquos Pſalmos,

Pſalmos, non eſſe reuocatum per dicta conſtitutionem. Nec etiam eſſe reuocatum priuilegium quod conceſſit Leo X. fratribus Minoribus ægrotantibus, relinquens ſuorum Prælatorum diſpoſitioni, quòd debeant recitare ad ſatisfaciendum diuino officio.

QVÆSTIO CXXIII.

An ſit peccatum ad libitum, & ſine rationabili cauſa permutare officium vnius diei, in officium alterius: v. g. recitando horas de ſancto, cùm ſecundùm formulam Breuiarij, fieri debeat de feria, vel è contra.

ET quidem certum eſt, hanc mutationem non fieri ſine aliqua nota, vel ſcandalo, quando officium publicè in choro recitatur, & ob id exiſtimo talem mutationem eſſe rem grauem in ſuo genere, in hac publica recitatione, & ideò non poſſe fieri ſcienter ſine peccato mortali.

Dixi notanter, *ex genere*, quia ex leuitate materiæ, vel ex inaduertentia, facilè excuſari ſaltem à culpa mortali.

QVÆSTIO CXXIV.

Tota igitur difficultas conſiſtit in recitatione priuata.

In qua re etiam eſt certum, id eſſe de ſe peccatum. Et ratio eſt, quia eſt contra præceptum Eccleſiaſticum, cùm ſit contra formam præſcriptam à Pio V. in Bulla. Vnde in cap. vlt. d. 12. abſolutè præcipitur conformitas in modo recitandi horas canonicas. Et in cap. conuenit. de conſecrat. diſt. 5. dicitur, conuenit Eccleſiæ, vniformitatem dicendi officium ab omnibus cuſtodiri.

QVÆSTIO CXXV.

Tota igitur quæſtionis lis eſt, an ſit peccatum mortale.

Tabiena verbo hora. q. 10. & 16. cenſet eſſe graue peccatum.

Angelus verbo hora. num. 14. putat eſſe mortale in præbendatis, & Religioſis, non autem in ordinatis ad titulum patrimonij.

Nauar. de oratione: cap. 21. num. 23. Arag. 2. 2. quæſt. 83. art. 12. & Rodrig. to. 1. cap. 141. num. 3. & de Regular. tom. 1. quæſt. 42. art. 8. tenent eſſe veniale, quando vno, aut altero die diuinum officium peruertitur, recitando ſcilicet horas de ſancto, cùm recitari debeat de feria. Secus ſi crebrò & frequenter id fieret, quia proculdubio eſſet peccatum mortale.

Philiarchus lib. 1. de off. ſacerd. cap. 6. concl. 3. affirmat eſſe peccatum mortale, quando v. g. officium fit de ſancto illo die minimè occurrente, quia eſt breuius.

Caietanus in ſumma verb. hora §. 3. Syluest. v. hora.

hor.. quæſt.12. Sotus lib. 10. quæſt. 5. art. 4. Med. in ſum. lib. 1. cap. 14. §. 11. Azor. lib. 10. cap. 10. q. 2. Leſſ lib. 2. cap. 37. num. 77. Valent. 2. 2. diſp. 6. q. 2 p. 10. Vaſq. in opuſc. de benef. cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 2. Vega 1. p. cap. 128. Graff. lib. 2. cap. 53. Zerola verb. horæ canon. nu 6. Corrad in reſpon. caſuum conſcien. q. 243. & plerique alij docent eſſe ſolum peccatum veniale, etiam ſi id fiat ex indiſcreta deuotione, accidia, vel vt breuius expediatur. Et probant, quia adimpletur præceptum quoad ſubſtantiam, quamuis non adimpleatur quoad modum: nam ſubſtantia huius præcepti eſt, vt ſeptem horæ canonicæ quotidie dicantur iuxta Breuiarium præſcriptum, quòd verò hoc officium, aut illud perſoluatur, ideſt, quod ſit de hoc, vel illo feſto, hac, vel illa feria, pertinet ad accidentalem modum, qui non eſt tanti momenti, vt obliget ad mortale.

Ex quo inferunt primò, eos qui ex inaduertentia, vel obliuione bona fide, aut aliqua iuſta cauſa ex toto, vel ex parte diuinum officium permutant, non peccare: & ſi poſtea errorem aduertunt tempore quo poſſunt reiterare, & non reiterant, quia replicare faſtidiunt, non peccant, niſi venialiter. Ratio eſt, quia qualitas officij non eſt in præcepto. Verùm qui in fraudem faceret, vt breuius diceret, grauiter peccaret, ſed non mortaliter.

Secundò inferunt, eos qui per errorem, aut ſpontè, & data opera, & ſine vrgente cauſa diuinum officium permutant ex indiſcreta deuotione, vel in fraudem, vt faciliùs, aut breuiùs illud expediant, non teneri ſub mortali officium

intermiſſum repetere. Et ratio eſt, quia Eccleſiæ præceptum, quod eſt de recitandis horis canonicis quoad eius ſubſtantiam, etſi cum peccato veniali, adimplent.

Sed cæteri communi conſenſu tenent, non ſolùm eum, qui crebrò, & frequenter id facit, ſed etiam qui vno, aut altero die, non ſatisfacere ſuæ obligationi, ſed peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem fructuum beneficij. Et ratio eſt, quia facit contra præceptum Eccleſiaſticum. cap. de his. cap. vltimo diſt. 12. & cap. conuenit. de conſecrat. diſt. 5. vbi abſolutè præcipitur, vt omnes clerici in recitatione horarum ſint vniformes.

Tum quia per extrauag. Pij V. ſuper nouo Breuiario Romano reſtituto, præcipitur, vt officium perſoluatur ſecundùm formulam ab ipſo præſcriptam; Conſtat autem in formula huius Breuiarij contineri, vt in feria dicatur de feria, & in feſto dicatur de feſto, tota ergo illa forma de ſe ſub præcepto cadit, ergo qui illam voluntariè mutat, præceptum quoad ſubſtantiam non implet, ac proinde peccat mortaliter.

Tum quia, licèt ſubſtantia præcepti in genere ſit, vt recitentur ſeptem horæ canonicæ in genere, tamen ſubſtantia præcepti in particulari pro tali tempore, vel die, eſt de ſeptem horis talibus, quod ſcilicet conſtat talibus Pſalmis, lectionibus, &c.

Tum quia ſi quis vellet omni tempore dicere officium Paſchale, quia breuius, ſecũdùm omnium ſententiam peccaret mortaliter: & eodem modo qui omnibus feriis vellet dicere officium feriæ tertiæ, quia breuius, & tamen iſte ſemper diceret officium idem ſecundùm ſubſtantiam, ergo dicere

vnum

vnum officium pro alio eſt peccatum mortale ex ex ſuo genere, cùm abſque eo quòd addatur circunſtantia mutans ſpeciem, fiat mortale.

Tum quia in illa commutatione poteſt fieri enormis læſio diuino officio, vt ſi quis vellet quotidie recitare idem officium valdè beue, relicto alio multò longiori proprio illius diei. Vnde ſi quis dicendo officium diei Dominicę in nocturnis vnam tantùm lectionem recitaret, proculdubio peccaret mortaliter, ergo ſimiliter peccatum mortale committeret, qui in Dominica recitaret officium feriæ tertiæ, in quo poſt Paſcha in noſtro ordine vna ſola lectio memoriter recitatur.

Tum demum ſequeretur, illum non peccare mortaliter qui ſolemniſſimum officium diei Paſchę commutaret in officium lugubre diei paraſceues: hoc autem non videtur admittendum, nec eſt conforme voluntati Eccleſiæ.

Dixi notanter, *ex ſuo genere*, quia ex paruitate materiæ, poteſt hoc peccatum eſſe veniale, vt ſi officium recitatum ſit ferè æquiualens in quantitate officio recitando, & mutatio non fiat ex contemptu, neque animo eam ſemper faciendi ex libito, ſed ex aliqua cauſa, licèt minùs rationabili.

Excuſatur etiam à mortali hæc mutatio ex inaduertentia, quæ quamuis ſit aliquo modo culpabilis, poteſt tamen à tanta grauitate culpæ excuſare ipſam Diuini officij mutationem. Immò & excuſare à recitatione omiſſi, niſi, vt diximus, officium omiſſum eſſet notabiliter maius recitato, quia tunc facienda eſſet aliqua compenſatio, dicendo aliquid ex officio omiſſo diuerſum ab eo quod iam dictum eſt.

Demum

Demum ex iuſta cauſa poteſt fieri mutatio etiam ſine vllo peccato, puta ſi occurrat neceſſitas repentina ſtudendi, concionandi, prælegendi, iuuandi in recitando infirmum, aut Prælatum, aut amicum, vel ſi tunc non eſſet copia alterius Breuiarij, in quo dicendum eſt officium de ſancto, & ideo dicit de feria, & poſtea graue eſſet repetere, ob neceſſarium, vel valdè conueniens ſtudium, vel aliud opus pietatis, vel alia ſimili de cauſa.

Hinc, qui ex obliuione, vel inaduertentia officium mutauit, vt quia dicturus erat horas de ſancto, dixit de feria, vel econtra, non tenetur omnia repetere, ſed ſolum quæ ad proprium officium pertinebant, v. g. hymnos, antiphonas, lectiones, collectas, &c. vt rectè monet Toletus lib. 2. cap. 13. Quando verò aliquis Pſalmus, vel aliud prætermiſſum eſt obliuione, vel alia cauſa, ſufficit repetere tantùm illud. Nam quoad illam partem adimpleuit præceptum quoad ſubſtantiam, quod non obligat cum tanto rigore ad repetendum officium, vt ſeruetur ordo Pſalmorum.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpõdeo, mutantem diuinũ officium, non ſolùm peccare contra modum præcepti, verùm etiam contra ſubſtantiam, ac proinde peccare mortaliter cum obligatione reſtituendi fructus beneficij. Atque ita tenent Garz. to. 1. p. 3. c. 1. nu. 150. Bellarm. to. 3. lib. 1. controu. 3. cap. 18. Suar. to. 2. lib. 4. c. 11. nu. 6. & c. 23. nu. 12. & 14. Reginald. lib. 18. nu. 177. Molfeſ. tract. 5. c. 2. nu. 50. Philiarch. 1. p. lib. 1. cap. 6. concl. 6. Sum. Corona 1. p. cap. 1. nu. 20. Naldus verb. diuinum officium nu. 16. Bonacina de horis canonicis diſp. 1. q. 3. p. 1. nu. 17. & plerique alij.

Hinc,

Hinc, non eſt audiendus Nauar. de oratione cap. 21. nu. 23. vbi ait eſſe ſolùm veniale, quando vno, aut altero die diuinum officium peruertitur. Quia ſi non eſt peccatum mortale vno, aut altero die id facere, nec etiam erit peccatum mortale ſæpe id facere: nam pro quolibet die eſt diſtinctum præceptum, & officium cuiuſlibet diei eſt onus illius, ita quod non tranſit in alium, & ſic defectus vnius, & alterius diei, non poteſt continuari, & coniungi cum defectibus aliorum dierum, vt peccatum quod aliàs eſſet veniale, fiat mortale: ſicut eſt præceptum ieiunandi quolibet die quadrageſimæ, & etiam peccat mortaliter, qui deſinit ieiunare vno die, aut duobus, ſicut qui multis, & ecõuerſo.

QVÆSTIO CXXVI.

Vtrùm Papa poſſit diſpenſare cum aliquo, vt relicto proprio Breuiario, recitet officium iuxta formam alterius Breuiarij, vel vt recitet de ſancto in die, quo Breuiarium præcipit vt officium fiat de feria, vel econtra.

RESPONDEO poſſe iuſta aliquã de cauſa ſic diſpenſare. Et ratio eſt, quia ſuperior authoritatem habet diſpenſandi in ſua lege.

Dixi notanter, *iuſta de cauſa*, quia licèt is, cum quo ſine iuſta cauſa diſpenſatum eſt, non peccet contra legem, quæ per diſpenſationem validè ſublata eſt, ſi tamen contraueniat, peccat contra

legem

legem naturalem, quæ dictat nos debere conformari cum his, cum quibus viuimus, quoniam turpis eſt pars, quæ non conuenit ſuo toti. Hoc autem peccatum erit mortale, aut veniale pro qualitate magni, aut parui ſcandali inde ſequuti. Et in hoc omnes Authores conueniunt.

QVÆSTIO CXXVII.

Sed dubium eſt de Epiſcopo.

IN qua re etiam conuenit inter Doctores, olim potuiſſe Epiſcopum facilè diſpenſare cum ſubditis ſuis, vt ſecundùm ritum alterius Epiſcopatus diuinum officium perſoluerent, vel vt officium vnius diei, in officium alterius permutarent, eo quòd poterat propriam Epiſcopatus formulam recitandi immutare, & per conſequens in ea diſpenſare. Suar. tom. 2. lib. 4. cap. 23. num. 17.

QVÆSTIO CXXVIII.

Sed quod in dubium vertitur eſt, An poſt editum à Pio V. Breuiarium, & promulgatum cum Bulla eidem præfixa, poſſit Epiſcopus in hoc diſpenſare.

ET quidem etiam eſt certum, poſſe Epiſcopum nunc in vna, vel alia occaſione graui diſpenſare cum aliquo, vt poſſit commutare officium

vnius diei in officium alterius, quia poteſt dari cauſa ad ſic diſpenſandum in hoc præcepto, ſicut & in aliis eccleſiaſticis in vno, aut altero caſu occurrente, vt patet ex dictis à nobis in theſauro Religioſorum lib.6.de voto obedientiæ.

QVÆSTIO CXXIX.

Totum igitur controuerſiæ diſſidium eſt, de mutatione totius Breuiarij.

DIvvs Anton. 4.p.tit.13.cap.4.§.2. Tab.verbo hora num.16.& Armil.num.13.affirmant poſſe,etiamſi diſpenſare non poſſit, quominus officium dicatur.

At conſtans eſt omnium aliorum opinio,in mutatione totius Breuiarij non poſſe Epiſcopum diſpenſare, nec illam facere, aut permittere, quia Pius V. in dicta ſua conſtitutione, pro ſumma ſua authoritate talem mutationem prohibuit, & præcepit,vt omnes clerici tam ſæculares, quàm Regulares in toto orbe ſecundùm formulam in eo Breuiario poſitam horas canonicas recitarent, exceptis his,qui per Breuiaria ante ducentos annos compoſita,& approbata recitabant. Vnde prædicta Epiſcoporum poteſtas nunc ſuſpenſa eſt, quia hæc eſt lex Summi Pontificis, quam inferior tollere non poteſt, nec limitare. Ex Clement. Ne Romani.de elect.Nec etiam poteſt quaſi permanenter diſpenſare, aut legem facere, vt quis poſſit ſemper, & pro arbitrio ſuo dicere officium aliter quàm in Breuiario Romano ſit præſcriptum, quia nec poſ-

ſet hoc facere in aliis legibus eccleſiaſticis, nec ad id poteſt moralis neceſſitas occurrere, ſed opus eſt, tunc ad Papam recurrere. Ita Nauar. de oratione cap. 11. numero 24. Suar. lib. 4. cap. 11. num. 6. & cap. 23. n. 17. Reginal. lib. 18. n. 171. Molfeſ. tract. 5. cap. 2. num. 4. Filiuc. cap. 6. n. 186. Macig. cap. 29. n. 2. & Bonac. d. 1. q. 3. p. 1. n. 19.

Quod autem diximus de Epiſcopo, idem intelligendum eſt proportionaliter de Prælato Religionis.

QVÆSTIO CXXX.

Quid dicendum de eo qui vouit dicere officium talis Sancti, puta Sancti Bernardi die ſuo, in quo v.g. ſecundùm Breuiarium Romanum dicendum eſſet de feria.

Respondeo hunc debere dicere duo officia, vnum de feria ſecundùm obligationem communem, & alterum de ſancto, vt voto ſatisfaciat.

Ex quibus omnibus non obſcurè colligitur, priuilegium quod conceſſit Leo X. Minoribus, vt poſſent in Capitulo generali declarare dubia occurrentia circa officium diuinum, ordinando, addendo, aut delendo, quod fratribus videbitur conuenire, eſſe reuocatum per dictam conſtitutionem Pij V. in qua iubetur, quòd nihil poſſit mutari, deleri, aut addi officio diuino contento in dicto Breuiario reuocans quodcunque priuilegium contrarium.

QVÆ

QVÆSTIO CXXXI.

An Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat, qui priuatim lingua Hebraica, Græca, vel Italica horas canonicas perſoluit.

RESPONDEO eum ſatisfacere. Et ratio eſt, quia quoad ſignificationem, & ſubſtantiam eſt idem officium, licèt quoad verba ſit accidentaliter diuerſum. Qui autem facit ea, quæ ad præcepti ſubſtantiam ſpectant, abundè præcepto ſatisfacit.

Tum quia ſicut valida eſt ſacramentorum adminiſtratio facta Italico, aut alio idiomate, vt apud omnes manifeſtum eſt, ita etiam valida erit officij recitatio.

Dices, hic non recitat officium iuxta vſum Eccleſiæ, & iuxta modum Breuiarij Romani in quo preces Latina lingua deſcribuntur, qui autem diuinum officium iuxta Eccleſiæ vſum, ſeu iuxta Breuiarij Romani modum non recitat, præceptum non implet.

Reſpondeo, hunc non implere præceptum quoad modum accidentalem, qui in vocibus conſiſtit, adimplere verò quoad ſubſtantiam, & verborum ſignificationem.

Hinc, qui lingua Græca, vel Hebraica, aut vulgari diuinum officium perſoluit, ad nullam fructuum reſtitutionem tenetur. Et ratio eſt, quia præceptum quoad ſubſtantiam adimpleuit.

Hinc, qui ex voto, vel pœnitentia Confeſſoris

pſalmos pœnitentiales, aut alias preces recitare tenetur, ſuæ obligationi ſatisfacit illas vulgari idiomate perſoluendo, præſertim ſi hoc faciat maioris deuotionis cauſa, immò in hoc caſu non ſolùm ſuæ obligationi ſatisfaciet, verùm etiam ab omni culpa excuſabitur, cùm ex nullo præcepto teneatur illas preces Latino potiùs, quàm vulgari idiomate perſoluere.

QVÆSTIO CXXXII.

An peccet qui ita abſque aliqua iuſta cauſa horas canonicas perſoluit.

Respondeo eum peccare. Et ratio eſt, quia facit contra vſitatum Eccleſiæ morem.

Tum quia diuina myſteria aliquo modo flocci-pendi videntur, dum horæ canonicæ neglecto abſque cauſa conſueto Eccleſiæ idiomate recitantur.

Tum quia plebs de facili errare poſſet, non ritè percipiens verum & germanum ſenſum verborum, qui aliquando altior eſt, quàm per verba materialiter acceptus exprimitur, ob id iure optimo vſus bibliorum vulgari lingua conſcriptorum interdictus eſt. Ita Nauar. conſ. 12. de celebr. Miſſar. Suar. lib. 4. cap. 7. Filiuc. tract. 23. c. 3. & alij.

QVÆSTIO CXXXIII.

Vtrùm ad recitationem horarum canonicarum, quæ per modum orationis perſoluuntur, intentio ad eas attendendi requiratur.

Respon

RESPONDEO eam requiri ſaltem implicitam, & virtualem. Et ratio eſt, quia ad ſatisfaciendum præcepto requiritur intentio faciendi id opus, quod præceptum iniungit.

Tum quia oratio eſt loquutio cum Deo, non loquitur autem cum Deo, qui cum eo loqui non intendit. ergo.

Tum quia recitatio horarum Canonicarum eſt actus humanus, qui non brutorum more ſed humano modo impleri debet: non poteſt autem humano modo ſaltem virtualiter exerceri, ſine intentione, & voluntate orandi, ſeu attentè recitandi, & in ea deinde formaliter, vel virtualiter remanendi.

Tum demum quia ſicut præceptum violari nequit, niſi per actum humanum, ita nec impleri.

Hinc, qui horas canonicas recitat nullum habens attendendi propoſitum, tenetur illas repetere. Et ratio eſt, quia non ſeruat Eccleſiæ præceptum de attentione debita habenda.

Sed aduertat ſcrupuloſus lector, quòd non eſt neceſſarium, vt quis ſemper initio diuini officij diſtinctè proponat recitare attentè, & reuerenter, ſed ſufficit vt in genere velit dicere officium more conſueto.

QVÆSTIO CXXXIV.

Vtrùm ad recitandum horas canonicas attentio neceſſariò requiratur.

PRo huius quæſtionis deciſione, obſeruandum eſt in primis, quod in cap. Dolentes. de celebra-

tione Miſſarum diſtrictè præcipitur in virtute ſanctæ obedientiæ, vt diuinum officium nocturnum pariter,& diurnum,quantum eis Deus dederit,ſtudiosè celebrent pariter, & deuotè.Vbi Gloſſa penultima, & vltima dicunt, verbum illud *ſtudiosè*, referri ad officium oris, quia officium diuinũ pronunciari debet non in gutture,vel inter dentes,ſeu deglutiendo,aut ſyncopando, ſed voce articulata. Deuotè verò ad officium cordis, id eſt, vt animus in diuino officio ſit attentus, hoc eſt, vt mentem habeat præſentem ad id, quod dicitur, nempe, vt quod lingua foris perſonat,mens ſimul intus concipiendo loquatur.Vnde D. Auguſtinus. Hoc verſetur in corde, quod profertur in ore. Et D. Hieronymus. Audiant hoc hi,quibus in Eccleſia pſallendi officium eſt, Deo non voce tantùm,ſed corde cantandum.

QVÆSTIO CXXXV.

Sed quæret aliquis hoc loco, An in illis verbis contineatur præceptum.

Hostiensis in cap. Dolentes. de celebrat. Miſſ.nõ putat iſta verba cõtinere præceptum, ſed conſilium.Quod colligit ex illis verbis: *Quantum Deus dederit.*

Alij verò communiter tenent in illis verbis contineri rigoroſum præceptũ, & omnino proprium, vt conſtat ex illis verbis: *Diſtrictè præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ.* Hæc enim ſunt potiſſima verba, quibus explicari ſolet, & poteſt proprium, & rigoroſum præceptum.

Nec

Nec obſtant verba illa, *Quantum Deus dederit*: quia non ſunt poſita ad eneruandum, vel tollendum præceptum, ſed ad limitandum, vel declarandam materiam eius. Inſinuatur enim per illa verba, non præcipi hîc deuotionem, & attentionem aliquam peculiarem, ſed ſolùm illam, quam homo poteſt,& debet cum Dei auxilio præſtare.

QVÆSTIO CXXXVI.

Sed grauius hinc oritur dubium, An hîc ſint duo Eccleſiæ præcepta, vnum recitationis, alterum verò attentionis.

IOANNES Medina de oratione q.16. & Corduba lib.4.q.13.ad finem cum pleriſque aliis putant, eſſe duo præcepta,& vtrumque obligare ad mortale. Et probant, quia præceptum horas dicendi abſolutè priùs fuit latum, deinde in cap. Dolentes,&c. fuit latum præceptum de attentione, vnde qui horas dixit ſine debita attentione, ſatisfacit præcepto primo de dicendis horis, etiamſi non ſatisfaciat ſecundo de attentione, & ita non tenebitur eas redicere, etſi de facto attentionis, teneatur pœnitere.

Hoc tamen non obſtante, communis omnium tùm Theologorum, tum Canoniſtarum ſententia habet, in illo decreto non duo, ſed vnum tantùm præceptum contineri, licèt in eo explicentur duæ conditiones neceſſariæ ad complementum huius præcepti, quæ ſunt integritas orationis, & attẽtio, quarum prima explicatur per particulam *ſtudioſè*,

ſecunda verò per particulam *deuotè*. Ratio eſt, quia attentio quæ eſt actus interior, non poteſt Eccleſiaſtica lege per ſe, & directè imperari, ſed ſolùm vt vnum actum moraliter componit cum exteriori recitatione, ergo ibi non ſunt duo præcepta, ſed vnum. Vnde vnum tantùm peccatum committitur, ſiue ſola integritas, ſiue ſola attentio neceſſaria, ſiue vtraque ſimul voluntariè omittatur.

Dices, duplex peccati genus in hoc committi poſſe, vnum ſi clericus horas canonicas prætermittat, alterum verò ſi ſpontè diſtractus penſum horarum perſoluat. Duo ſunt igitur præcepta, vnum de integrè recitando, & alterum de attentè recitando.

Reſpondeo, hoc argumento ſolùm cócludi, præceptum de recitandis horis Canonicis, duobus modis poſſe violari, & omittendo, & malè eas recitando. Sicut præceptum annuæ confeſſionis dupliciter negligi poteſt, videlicet & omittendo, & malè peccata confitendo. Azor. libro 10. cap. 12. quæſtione 5.

Obſeruandum eſt ſecundò, attentionem eſſe duplicem, internam, & externam. Attentio interna eſt illa, qua recitans attendit animo ad Deum. Externa verò eſt illa, qua recitans ſe gerit in ſpeciem orantis, abſtinétque ab illis actibus, cùm quibus attentio interna eſſe non poteſt.

Sciendum eſt tertiò, varias eſſe attentionum ſpecies, ſcil. ad verba, ad ſenſum verborum, vel ad Deũ vel ſecundùm ſe, vel ſecundùm aliquod noſtræ fidei myſterium, vel ad rem petitam, vt obtinendam à Deo: & quamlibet ex his attentionibus poſſe eſſe, vel actualem, vel virtualem.

His ſuppoſitis de caſu propoſito duæ extant

Docto

Doctorum opiniones. Prima eſt aſſerentium interiorem attentionem ad canonicas horas recitandas non requiri, ſed ſufficere exteriorem, qua recitans non ſe occupet, dum officium recitat in aliqua actione incompatibili cum attentione interiori, v.g. loquendo, ſcribendo, pingendo, &c. Et probant, quia Eccleſia non poteſt præcipere, aut vetare ſimpliciter actus mentis interiores, ergo nec imperat internam mentis attentionem.

Tum quia in dicto cap. Dolentes, non ſimpliciter præcipitur attentio, ſed cum illa limitatione, *in quantum Deus eis dederit.*

Tum demum, quia difficillimum eſt attentionem habere interiorem: non eſt autem credibile Eccleſiam voluiſſe ad actum adeo arduum obligare, cùm Eccleſiæ iugum ſuaue ſit, ſicut eſt Chriſti iugum. Et ideò ita tenent Duran. in 4. diſt. 15. q. 12, num. 6. Palud. ibidem. q. 5. ar. 2. D. Anton. 3. p. titul. 13. cap. 4. §. 8. Angel. verb. hora. num. 27. Roſel. & Tab. §. 3. Sylueſt quæſt. 11. Medina C. de oratione q. 16. & multi alij, quorum opinionem Filiuc. tract. 23. q. 8. cenſet eſſe probabilem.

Secunda verò opinio, quæ magis ad veritatem accedit, docet attentionem interiorem eſſe neceſſariam, adeò vt ſi quis interiùs ſponte alienis cogitationibus ſe occupet, non ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ de horis dicendis. Et ratio eſt, quia Eccleſia in Conc. Lateran. diſtrictè præcipit vt diuinum officium celebretur ſtudiosè pariter, & deuotè, vt patet cap. Dolentes, de celebrat. Miſſarum. Atqui deuotio conſiſtit in actu interno, & requirit internam attentionem ad diuina, ergo.

Dices, eo decreto ſolùm præcipi deuotione

externam quæ ſita eſt in eo, vt quis ſe gerat exteriùs in modum orantis.

Reſpondeo, deuotionem externam ſine interna non eſſe deuotionem, ſed deuotionis ſimulationem, vnde qui ſic orat, non poteſt dici *deuotè* orare.

Tum quia, vt clericus ſatisfaciat præcepto Eccleſiæ, non requiritur externa deuotio precantis, vt genuflexio, &c. præſertim cùm officium priuatim recitatur, nam ſufficit deuotio interna.

Tum quia Eccleſia præcipit eccleſiaſticis deuotam recitationem horarum canonicarum, tanquam verum actum orationis, qua per ſuos legatos, ac miniſtros colloquatur cum Deo, atqui ad talem actum requiritur interna attentio, & reuerentia, ergo ſimul præcipit internam attentionem. Maior propoſitio per ſe cõſtat. Minor verò probatur, quia oratio potiſſimùm conſiſtit in actu interno, eſt enim colloquium cum Deo, vnde requirit attentionem, & reuerentiam erga Deum.

Tum quia recitatio officij debet eſſe actus humanus, & ideo non debet eſſe ex ſola imaginatione quæ nobis, & beſtiis eſt communis, ſed ex deliberatione quæ attentionem requirit.

Tum quia, qui exteriùs profert verba orationis abſque animo orandi, verè non orat: ſicut ergo requiritur animus orandi, ita etiam interna mentis attentio.

Tum quia Eccleſia poteſt præcipere actus internos, quando neceſſarij ſunt, vt actus externi ſint actus virtutis, ergo poteſt præcipere internam attentionem, & reuerentiam, ſine qua, actus exterior non eſt virtutis opus. Antecedens probatur, quia alio

alioquin omnibus Eccleſiæ præceptis poſſet ſatisfieri per meram ſimulationem,& hypocriſim,ſic enim ſatisfaceret Eccleſiæ præcepto audiendi Miſſam,qui accederet animo irridendi diuina, & præcepto annuæ confeſſionis, qui confiteretur omnino ficte,&abſque deſiderio obtinendi gratiam,quę omnia ſunt pluſquam falſa.

Tum demum,quia oratio ſine interna deuotione,& attentione nō eſt Deo grata,vt patet ex querimonia, cuius meminit Dominus noſter Matth. 15.Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Vnde Apoſtolus ad Epheſ. 5. monet, canentes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino.Super quæ verba D.Hieronymus ait.Audiant hi,quibus in Eccleſia eſt pſallendi officium, Deo non voce,ſed corde cantandū. Quod refertur in cap. Cantantes. diſt. 92. Vbi Gloſſa habet hos verſus commendatos à Nauar.de orat.c.13.n.1.

Non vox,ſed votum,non muſica cordula,ſed cor.
Non clamans,ſed amans cantat in aure Dei.

Hinc non eſt audiendus Medina C. de oratione q. 16.qui negat præceptum Eccleſiæ obligare clericos ad orandū,cùm præcepit ſeptē horas recitare.Quia Eccleſia non poteſt præcipere actus internos, oratio autem ex natura ſua interiorem actum requirit, & ideò ſolùm obligat ad dicendas illas ſolùm materialiter,quòd ſi miniſter non apponat deuotionē, Eccleſia apponit, cuius nomine, & tanquam eius miniſter orat.Non eſt, inquam, audiendus. Primò, quia falſum eſt, Eccleſiæ præceptum de recitandis horis non eſſe præceptū de orādo verè,& propriè, ſed ſolùm de legendis illis pſalmis, & lectionibus, ac proinde quacunque attētione,& modo legātur,

ſatis

ſatisfieri præcepto, nam hoc euidenter eſt contra earum inſtitutionem, qua horæ Canonicæ vocantur horæ orationis, vt conſtat ex illo Act. 3. Ad horam orationis nonam.

Tum quia Eccleſia teſtatur ſe per ſeptem horas velle explere illud Dauidis Pſalm. 118. Septies in die laudem dixi tibi. Et illud, Media nocte ſurgebã ad confitendum tibi. At illa non implentur niſi per veram orationem, ergo hanc præcipit Eccleſia.

Secundò falſum eſt, Eccleſiam non poſſe fidelibus præcipere, vt verè, ac propriè, & ex corde orẽt, eſt enim hoc contra totius Eccleſiæ conſuetudinem, & contra omnem rationem & pietatem, nam vera oratio eſt ſæpe neceſſaria, vel Eccleſiæ, vel alicui fideli, cur ergo neganda eſt Eccleſiæ poteſtas, vt poſſit ſibi vel ſuis ſubditis de hoc remedio; vel de hoc diuino cultu efficaciter prouidere.

Tum quia, ſi hoc non poteſt, certè nec præcipere poterit, vt ſacrum audiant, quia ſacrum audire non fit ſine actu interno. Nec etiam poterit præcipere annuam confeſſionem, quæ ſine actu interiori fieri non poteſt. Immò nec vt adminiſtrent ſacramenta, quia etiam hæc ſine interiori intentione adminiſtrari nequeunt.

Tum quia, licèt ſit dubium, an Eccleſia poſſit per ſe, & directè præcipere actus internos. tamen non eſt dubium, quin conſequenter, & vt circunſtantiam, vel formam actuum externorum poſſit illos præcipere, & hoc pacto præcipit orationem vocalem, vt vera oratio eſt, quando præcipit ſeptem horas recitare, & illam præcipiendo, conſequenter ex vi talis præcepti, inſurgit obligatio attendendi.

Deni

Denique, non bene illa cohærent, quæ Medina ponit, ſcil. Eccleſiam verè orare, quando miniſtri eius horas canonicas legunt, etſi non orent, ſed tantùm materialiter legant, quia ſi ipſi non orant, quomodo per eos orat Eccleſia. Nam oratio non dicit habitum, ſed actum, & ideo ſi nullus in Eccleſia actu orat tali tempore, & loco, fieri non poteſt, vt in illo eodem tempore, & loco Eccleſia oret. Quare dicendum eſt, hoc præceptum eſſe de oratione, & non niſi per veram orationem adimpleri, ac ſubinde ſine intentione orandi, & abſque attentione ſaltem virtuali impleri non poſſe.

Hinc, qui attentiſſimè diuinum officium recitat, non animo orandi, aut colendi Deum, ſed aut legendi recreationis gratia, aut pſalmos addiſcendi, non ſatisfacit præcepto, ſed tenetur illud reiterare. Ratio eſt, quia hic orare cogitur, & qui legit, non orat, vt conſtat. ergo.

Nec obſtant in contrarium adducta, nam ad primum reſpondeo quòd etſi eccleſia non poſſit actus internos per ſe, & immediatè, ac nudè conſideratos præcipere, poteſt tamen mediatè eoſdem præcipere, quatenus ſunt conditio neceſſariò requiſita ad externos debito modo præſtandos, videlicet vt ſint actus virtutum, & idonei ad finem ſupernaturalem. Sicut qui præcipit Miſſam audire, ex conſequenti, & mediatè præcipit eam attentionem, & reuerentiam, ſine qua oratio, & auditio Miſſæ non ſunt actus Religionis. Et qui præcipit confeſſionem annuam, etiam præcipit examen interius conſcientiæ, & internam contritionem, ſine quibus confeſſio non eſt actus virtutis. Ita qui præcipit recitationem, quæ eſt actus exterior, ex conſequenti pręcipit

cipit attentionem, quæ eſt conditio neceſſariò requiſita ad debitam recitationem. Sic D. Tho. in 4. diſt. 15. q. 4. ar. 2. ad 2. Caiet. 2. 2. q. 83. ar. 13. Sot. li. 10. q. 5. ar. 5. Azor. lib. 10. cap. 12. q... Arag. 2. 2. q. 83. ar. 13. & alij communiter.

Ad ſecundum patet ſolutio ex dictis.

Ad tertium, & vltimum reſpondeo, huiuſmodi præceptum non eſſe de re valdè ardua, & difficili, primò quia ſufficit attentio virtualis, quam non eſt arduum habere.

Tum quia ſufficit attentio ad verba, vel ad ſenſum verborum, vel ad finem orationis, vel ad Chriſti paſſionem, vel ad rem aliam piam, vt inferiùs dicemus.

QVÆSTIO CXXXVII.

Vtrùm attentio actualis ſit ad perſoluendas horas canonicas neceſſaria.

Respondeo non eſſe neceſſariam. Et ratio eſt, quia id quod in hominis poteſtate ſitum non eſt, nullatenus poteſt eſſe neceſſarium: tenere autem fixam mentem, vt non diuagetur, non ſemper nobis eſt poſſibile, ſecundùm illud Dauidis pſal. 39. Cor meum dereliquit me.

Tum quia non obſtante illa diſtractione inuoluntaria, oratio vocalis ſubſiſtit, & per illam abundè adimpletur præceptum orationis, ergo attentio actualis non eſt ad ſatisfaciendum præcepto diuini officij neceſſaria. Ita D. Tho. 2. 2. q. 83. ar. 13. ad 3. Nauar. de oratione cap. 13. nu. 15. & Suar. tom. 2. de Relig. lib. 3. cap. 3. nu. 6.

QVÆSTIO CXXXVIII.

Vtrùm attentio virtualis ſit ad perſoluendas horas canonicas neceſſaria.

RESPONDEO eſſe neceſſariam. Et ratio eſt, quia ad ſatisfaciendum præcepto diuini officij illa attentio neceſſariò requiritur, ſine qua recitatio officij vera oratio non eſt, atqui recitatio ſine attentione ſaltem virtuali vera oratio non eſt, ergo attentio virtualis eſt ad ſatisfaciendum præcepto orationis neceſſaria. Eſt autem attentio virtualis, cùm quis ab initio formaliter, aut virtualiter proponit attendere ad horas, nec poſtea quamuis diſtractus contrarium propoſitum habet: prout cenſetur habere is, qui vel non vult attendere, vel aduertens ſe euagari cogitãdo res à ſua oratione alienas, non ſtudet mentem reuocare ad attentionem debitam: nec interim facit aliquid, vnde ſequitur ex natura ſua diſtractio. Et hæc mentis euagatio poteſt eſſe mortalis, non modò, quando eſt deliberata, directéque volita, verùm etiam cùm volita indirectè, vt cùm quis plena aduertentia aduertens non attendere ad orationem, per craſſam, & ſupinam negligentiam de ea non curat, permittítque ſe euagari, verùm etiã, quando quis, etſi habeat animum attendendi, voluntariè tamen facit aliquid, ex quo ſequitur ex natura ſua diſtractio. Ita Bellarm. lib. 1. de bonis operibus cap. 18. Valent. 2. 2, diſput. 6. quæſtione 2. p. 10. Azor. libro 10. cap. 12. Tolet. lib. 2. cap. 13. numero 9. & Suarez libro 3. capite 4. & cap. 26.

Verùm

Verùm in hoc non oportet eſſe nimis ſcrupuloſum,quia vt inferiùs dicemus, ad ſubſtantiam orationis minima attentio mentiſ ſufficit.

QVÆSTIO CXXXIX.

An prima attentio, qua orans attendit ſolùm ad verba, ne vnum pro alio dicat, ſufficiat ad implendum præceptum recitandi horas canonicas.

NAVAR.de oratione cap.13.nu.34. & 35.cenſet eam ſufficere, dummodo qui illam habet, perfectiorem,& altiorem attentionem non excludat. Ex quo infert, non ſatisfacere Eccleſiæ præcepto qui orat meditando paſſionem Chriſti, ſi intendit ibi vltimatè ſiſtere tanquam in vltimo fine ſuæ recitationis, & non aſcendere ad montem diuinitatis.

Communis tamen opinio habet abſolutè, & in vniuerſum primam attentionem ſufficere, ſuppoſito animo orandi,& vacādi Deo.Et ratio eſt,quia vt diximus, ad veritatem & ſubſtantiam orationis, ſufficit attendere ad verba, quia per hoc ſaluatur intentio orandi, & vt recitatio illa ſit actus humanus,& ſignum diuini cultus,& petitionis,quæ Deo interna mente offertur,ergo illa etiam ſufficit,nec aliud ex vi orationis exigitur ad implendum præceptum.

Tum quia præceptum Eccleſiæ non obligat,nec fortè

fortè obligare poteſt ad certum modum actus interioris, ſed ſolùm ad illum, qui neceſſarius eſt, vt recitatio, oratio vocalis ſit, ad hoc autem ſufficit quælibet attentio ex dictis, etiamſi præſtantiorem voluntariè excludat. Ita Suar. to. 2.lib.3.cap.4.nu. 8. Filiuc. to. 2. tract. 23. cap. 3. nu. 76. Bonac. de horis canon. diſp. 1. q. 3. p. 2. num. 5.

Hinc, qui diuinum officium perſoluit, non tenetur meliorem attentionem habere, ſed ſuo muneri ſatisfacere, quamlibet ex dictis eligendo. Ita Suar. & alij vbi ſuprà.

Hinc, ſi quis cum hac attentione ad verba, poſſet ſimul ad alia attendere (ſicut illi qui ternas, quaternas, vel plures ſimul epiſtolas dictant) ſatisfaceret præcepto Eccleſiæ, nec peccaret mortaliter, vt rectè docet Nauar. de oratione cap. 13. num. 23. peccaret tamen venialiter ob irreuerentiam.

Hinc, qui neque ad verba, neque ad ſenſum verborum, neque ad Deum, neque ad res, quæ petuntur, attentionem habet, ſed deliberatè recitando officium, ad alia mentem diuertit, ſine animo repetendi, & eſt pars notabilis, peccat mortaliter, quia transgreditur pręceptum, cap. Dolentes, de celebrat. Miſſarum. Nau. in Man. cap. 25. nu. 106.

QVÆSTIO CXL.

An qui animo voluntariè diſtracto diuinum officium perſoluit, cum propoſito illud repetendi, peccet mortaliter.

Respondeo non peccare mortaliter, quia adhuc illi ſupereſt tempus implendi præceptum. Secus ſi tunc habuiſſet propoſitum non repetendi illud, quia in eo caſu peccaſſet mortaliter ratione propoſiti, nondum tamen in rigore eſſet transgreſſus exterius præceptum, ſed teneretur illud implere, cùm poſſet, vnde ſi poſtea mutaſſet propoſitum, & recitaret, impleret præceptum.

Hinc, qui ob aliquam iuſtam cauſam, puta tuſſim, collocutionem, aliquid etiam notabile cum animo repetendi omittit in choro, non peccat. Secus ſi eſſet aliquid notabile, & animum repetendi non haberet. Nauar. in Man. cap. 25. nu. 98. Nam ſi quid parui momenti eſſet, non oporteret repetere, quod alij dicunt, ſi ipſe recitare nequeat, vel quia tuſſit, vel ſanguis è naribus effluat. Quia ratione ſocietatis dictum ab vno, cenſetur dictum ab aliis. Ita Nau. de orat. c. 19. num. 83.

QVÆSTIO CXLI.

An qui ſpontè diſtractus horas canonicas recitauit, & poſtea repetat, peccauerit prima vice ſic recitando.

Respondeo, ſi hic habuit animum repetendi, non peccauit: ſi non habuit, tunc vel habuit contrarium animum non repetendi, & ſic peccauit: vel negatiuè ſe habuit, & tunc ſi cœpit horas canonicas cum propoſito implendi per illum actum, præceptum, & poſtea perſiſtendo in eo propoſito ſpontè ad alia orationis diuerſa animum diuertit,

diuertit, peccauit mortaliter, quia virtualiter permanſit in eo, & conſequenter implicitè noluit repetere. Si verò quis ſolitus eſſet repetere, cùm aduertit animo vltrò diſtracto recitaſſe, veriſimile eſt, non peccaſſe, quia virtualiter videtur habuiſſe animum repetendi.

QVÆSTIO CXLII.

An qui animo vltrò diſtracto horas canonicas perſoluit, Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat; ita vt preces non teneatur repetere.

DIVVS Anton. 3. p. tit 13. cap. 4. Medin. C. de oratione q. 16. & Corduba in ſuo quæſt. lib. 4. quæſt. 13. cenſent eum Eccleſiæ præcepto ſatisfacere, ac proinde non teneri quod recitauit repetere, quia putant duo eſſe Eccleſiæ præcepta, vnum integrè recitandi, aliud attendendi: Si ergo non attendit, peccat mortaliter, quia non implet modum præcepti: at ſi recitat, implet ſubſtantiam præcepti, ideo non tenetur repetere.

Sed communis, & verior ſententia eſt, hunc Eccleſiæ prę̨cepto non ſatisfacere, ac proinde teneri horas canonicas repetere. Et ratio eſt, quia præceptum eccleſiaſticum orandi vnum tantùm eſt, recitandi videlicet horas canonicas: in hoc autem non includitur attentio: ſi ergo prima vice non attendit, non impleuit præceptum, ergo tenetur illas repetere. Sicut qui Miſſam de præcepto audiuit ſine vlla attentione, tenetur intra eundem diem aliam audire, ſi poteſt.

Tum quia hic non orat, ſicut præcipit Eccleſia, ergo ſic orando Eccleſiæ præcepto non ſatisfacit.

Tum quia, qui ſic orat, orat ſine mente, ergo non orat, atque ex conſequenti Eccleſiæ præceptum non implet, & tenetur illud repetere. Antecedens per ſe conſtat. Conſequentia verò probatur, nam oratio ad minus eſt actus humanus, qualis non eſt illa, quæ ſine vlla attentioue fit, ergo non eſt oratio.

Tum quia oratio vt conſtat ex definitione Damaſceni, eſt aſcenſus mentis in Deum, ſed qui ſolo verbo abſque vlla attentione orat, non eleuat mentem ſuam in Deum, ergo non orat, ac proinde Eccleſiæ præcepto non ſatisfacit,ſed tenetur recitatum repetere.

Hinc,beneficiarius,qui ſpontè, ſine vlla attentione horas canonicas perſoluit, ſuo muneri, & officio non ſatisfacit, ac proinde tenetur illas repetere, alioquin obligatur ad reſtitutionem fructuum: non enim ſatisfacit Eccleſiæ præcepto, qui diuinum officium deuotè non recitat.

Hinc Canonicus, qui ſpontè, mente diſtracta in choro diuinum officium perſoluit, quotidianas diſtributiones non lucratur. Et ratio eſt, quia hic muneri chori non ſatisfacit. Nauar. de oratione cap. 13. num. 15. Moneta 2. p. quæſt. 2. num. 22. & Molfeſ. cap. 2. q. 94.

Dixi notanter, *ſponte*, quia qui inaduertenter ſe diſtrahit, licèt voluntariè in eo verſetur, non eſt dicendus ex propoſito ſe diſtrahere. Quia vt rectè Illuſtriſſimus Caietanus annotauit, non ſatis eſt, vt quis aduertat ſe alia cogitare, ſed

opus

opus eſt, vt aduertat ſe per ea diuerti ab oratione: aut aduertat quidem ſed procuret ſaltem mediocriter retrahere mentem ab. euagatione, etiamſi non ſequatur retractio. Quod eſt valdè notandum à ſcrupuloſis, qui ſæpe repetunt horas, & ſemper committunt eaſdem, vel maiores imperfectiones: ſi ergo tales bona fide, & cum propoſito vacandi Deo, incipiunt recitare, etiam ſi in fine Pſalmi aduertant ſe fuiſſe diſtractos, non tenentur recitatum repetere, ſed poſſunt proſequi denuo applicando mentem. Idem dic ſi non recordentur ſe omnia dixiſſe: quandiu enim non conſtat euidenter ſe propoſitum mutaſſe, vel aduertenter circa alia ſe vagatos fuiſſe, poſſunt credere ſuo muneri ſatisfeciſſe. Nau. de orat. cap. 13. num. 29.

Hinc non ſatisfacit Eccleſiæ precepto, qui cum non ſit ſui compos, ſed ebrius, recitat, aut Miſſam audit, ſed tenetur factus ſui compos iterum recitare. Et ratio eſt, quia hic non audit, vel recitat actu humano.

Hinc non ſatisfacit Eccleſiæ præcepto, qui dormiendo, aut dormitando diuinum officium perſoluit, & vt à mortali culpa ſit liber, tenetur illud repetere, aut ſupplere id quòd ipſo dormiente ſocius recitauit.

Hinc qui aliqua parte notabili alicuius horæ ſua culpa obdormit in choro, non plus diſtributiones illius lucrifacit, quàm ſi non interfuiſſet.

Hinc non ſatisfacit Eccleſiæ præcepto de audienda Miſſa qui toto tempore, quo illa, aut aliqua eius pars notabilis celebratur, obdormit: ſicut etiam non ſatisfaceret, ſi non intereſſet.

Hh 3 Dixi

Dixi notanter, *aut aliqua eius pars notabilis*, quia obdormire ad verbum vnum, aut alterum, non eſt plus quàm veniale : in omni enim materia præcepti, modicitas excuſat à mortali, ſecundùm Diuum Thom. 2. 2. queſt. 59. art. 4.

Hinc peccant, qui tempore, quo diuinum officium recitatur, deferunt ad chorum canes, & infantes, qui plorant, vel vociferantur, & fatuos qui tumultus excitant. Et ratio eſt, quia ſunt cauſa ſuæ, vel alienæ diſtractionis, ab attentione diuini officij.

Hinc peccat, qui in choro recitat quippiam aliud interim, dum chorus recitat, vel canit. Et ratio eſt, quia non ſolum obſequium, quo eſt obnoxius, choro ſubtrahit, ſed etiam alios pſallentes perturbat.

Hinc qui inchoata hora venit ad chorum, non debet ſtatim ſupplere id, quod iam chorus recitauit, ſed debet illam cum eo continuare, & ea finita, ſupplere defectum.

Hinc peccant, qui pronunciant corruptè dictiones, vel ab eruditis admoniti non ſeruant accentum. Quia præterquam quòd non dicunt id quod, & quomodo debent, ſe, & alios pſallentes perturbant. Nec excuſantur ex eo quòd accentus error ſit paruus. Tum quia non eſt eiuſmodi, cùm ſignificationem mutat. Tum quia licèt paruitas erroris excuſat à culpa mortali, non tamen à veniali. Tum quia quamuis per ſe paruus ſit error, per accidens tamen ob perturbationem, & diſtractionem, quam parit in choro, magnus eſt.

Hinc peccat, qui ſine iuſta cauſa, & aduertens

ſtat,

ſtat, cùm ſedere debeat, & qui ſedet quando ſtate debet. Ratio eſt, quia hic ſeipſum, & alios perturbat, ac proinde ſumit, & dat cauſam auocandi ſe, vel alios ab orationis attentione.

Hinc peccant, qui Miſſam ita ſubmiſſè dicunt, vt circunſtantes non poſſint illam audire. Quia præterquam quòd eſt abuſus, vti declarauit Conc. Baſilien. ſeſſ. 22. titulo de iis, quæ in Miſſa, &c. auditores turbant, & occaſionem præbent murmurandi, & cogitandi multa quæ ſunt attentioni contraria.

Hinc qui ita feſtinanter pronunciat, vt ſocius ſaltem ad verba attendere nequeat; peccat mortaliter, & tenetur horas redicere. Et ratio eſt, quia feſtinatio illa præceps debitam attentionem impedit.

Hinc peccant, qui nimis feſtinè, aut nimis tardè pronunciant Miſſam, hi enim non ſolùm ſeipſos, ſed etiam alios turbant, & diſtrahunt, & occaſionem præbent, vt aliqui dicantur celebrare Miſſam venatorum, alij verò cereorum conſumptores vocentur.

Hinc peccant, qui adeò feſtinè canunt aliquas Miſſas, præſertim defunctorum; vt videatur ſubſannatio, & irriſio bene canentim. Hi enim ſe, & alios perturbant, & per conſequens prouocant magis ad riſum, quàm ad cogitandum de Deo.

QVÆSTIO CXLIII.

An qui inter recitandum exercet aliquam actionem attentioni orationis repugnantem, peccet mortaliter, & teneatur recitatum redicere.

Respondeo affirmatiuè. Et ratio eſt, quia hoc faciens, & aduertens ſe diſtrahi, caret propoſito attendendi, & conſequenter Eccleſiæ præcepto non ſatisfacit, ſed tenetur diuinum officium repetere. Nau. de orat. cap. 10. num. 13.

Hinc, qui dum horas canonicas perſoluunt ex præcepto, ſimul ſponte ſua ſcribunt, pingunt, vel legunt aliquid diuerſum ab eo, quod recitant, vel aliud externum opus faciunt, quod peculiarem attentionem requirit, bis peccant, nunc mortaliter, nunc venialiter. Primò, quia ſeipſos diſtrahunt, deinde verò quia ſocios à bene attendendo auertunt. Et ratio huius eſt, quia hæc omnia, & ſimilia requirunt totum hominem, & abſorbent ita attentionem pro ſe, vt non derelinquant pro recitatione officij, eam quæ requiritur.

Tum quia paria ſunt, non recitare, vel recitare agendo attentioni debitæ repugnantia. At ſecus dicendum eſſet de eo, qui neceſſitate ductus, aut vrbanitate reſponderet alicui, vel ſcriberet, modò animum haberet recitandi ea, quæ ſocij recitant, dum ipſe ſcribit. Ita Sot. lib. 10. q. 5. art. 5. Nauar. de oratione cap. 13. num. 47. Suar. lib. 3. cap. 26. num. 21. Azor. lib. 10. cap. 12. q. 7. & alij.

Hinc,

Hinc, qui dum diuinum officium recitatur, rixantur, murmurant, vel ridẽt barbariſmos, ſolœciſmos accentus, aut prauam pronunciationem eorum qui legunt, vel cantant in Miſſa, aut choro, & ſuper his contendunt cum ſociis, alienando ſeipſos, & alios ab attẽtione neceſſaria eius, quod poſtea recitatur, plus peccant, quàm is, qui errauit. Nam is peccauit in vno, vel altero verbo, ſyllaba, vel accentu, & qui ſic murmurant, vel rident, omittunt dicere, vel audire multa, & diſtrahunt alios, ne etiam audiant, vel dicant.

Hinc, qui rogat, vel cauſam dat, quòd legatur, ſcribatur, loquatur, aut aliud quippiam attentioni debitæ repugnans fiat, peccat. Et ratio eſt, quia qui dat occaſionem damni, damnum dediſſe videtur. c. fin. de iureiur.

Hinc non cenſetur diſtractus ab oratione chori, qui alicui miniſterio eiuſdem chori ibidem incumbit, eíque conuenienter præſtando attendit, ideóque ad illam non aduertit, ille enim ſuo modo tali orationi cooperatur, & ad Deum pro tunc attendit, & ideo vt membrum illius chori, cum toto corpore orat.

Hinc præcepto de audienda Miſſa ſatisfacit, qui in illa miniſtrat, & licèt interdum ad ſacriſtiam eat, vel aliud ſimile faciat, non cenſetur moraliter Miſſam interrumpere. Si verò exiret quis è choro recreationis gratia, etiam ex vera neceſſitate, & propterea partem aliquam officij omitteret, teneretur illam repetere.

QVÆSTIO CXLIV.

An qui dum diuinum officium perſoluit, veſtibus ſe induit, vel ſpoliat, aut aliud quidpiam facit, Eccleſiæ præcepto ſatiſfaciat.

DIvvs Anton.2.p.tit.9.cap.3.§.3.cēſet cum eſſe dignum reprehenſione,& vix ſatisfacere præcepto, quia ex profeſſo ſe immiſcet actibus ab attentione auertentibus.

Contrarium tamen eſt omnino amplectendum. Ducor,quia huiuſmodi opera cùm ſint leuia, facilia,& conſueta, nequaquam animi debitam attentionem impediunt.

Hinc, qui inter recitandum, manus, ac faciem lauat, calamum ad ſcribendum aptat,inſtruit ignē, pectit caput, hanc, vel illam herbam, vel roſam, vel vuam colligit, vel ſternit menſam aut lectum, vel ſimile quippiam facit, non peccat mortaliter. Et ratio eſt, quia illi actus corporales implementum præcepti recitandi impediunt, qui repugnant, & ſunt incompatibiles cuilibet attentioni trium prædictarum, habilitate eorum, qui recitant inſpecta, & conſtat ſupradictos actus non eſſe tales, quia facientes illos poſſunt attendere ad horas aliqua attentione trium ſupradictarum. Vnde apud Monachos Ægyptios, vt ex Caſſiano refert Nauar. de oratione cap. 13. num. 47. in vſu fuit, vt externis operibus occupati preces funderent:quódque

que Pontifices, & alij ſacerdotes dum ſacris veſtibus ſe induunt, dum in medio Miſſę manus lauant, dúmque ſe in fine eius veſtibus exuunt, certas preces dicere præcipiuntur. Atque in ordine Prædicatorum (vt dicit Sotus) eis præceptum eſt, vt ſurgentes horas Virginis perſoluant, & vt antiqua indicat dormitorij diſpoſitio, inter induendum ſe fratres illas inchoabant, videlicet, vt iniqua phantaſmata, quæ in ipſa expergefactione occurrere ſolent, abigerentur.

QVÆSTIO CXLV.

Sed dubitabit aliquis hoc loco, An hic peccet ſaltem venialiter.

RESPONDEO, niſi ſubſit iuſta id faciendi cauſa, eum peccare venialiter propter irreuerentiam, quam ſic orando Deo irrogat. Dixi notanter, *niſi ſubſit iuſta cauſa*, &c. Quia ſi quis præter ſpem ſummo mane excitetur ad ſacrificandum neceſſitate vrgente, & inter veſtiendum, & calceandum diuinum officium pronunciet, non peccat, vt rectè monet Nauarr. de oratione capit. 13. numero 50.

QVÆSTIO CXLVI.

An qui non ex præcepto, ſed ſua voluntate orat ſine attentione, nonnihil peccatum committat.

Et

ET quidem loquendo de eo, qui mente voluntariè diſtracta recitat aliquos pſalmos, vel hymnos,non animo orandi,ſed ſecum loquendi,ſe recreandi,ac mentem aliò diuertendi, certum eſt, hunc non peccare non adhibendo attentionem.Et ratio eſt,quia illos non per modum orationis, ſed tanquam mentis retinaculum eligit.

QVÆSTIO CXLVII.

Tota igitur lis eſt de eo, qui verè vult orare.

GAbriel in Canonæ Miſſæ lect. 62. negat, quia cùm oratio in hoc caſu non ſit de præcepto,ſed voluntaria,ſicut poteſt ſine peccato omitti, ita etiam poteſt ſine peccato ab eo attentio abeſſe.

Sed communis & verior ſententia eſt in contrariũ. Ducor,quia licèt oratio ſit libera,ac proinde ab ea ceſſare poſſimus: at eo ipſo,quòd oramus, orare debemus,prout ipſius orationis ratio, & natura poſtulat, at oratio non ſubſiſtit ſine attentione ſaltem virtuali,ergo.

Tum quia qui vult Deum alloqui, aut aliquid ab eo petere, debet alloqui, & petere conuenienti modo,ille autem non alloquitur, nec petit conuenienti modo,qui non attendit ad ea,quæ dicit, vel petit,vt patet à ſimili de eo, qui cum Principe terreno ſermonem habet.Vnde D.Baſilius in libro de vita perfecta c.2.ait. Attentione enim oráti in primis opus eſt: nam ſi ante Principem conſiſtas,negligentiùs te habendo,minimè audiendo, minimè reſpon

reſpondendo, minimeque aſpiciendo; ſed aliò verſum oculos flectendo, non ſolùm non placabis, ſed & ad iracundiam eundem prouocabis. Quantò magis ante Deum, qui tuam conſcientiam intus, & in cute nouit, & qui ſi quid vacilles ſtatim deprehendit. Et Hugo de ſancto Victore. Si cùm orationem fundimus, quodlibet aliud in corde verſamus, etiamſi illud bonum ſit, à culpa liberi non ſumus.

Tum etiam, quia orationes ſine attentione reprehenduntur à Chriſto Matth. 15. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me.

Tum demum, quia qui hoſpitio excipit aliquem virum venerabilem, quem non tenetur excipere, peccat ſi eum ſordidè, & immodeſtè tractet, quia debet, aut non excipere, aut bene cum debitis circunſtantiis id facere. Valent. 2.2.d.6.q.2.p.12.

QVÆSTIO CXLVIII.

Sed dubium eſt, an hic peccet mortaliter.

RESPONDEO, eum tantùm peccare venialiter. Et ratio eſt, quia defectus circunſtantiæ attentionis in opere aliàs non debito, inducit tantummodo indecentiam quandam, quæ planè contra charitatem non militat.

Hinc, qui ſine attentione ſaltem virtuali coronam, vel aliquid aliud ex deuotione recitat, peccat venialiter. Et ratio eſt, quia licèt tunc non teneatur ex præcepto affirmatiuo orare, nihilominus ex

præcepto

præcepto negatiuo Religionis, & tenetur cauere actus irreuerentiæ, & alloqui Deum conuenienti modo ex ſuppoſitione, quòd ipſum alloqui, & orare velit.

QVÆSTIO CXLIX.

Vtrùm poſſimus eodem tempore Miſſam audire, & horas canonicas, vel alias preces votas, vel à confeſſario iniunctas recitare.

SYLVEST. verb. Miſſa. 2. §. vlt. Ang. verb. feriæ num. 46. Roſel. verb. Dominica. nu. 7. & Armil. verb. feſtum. nu. 11. negant. Quia vtrique actioni, ſua & propria debetur attentio, & implicat contradictionem, vt duabus rebus diuerſis ſimul quis attendere poſſit.

At multò probabilius eſt poſſe. Ducor, quia vno & eodem opere duo præcepta ſimul implere poſſumus, & attentio, quæ in Miſſa audienda requiritur, non impedit eam quam horæ canonicæ, vel aliæ preces poſtulant, quoniam vtrique præcepto ſatisfacimus, ſi animum ad Deum ipſum, réſque diuinas attendamus.

Tum quia per præceptum audiendi Miſſam, ſolùm ſancitur, vt Miſſæ ſacrificio aſſiſtamus, non autem vt ſimul quæ à ſacerdote dicuntur, audiamus, cùm longè diſtantes ab altari, & Græcorum Miſſam audientes, præcepto de audienda Miſſa ſatisfaciunt, neque per ſolutionem orationum præceptarum attentio Miſſę debita tollitur, & qui red-

dunt

dunt creditori extrema neceſſitate laboranti debitum, eodem actu, iuſtitiæ, & charitatis præceptum adimplent. Quod intelligo de illo, qui in vtrumque, tantum quantum neceſſe eſt, animum intendit, non autem de illo qui ſolùm aduertenter tantopere attendit ad vnum eorum vt in aliud non attendat quantum eſt neceſſe. Ita Nauar. de oratione cap. 16. nu. 71.

Hinc, qui dum Miſſa ſolemnis cantatur, tempore quo ſacerdos tacet, recitant, ceſſando, quando dicitur oratio, Epiſtola, & Euangelium, & deinde proſequendo vſque ad finem, non tenentur horas repetere, quia hæc duo ad eundem ordinantur finem, nempe ad vacandum rebus diuinis.

QVÆSTIO CL.

An aliquo modo peccet, qui vtrumque eorum ſimul complet.

ET quidem certum eſt in primis, hunc nullum peccatum admittere, ſi horas canonicas perſoluat eo tempore, quo non poteſt audire ſacerdotem, aut quia longè diſtat ab eo, vel quia ſubmiſſa, & tacita voce orat, vel eſt ſurdus, aut aliàs impeditus.

Secundò etiam eſt certum, hunc non peccare, qui ante, vel poſt Miſſam aliis operibus honeſtis impendit tempus, quod lucratur in vtroque ſimul faciendo, & non impendit fruſtra otiando.

Tertiò etiam eſt certũ eum non peccare qui ſicut eodem

eodem tempore vult implere duo præcepta, ita conatur duplò magis attendere, quàm attendiſſet, ſi alterum implere vellet.

QVÆSTIO CLI.

Tota ergo quæſtio eſt de eo, qui nulla iuſta cauſa, ſed vt poſtea otietur, vel antea fuit otiatus, vtrumque eodem tempore implet.

ILLVSTRISSIMVS Caietanus in opuſc. tom. 2. tract. 4. cenſet eum peccare venialiter.

Sed verius, ac probabilius multò eſt, quod docet Nauarrus de oratione cap. 16. n. 71. & in Man. c. 21. nu. 8. Scilicet hunc nullum peccatum admittere. Et ratio eſt, quia vt præcepto de audienda Miſſa in diebus feſtiuis, & de recitandis horis canonicis ſatisfaciamus, ſufficit, ſi ad Deum ipſum, vel ad diuina myſteria animo attendamus, ergo poſſumus dum ſacrum audimus, & horas canonicas perſoluimus, vna attentione vtrumque officium præſtare, videlicet ſi ad Deum, cæleſtéſque res mentem, & animum intendamus.

Tum quia, vt diximus, nemo tenetur de præcepto audire, aut intelligere quod ſacerdos dicit: ſufficit enim exteriùs aſſiſtere ſacerdoti, qui pro omnibus orat, & interiùs optare actualiter, vel virtualiter, vt Deus eum exaudiat, flectendo, & leuando genua inſtar aliorum, caueréve de induſtria cogitare, dicere, vel agere quicquam,

quicquam, quod prædicto deſiderio, & aſſiſtentiæ repugnet, quale non eſt recitatio, cùm in eundem finem, in quem Miſſa, tendat.

Fateor quidem difficile eſſe, vt ſi dum rem diuinam audis, & horas canonicas, ad verba animum intendas, & vtrumque præceptum impleas; & hoc eſt, quod Syluester, Angelus, Roſella, & Armilla docere voluerunt, ſed id neceſſe non eſt, quia ſufficit, ſi ad Deum, vel res diuinas animum intendas.

QVÆSTIO CLII.

An præcepto ſatisfaciat, qui deuotè, & attentè diuinum officium recitat, nolens tunc præcepto ſatisfacere, ſed intendens iterum repetere ad ſatisfaciendum præcepto.

QVÆSTIO intelligitur de eo, qui voluntariè recitat, vel audit Miſſam, & non inuitus, & per vim præciſam, ſeu violenter, nam qui ſic faceret, non recitaret, nec audiret Miſſam verè.

Et quidem certum eſt in primis, eum qui à principio accedit ad recitandum, cum propoſito implendi præceptum, etiamſi in diſcurſu orationis de hoc non recordetur, ſatisfacere præcepto, quia ſatis eſt, quod eam voluntatem implendi non retractet, quia virtute cenſetur priorem intentionẽ retinere.

Secundò etiam eſt certum, quòd vt cenſeatur quis diuinum officium recitare, cum propoſito ſatisfaciendi præcepto, ſatis eſt, quòd ex cõſuetudine

quadam illam recitationem horarum tanquam expletiuam ſuæ obligationis, vel quòd in actu exercito velit eam facere, vt ſolet, quia eo ipſo vult illam, vt impletiuam præcepti.

Tertiò etiam eſt certum, ad ſatisfaciendum præcepto ſufficere ſimplicem voluntatem ſingulis diebus dicendi horas, dummodo expreſsè, & cum reflexione non dicat ſe nolle implere præceptum per talem recitationem. Et ratio eſt, quia iſta voluntas orandi, virtualiter eſt voluntas implēdi præceptum, quia procedit ex illa generali voluntate, qua vnuſquiſque in ſuis honeſtis actionibus vult ſuo muneri ſatisfacere.

Hinc, qui inſcius, vel immemor præcepti recitaret, aut neſciens eſſe diem feſtum, caſu ſacro intereſſet, verè Eccleſiæ præceptum impleret, cùm non habeat voluntatem contrariam non ſatisfaciendi, aut iterum Miſſam audiendi, ac perinde non teneretur Miſſam iterum audire, quando intelligit, vel recordatur eſſe diem feſtum, ſolùm enim per legem præcipitur, vt ſponte recitemus, vel Miſſam audiamus.

Idem dicendum eſt de voto, iuramento, & de pœnitentia Sacramentali, quibus ſatisfit, ſi opus per illas obligationes iniunctum actualiter ab illo debente impleatur, & ſi non adſit intentio ſatisfaciendi voto, vel pœnitentiæ, ſed omnino horum obligatio memoria exciderit. Quia hæc inſtar præcepti obligant.

Hinc, ſi debeo mille domino incerto. poſſum omnes eleemoſynas, quas poſtea ignorans, ſeu illius obligationis immemor ex mea deuotione largitus ſum, in partem prædictæ reſtitutionis computare.

QVÆ

QVÆSTIO CLIII.

Tota igitur lis eſt de eo qui attentiſſimè diuinum officium perſoluit, animo tamen expreſſo non ſatisfaciendi præcepto per illam recitationem, ſed cum propoſito iterum idem officium recitandi, An videlicet hic ita præceptum non impleat, vt teneatur in rigore iterum recitare.

IN hac graui, & perdifficili quæſtione, ſunt qui dicunt, hunc non adimplere præceptum, ſed teneri iterum illud adimplere. Quia actus non operantur vltra agentium intentionem. Ita Nauar. de orat. cap. 13. nũ. 15. & cap. 20. num. 30. Med. C. de oratione q. 16. Azor. lib. 10, c. 8. q. 7. Rodriq. tom. 1. cap. 143. num. 2. Francol. cap. 27. Macig. cap. 84. Vega cap. 128. caſu 22. & multi alij, qui adeò putant id eſſe verum, vt ſi in eodem die voluntatem mutet, & dicat ſe velle ſatisfacere præcepto per illam primam recitationem, non ſatisfaciat, ſed eſt neceſſe, vt de nouo expleat illud.

Contrarium tamen eſt proculdubio affirmãdum. Ducor, quia per legem ſolùm præcipitur libera, & humana externi operis executio, & non vt fiat ex tali intentione. Cùm ergo hic verè actu humano, & liberè diuinum officium perſoluat, quantumuis nolit ſatisfacere, verè præcepto ſatisfacit.

Tum quia ea ſatisfaciendi præcepto intentio non requiritur ad implenda præcepta negatiua, vt non

ſurandi,non occidendi, ergo nec ad poſitiua. Quia eadem eſt de omnibus his ratio.

Tum quia verè impleret præceptum recitandi officium, qui illud ex contemptu recitaret, ergo à fortiori cum intentione non ſatisfaciendi.

Tum quia non poteſt quis ſua voluntate facere, vt maneat Eccleſiæ obligatio,ſi ei ſatisfactum eſt ſecundùm ſubſtantiam, ergo impertinens eſt, quòd eo aut alio fiat animo,modò quis faciat, quod præcipitur.

Tum demum, quia qui ieiunat die ab Eccleſia præcepta, non tamen cum animo ſe à debito liberandi,non tenetur iterum ieiunare.

Hinc, qui Miſſam audit animo non ſatisfaciendi præcepto auditione illius Miſſæ, ſed intendẽs aliam audire,ſatisfacit præcepto. Ratio eſt, quia Eccleſia non præcipit Miſſæ auditionem cum animo adimplendi præceptum, ſed ſimpliciter præcipit Miſſam audiri.

Hinc, ſi lata eſſet excommunicatio contra non audientes Miſſam, non ligaret eum qui Miſſam audiuit animo non ſatisfaciendi præcepto, modò deuotè, & attentè audierit. Et idéo huius opinionis ſunt Valent.2.2.diſp.6.q. 2.p. 10. Leſſ.lib.2.cap.37. dub.10.num.59. & cap.46.dub.6.num.42. Vaſq.1. 2.q.100.art.9.dub.1. Suar.tom.3. in 3.p.q.83.art. 6. diſp.88. ſect.3. & alij. Et videtur eſſe expreſſa ſententia D.Thom. 2.2.q.104.art.3.ad 2.vbi ait, poſſe quempiam actum virtutis implere,non attendendo ad rationem præcepti, & Magiſtri Soti lib. 10.q. 5.art. 5. vbi ſic ait, præceptum audiendæ Miſſæ, obligare ſolùm ad ita audiendum, vt ſit actus humanus.

Idem

Idem iudicium ferendum eſt de voto, iuramento, & pœnitentia Sacramentali iniuncta: illa enim verè implentur, ſi opus iniunctum exequatur cum expreſſa voluntate non ſatisfaciendi præcepto. Quia cùm hæc inſtar præceptorum obligent, ſolùm ad ſubſtantiam actus præcepti exequendam obligant.

Dices, præceptum obligat ad obedientiam, quæ eſſe non poteſt, vbi deeſt intentio ſatisfaciendi præcepto.

Reſpondeo, præceptum obligare ad obedientiam materialem, nempe vt ſponte fiat, quod præcipitur, non autem ad obedientiam formalem, nempe vt velit per illud opus præcepto ſatisfacere.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpondeo, illam Regulam eſſe veram in his quæ ab ipſius agentis intentione pendent: adimpletio autem præcepti non pendet ab intentione illius adimplendi, cùm Eccleſia hanc intentionem non requirat.

QVÆSTIO CLIV.

Sed grauius dubium eſt, An teneatur hic mutare intentionem, & habere voluntatem ſatisfaciendi intra tempus obligationis præcepti.

ARAG. 2.2. q. 83. art. 13. Leſſ. lib. 2. cap. 46. dub. 9. nu. 42. & Suar. 3. tom. 3. p. q. 88. ſect. 3.

affirmant eum ad id teneri. Quia cùm implere præceptum actus obedientiæ ſit, id minimè impletur, dum voluntas non implendi, & ſic non obediendi durat. At ea mutata impletur, quia illi actui ſola ea voluntas deerat.

Alij verò rectiùs docent, hanc voluntatis mutationem non requiri, vt præcepto ſatisfaciat. Quia ſi per illum actum hic verè ſatisfecit præcepto, non videtur neceſſaria talis voluntatis mutatio.

QVÆSTIO CLV.

An obligati ad recitandum diuinum officium, vocaliter illud dicere teneantur.

Respondeo quòd ſic. Et ratio eſt, quia cùm omnes Eccleſiaſtici tantùm ex præcepto Eccleſiæ ad diuinum officium teneantur, & Eccleſia non præcipiat immediatè actus merè internos, quos non cognoſcit, ſed actus externos, de quibus poteſt iudicare, fit vt actu externo, id eſt, voce, illud perſoluere teneantur.

Et confirmatur, nam officium diuinum cùm ſit oratio communis, & in perſona Eccleſiæ offeratur, neceſſe eſt, vt ſicut Eccleſia ſenſitiuis creaturis conſtat, ita illa ſuorum miniſtrorum oratio fiat ſignis communibus, & notis aliis, pro quibus offertur.

Et eſt concluſio definita in Conc. Baſilienſ. ſeſſ. 21. §. 2. vbi expreſsè præcipitur, vt horæ canonicæ non inter dentes, nec in gutture, nec ſyncopatè dicantur, ſed integrè voce pronuncientur.

Hinc, qui ſolus recitando diuinum officium, oculis

lis illud perſpicit, & percurrit, Eccleſiæ præcepto non ſatisfacit. Et ratio eſt, quia tenetur dicere, & pronunciare, & recitare ita vt ſaltem ſeipſum intelligat.

Hinc non eſt audiendus Nauarrus de orat. c.20. n.14. vbi ait: diſputando ſuſtineri poſſe, ea quæ iubétur dici ſecretò in Miſſa, vel diuino officio, poſſe dici mentaliter, ſatisfaciẽdo Eccleſiæ præcepto. Hoc enim probabile non eſt, propter rationẽ adductam.

QVÆSTIO CLVI.

Sed quæres, cùm Deus ſit ſcrutator cordium, & vt intelligat, & penetret occulta cordium, non indigeat voce, quare petit vocalem orationem.

RESPONDEO, hoc fieri primò, vt noſter affectus magis excitetur ad Deum, vox enim eſt velut quidã ſtimulus excitans, & prouocans affectum.

Secundò, vt aliorum affectus etiam prouocetur.

Tertiò, vt pluribus modis laudetur Deus, cùm pluribus modis ſit excellens, & pluribus modis ſimus ei debitores.

Quartò, vt etiam in voce ſit manifeſta diſtinctio inter Eccleſiaſticos, & ſæculares.

Quintò, & vltimò, propter facilitatem, nam ſola mente orare, ſeu laudare Deum continuè per aliquod tempus difficile eſt, quia oratio mentalis neceſſariò attentionem actualem requirit: ore verò non eſt ita difficile, quia ſufficit tunc virtualis attentio, cùm deeſt actualis ob aliquam inaduertentiam.

QVÆST. CLVII.

An ad ſatisfaciendum Eccleſiæ præcepto, neceſſarium ſit horas canonicas elata voce recitare.

IN qua re certum mihi eſt, eum qui publicè, & in communi, pro vſu fidelium horas canonicas recitat, debere alta, & clara voce illas proferre. Et ratio eſt, quia finis orationis publicæ eſt, vt fideles illam audiant, & percipiant, per eámque excitentur ad deuotionem, ergò talis eſſe debet, & ita vſus Eccleſiæ confirmat.

Secundò certum quoque mihi eſt, eum qui non obligatur pro vſu populi in Eccleſia publicè recitare, non teneri alta voce orare, ſed ſufficit, ſubmiſſa voce horas canonicas recitare. Quia tunc nec ex natura rei, nec ex præcepto Eccleſiæ oritur obligatio altiùs orandi.

QVÆSTIO CLVIII.

Sed quæres, qualis, & quanta debeat eſſe vocis pronunciatio in eo, qui horas canonicas perſoluit.

ET quidem ſi hic vnà cum ſocio iure diuini officij aſtricto horas canonicas recitat, proculdubio tenetur tam altè dicere, vt à ſocio audiri poſſit. Et ratio eſt, quia vnuſquiſque tenetur dicendo, vel audiendo totum officium explere.

Tum

Tum quia, ſi recitans audire debet ſe pſum, multò magis ſocium cum quo recitat, quia alioqui non ſuppleret audiendo, quod omittit non recitando.

QVÆSTIO CLIX.

Tota igitur difficultas conſiſtit de eo, qui ſolus, & priuatim horas canonicas perſoluit.

MEDINA Cod. oratione q. 7. cenſet tam altam eſſe debere vocis pronunciationem, vt à propè adſtantibus, ſi adeſſent, neque eſſent impediti, audiri poſſit.

Illuſtriſſimus Caietanus 2.2. q.83. art. 12. putat neceſſarium eſſe, vt recitans priuatim officium, ita verba proferat, vt ſeipſum audiat.

At verò Azor. lib. 10. cap. 11. q.4. & alij infrà citandi docent, ſatis eſſe vocem formare, linguam, & labia mouendo, etiamſi à nemine, neque ab ipſo proferente audiri poſſit. Pro quo

Primò dico, quòd qui ſolus, & priuatim horas canonicas perſoluit, ſatisfacit Eccleſiæ præcepto, ſi eas ita recitet, vt verè dici queat, ore, vocéque precari. Quia vt egregiè Caietanus docet, oratio publica de præcepto quidem debet eſſe vocalis, ſed tam clara, & alta, ſolummodo ex decentia, quæ decentia ceſſat, cùm ad non impediendum, vel offendendum alterum, decentius eſt, illas ſubmiſsè dicere.

Secundò dico, quòd quando quis recitat ſolus,

non tenetur ex præcepto ad di endum tam altè, vt ab aſſiſtentibus percipi poſſit. Ratio eſt, quia oratio vocalis eſſe poteſt, etiamſi ad aliorum ſenſum non poſſit applicari, id enim per accidens eſt, & ideo non obſtat, quominus per illam ſatisfiat præcepto.

Tum quia illi, qui ſolus horas canonicas perſoluit, iniungitur, vt illas pronunciet ad ſe tantùm mouendum, & vt toto homine, ideſt mente, & corpore Deo inſeruiat: ad hoc autem ſufficit formare verba, ita vt ab ipſo ſolo audiantur, & percipiantur.

Tum quia ex ipſo etiam Eccleſiæ præcepto, in Miſſa & in ipſis horis canonicis, quædam pronunciantur ſecreta voce, & quæ à circunſtantibus non audiuntur.

Tum quia id ſeruant multi Sacerdotes, & pij, ac eruditi, qui recitant diuinum officium audiendo Miſſas aut manendo in ſacellis, aut choris, vel cubiculis, vel iter agendo cum aliis, vbi ſi tam altè, & clarè recitarent, vt Medina vult, alij alios impedirent, & aliorum perturbatores cenſerentur, quales habentur, qui clara, & alta voce orant.

Tertiò dico, quòd valdè probabilis eſt eorum opinio, qui aſſerunt, non opus eſſe, vt recitans ſeipſum audiat, ſed ſufficere, vt omnia verba diſtinctè pronunciet, linguam, & labia mouendo, ſiue ſeipſum audiat, ſiue non: & ratio eſt, quia nullo iure probatur, recitantem ad hoc teneri, cùm præceptum obliget ad dicendum, non ad audiendum.

Tum quia oratio ore, & voce fieri poteſt etiamſi non

ſi non audiatur ab ipſo recitante, & ex ſe ſit quidam ſonus formatus ex alliſione aëris ad labia, & dentes.

Tum quia ſequeretur, ſurdaſtros teneri diuinum officium altiſſima voce recitare.

Tum demum ſequeretur, eum qui ſeipſum ex aliquo accidente audire nequit, dum diuinum officium perſoluit, verbi gratia ob ſtrepitum malleatorum, non ſatisfacere præcepto, quæ omnia ſunt abſurda. Et ideo ita ſentiunt Malder. tract. 10.cap.2.dub.3. Molfeſ.cap.2.ad finem num. 105. Macig.cap.60.num.4. Paul. Squillas dub.23. num. 45.Bonac.diſp.1.q.3.p.11.& Azor.vbi ſuprà.

Quartò, & vltimò dico,quòd verior, & probabilior eſt eorum opinio, qui aſſerunt eum qui ſolus,& priuatim horas canonicas recitat, teneri ita verba proferre, vt impedimentis ſublatis, ſeipſum ſaltem audire poſſit. Et ratio eſt, quia hæc eſt oratio vocalis, vt conſtat ex cap. Dolentes.de celebrat. Miſſar. de ratione autem orationis vocalis eſt, vt voce proferatur, & à ſeipſo orante ſaltem audiatur, non enim eſſentialiter eſt ſonus quidam.

Tum quia in Conc. Baſilien. ſeſſ.21. habetur eos qui priuatim recitant, non debere in gutture, vel inter dentes verba formare.

Tum quia horæ canonicæ proferri debent voce, vt habeamus ſignum externum, quo mens noſtra eleuetur in Deum. Signum autem non operatur niſi ingerendo ſenſui ſpeciem ſui, & vocalis recitatio horarum non audita, nullam ſui ſpeciem ſenſui ingerit.

Tum demum, quia vix poteſt formari vox, quæ ab ipſo orante audibilis non ſit, impedimentis remotis:

motis: & verè id neceſſarium videtur, ad hoc vt quis moraliter certus ſit ſe exequutum eſſe illud præceptum: & ideò licèt quantitas vocis non præcipiatur, tamen in ipſo præcepto orandi vocaliter intrinſecè includitur obligatio ita orandi, vt poſſit quis percipere orationem ſuam, & certus reddi, quòd eam dixerit. Et ideo ita tenent Valent. 2. 2. diſp.6.quæſt.1.p.10.Tolet.lib.2.cap.10.num.4.Suar. tom.2.lib.4.cap.7.num.5.Reginal.lib.18.num.174. Molfeſ.cap.2.num.101. & Nauar. de orat. cap. 20. num.14. vbi ſic ait: Ego autem non obſtantibus his, dico ſufficere formare verba intra labia, ita vt iſta ipſa audire, vel intelligere queat.

QVÆSTIO CLX.

An clericus ſuæ obligationi ſatisfaciat, ſi in diuino officio recitando ſibi ſocium adhibeat, ita vt ambo alternos pſalmorum verſus, & lectiones recitent.

RESPONDEO ſatisfacere, vt conſtat ex praxi Eccleſiæ, & ex communi omnium ſententia. Nauar.de oratione cap.10.numer. 16. Azor.lib.10. cap.7.quæſt.6.Suar.lib.4.cap.25. num. 2. Reginal. lib.18.num.158.Leſſ.lib.2.cap.37.dub.9. numer.52. Molfeſ.tract.5.nu.14.Filiucius tract.23. cap.7.q.8. Emman. Sa in aphoriſm. confeſſ.verbo hora.num. 12.& alij communiter.

QVÆSTIO

QVÆSTIO CLIX.

Qui fuit primus, qui morem hunc alternatim pſallendi in Eccleſiam introduxit.

DIVVS Athanaſius quem refert, & ſequitur Theodoretus lib. 1. Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 14. putat Flauianum, & Diodorum fuiſſe in ſua Eccleſia illius inuentores.

Alij vt Socrates lib. 6. Hiſtor. eccleſiaſt. cap. 8. & Nicephorus lib. 13. Hiſtoriæ cap. 8. Beatum Ignatium hunc morem in Antiochenam Eccleſiam introduxiſſe ferunt, qui in alias deinde Eccleſias Occidentis manauit. Cauſam dedit viſio quædam cæleſtis, in qua Angelos hymnos in laudem Sanctiſſimæ Trinitatis alternis vocibus collaudantes audiuit. In Occidente verò S. Ambroſius eandem rationem in ſua Eccleſia Mediolanenſi inſtituit, teſte Iſidoro lib. 1. de officio eccleſiaſt. cap. 7. quam reliquæ Occidentis Eccleſiæ ſunt ſequutæ. Atque eodem fere tempore Damaſum Papam illam approbaſſe, & Romanæ curiæ imperaſſe ferunt. Ideóque illi tribuitur in Breuiario Romano: antea omnes ſimul canebant, nec erant in choros diſtincti.

Alij verò morem hunc originem habuiſſe à Seraphinis, quos Iſaias vidit clamantes, alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, &c.

Ex quo manifeſtè colligitur, à primis Eccleſiæ temporibus pſalmos, & hymnos alternis vocibus in Eccleſia cani ſolitos. Ratio huius inſtitutionis eſſe potuit, primò quia iſta varietas oblectat audientes,

dientes,& maiorem deuotionem prouocat.

Secundò, quia hoc modo labor canendi faciliùs ſuſtinetur.

Tertiò, quia dum lingua paululum quieſcit, Spiritus magis excitatur, vnde faciliùs mentalis oratio cum vocali admiſcetur.

Quartò, & vltimò, quia ex illa mutua reſponſione, exercetur mutua excitatio ad laudandum Deum.

QVÆSTIO CLXII.

An clericus Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat, ſi alternatim horas canonicas perſoluit cum ſocio, nullam talem obligationem habente?

Respondeo ſatisfacere, parum enim refert, quod alter ex obligatione recitet, nec ne: nam Eccleſiæ præceptum implet, diuinum officium partim recitando, partim attentè audiendo.

QVÆSTIO CLXIII.

An ſocius tunc teneatur ſub mortali ad attendendum his, quæ recitat.

Respondeo non teneri. Et ratio eſt, quia nec ad audiendum alterum tenetur, neque ipſe ſe obligat ad orandum, ſed ſolùm ex natura orationis voluntariæ, nec talis attentio iniungitur ab Eccleſia

Eccleſia, ſed liberum ei relinquit, ſicut ipſam recitationem, neque ex vi cooperationis cum alio qui obligatur, attendere tenetur, quia alter per ſe ſuo muneri, & officio ſatis facit partim dicendo, partim audiendo attentè, quæ alius recitat, ergo ex vi cooperationis ſolùm tenetur ad ita pronunciandum, vt obligatus poſſit omnia percipere, & quaſi per illum dicere.

Tum quia licèt illa actio reſpectu recitantis nomen orationis non mereatur, eſt tamen oratio reſpectu attentè audientis iuxta receptum Eccleſiæ morem, præſertim cùm actui alterius interno communicare non poſſimus, & ſenſus noſter ea non capiat quæ ſub ſenſum non cadunt. Et ideo ita tenent Leſſ. lib. 2. cap. 37. dub. 9. nu. 52. Reginald. lib. 18. num. 158. Filiuc. to. 2. tract. 23. cap. 7. q. 8. nu. 241. Emm. Sa verb. hora. num. 12. & alij.

QVÆSTIO CLXIV.

An qui recitat cum pluribus, teneatur attendere ad verba omnium.

RESPONDEO non teneri, ſed ſufficere, vt vocem alicuius alterius chori audiat, quia cùm ipſe officium ex ſua parte recitet, & aliquem ex alia parte recitantem audiat, cenſendus eſt officium in choro perſoluere, & in parte alterius chori communicare. Ita Azor. lib. 10. cap. 7. q. 7. Reginal. lib. 18. num. 158. Molfeſ. tract. 5. cap. 2. num. 19. & 102. Bonac. diſp. 1. q. 3. p. 2. num. 9. & alij,

QVÆSTIO

QVÆSTIO CLXV.

An quando tres, vel quatuor alternis verſibus diuinum officium recitant, plures quàm duos choros facere poſſint.

RESPONDEO non poſſe, quia tunc fieret, vt ſinguli non dicerent niſi tertiam, vel quartam partem verſuum, quod non ſufficit, quia eſt contra vſum Eccleſiæ, debent ergo dicere vnus, vel plures ex vna parte, & duo, vel tres, aut quatuor ex alia, ita vt alternis dicant, hic enim eſt vſus, & praxis Eccleſiæ, quam in priuata recitatione extra chorum imitari debemus, cùm hunc ritum in choro approbet Eccleſia. Ita Suar. lib. 4. cap. 25. numer. 2. Mol. Tel. tract. 5. cap. 2. num. 17. Azor. lib. 10. cap. 7. q. 9. Reginal. lib. 18. num. 158. Filiuc. cap. 8. q. 8. nu. 241. & Bonacina diſp. 1. q. 3. p. 2. num. 10.

QVÆSTIO CLXVI.

An neceſſe ſit, quando plures diuinum officium perſoluunt, alternatim lectiones dicere, vel poſſit vnus omnes recitare.

RESPONDEO, vſu eſſe receptum, vt omnes per vices ſuas ſuam lectionem dicant, quia id videtur magis accommodatum, & vrbanum. Abſolutè verò arbitror non eſſe id neceſſarium, ſed poſſe

poſſe omnes lectiones ab vno dici reliquis attentè audientibus. Quod etiam extra chorum ſeruari tuta conſcientia poteſt, quia nulla eſt lex quæ hoc prohibet. Ita Azor. lib. 10. cap. 7. q. 9. Suar. lib. 4. cap. 25. n. 4. Bonacina de horis canonicis diſp. 1. quæſt. 3. p. 2. nu. 10. & alij.

QVÆSTIO CLXVII.

An qui alternatim cum ſocio diuinum officium recitat, ſufficiat audire antiphonas, orationes, & capitula, quæ ab alio dicuntur.

Respondeo ſufficere. Et ratio eſt, quia ita fit in choro, & ideo ita eſt faciendum extra chorum. Vnde ſatis eſt, ſi quis attentè illa audiat, cùm dicuntur à ſocio. Ita Suar. lib. 4. cap. 25. nu. 5. Azor. lib. 10. cap. 7. q. 8. & plerique alij.

QVÆSTIO CLXVIII.

An qui verſus ad ſe pertinentes non recitat, ſed audit, nec propoſitum habet, iterum dictum officium recitandi, peccet mortaliter.

Respondeo eum peccare mortaliter. Et ratio eſt, quia hoc præceptum non eſt de audiendo diuino officio, ſed de recitando modo ab Eccleſia recepto, ſeu probato, hic autem non recitat, ſed au-

dit,quia non dicit verſus ſuos, nec alios vt ſuppono: hic verò modus recitandi non eſt ab Eccleſia receptus,nec approbatus, neque ex natura rei poteſt dici recitatio,ergo.

QVÆSTIO CLXIX.

An licita ſit prædicta alternatio dicentis, & audientis in recitatione aliarum dicendarum. Perinde eſt,ac ſi quæreretur, An qui pſalmos pœnitentiales aut officium mortuorum,vel paruas Beatæ Virginis horas, vel litanias,vel hymnos,aliáſve quaslibet preces recitant, poſſint hæc vnà cum ſocio alternis vocibus dicere.

ET quidem, ſi hæc recitatio ſit voluntaria, certum eſt,hunc poſſe hoc modo recitare propter laudabilem Eccleſiæ vſum,vt piè monet Nauar. de oratione miſcel. 32. affirmans ſæpiſſimè ſolitum fuiſſe hoc modo recitare.

QVÆSTIO CLXX.

Sed dubium eſt, quando recitatio eſt de præcepto,ſcilicet ex voto, vel ex impoſitione Confeſſarij,aut ſuperioris,&c.

NOnnvlli dubitant.

Alij verò rectiùs affirmant poſſe. Et ratio eſt,

eſt, quia iſte modus recitandi eſt conſentaneus vſui Eccleſiæ, in ſuis canticis, & orationibus communibus, & eſt ſatis aptus ad orandum attentius, & cum maiori interna deuotione, & ſine tædio.

Tum quia, vbi duo coniunguntur in Chriſto ad orandum, quaſi vnum efficiunt, & ibi communicant partes ſuas, & ita vnuſquiſque cenſetur moraliter totum dicere, quod ambo alternatim dicunt.

Tum demum, quia non apparet ratio, cur in his potius, quàm in horis canonicis id videri debeat illicitum. Ita Nauar. de oratione cap. 10. numer. 21. Suar. lib. 3. cap. 9. numer. 14. Naldus verb. officium diuinum. numer. 9. Azor. p. 1. lib. 10. cap. 7. q. 10. & plerique alij.

QVÆSTIO CLXXI.

An pari ratione licitum ſit coronam, aut Roſarium Beatæ Virginis recitare alternatim cum alio, ad ſatisfaciendum obligationi, ita quod omnes dicant ſimul orationes Dominicas, & alternatim ſalutationes Angelicas.

Respondeo licere. Et ratio eſt, quia tuta conſcientia huiuſmodi penſum interpretari poſſumus eſſe reddendum eo more, quo officium eccleſiaſticum exoluitur, ergo ſatis eſt, ſi eæ preces alternatim fundantur à pluribus.

Tum quia non minus hîc excitatur deuo-

cio & obtinetur finis orationis,& moraliter totum legi cenſetur quod alternatim recitatur. Nauar. de oratione cap.10.num.20.Azor.lib.10.cap.7.q.10. & multi alij.

QVÆSTIO CLXXII.

An plures obſtricti ad ſingulas Miſſas dicendas,ſatisfaciant,ſi vnus eam dicat,& alij miniſtrando,& reſpondendo audiant.

RESPONDEO non ſatisfacere. Et ratio eſt,quia nec per ſe , nec per alium faciunt id, ad quod tenentur,(nimirum ad dicendum Miſſam)ſicut faciunt hi qui cum alio horas Canonicas perſoluũt, nam cenſentur dicere vnam partem per ſe, & alteram per alium, quem audiunt,receptum Eccleſiæ morem obſeruantes.

Tum quia,iuxta communem loquendi modum ille dicitur celebrare Miſſam, qui offert,conſecrat, & ſumit,non qui celebranti inſeruit. Nauar. de oratione cap.10.nu.20.& cap.19.n.80.Reginald.lib. 18.nu.159.Azor.lib.10.cap.7.q.10.& alij.

QVÆSTIO CLXXIII.

Vtrùm is,qui eſt ad chorum , & cantum deputatus , ſuum munus , & officium expleat,ſi partem ad ſe pertinentem ita ſubmiſſa,& tacita voce pronunciet , vt non canat cum aliis,ſed tantùm ſocios canentes in altero choro auſcultet.

ARAG.

ARAG.2.2.quæſt.83.ar.12.& Rodriq. p.1.cap. 142.nu.2.affirmant hunc ſuum munus, & officium explere. Et probant, quia in cap.vltim. diſt. 92.ſolùm præcipitur, vt aſſiſtant in choro, & ad ſummum vt recitent in Eccleſia, non autem vt canant, at ille aſſiſtit, atque etiam recitat in Eccleſia, ergo.

Tum quia, ad hoc vt quis cum aliis orare dicatur, ſufficit, vt exiſtens in choro, audiat vocem alterius chori, & ipſe in ſuo choro dicat partem ſuam ſic, vt poſſit audiri ab his qui ſunt cum eo. Verum eſt tamen, quòd ſi omnes qui ſunt vnius chori loquantur, tam ſubmiſſa voce, vt non poſſint audiri ab alio choro, peccant mortaliter, cùm ſint cauſa, quòd alter chorus non ſatisfaciat, & faciunt cōtra ordinationem Eccleſiæ præcipientis vt choratim impleatur præceptum recitandi diuinum officium; quaſi inuitantes ſe adinuicem ad diuinas laudes.

Alij verò, vt Caietanus in ſumm. verb. horæ canonicæ, & tom.1.opuſc.tract. vltim. reſp. 8. & Nauar.de oratione cap.19. nu. 81. negant eum Eccleſiæ præcepto ſatisfacere. Et ratio eſt, quia qui ſic recitat partem ſuam, non communicat alteri choro, quia ſibi recitat, & non aliis, ergo non implet præceptum recitandi, quia debet impleri per mutuam communicationem recitantium, quilibet enim choriſta tenetur ad totum officium dicendum, cap.1.de celebr.Miſſar.ergo vel per ſe, vel per communicationem cum alio: cùm autem dicit totum per ſe, tunc poteſt ſibi ſubmiſſa voce dicere, vt autem totum cum alio dicat, oportet vt illi communicet partem ſuam, quod non facit,

quando ſibi ſoli dicit, & ideo non ſatisfacit.

Et confirmatur, nam vt hic Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat, neceſſe eſt, vt dicat partem ſuam, non tantum materialiter, vt ſic dicam, ſed vt partem illius orationis communis, at non ſic dicit, qui ſibi ſoli dicit.

Confirmatur ſecundò, nam de ratione ſocietatis eſt, vt bona communicentur, l. 1. ff. pro ſocio. Officium autem diuinum per modum ſocietatis celebratur dum cum aliis perſoluitur.

Ex quo inferunt canonicos peccare mortaliter, & nôn lucrari diſtributiones, qui non cantant in choro cum aliis, quamuis verſum ſui chori voce ſubmiſſa recitent, & vocem alterius rectè audiant. Pro quo

Primò dico, quòd qui in choro ſubmiſſa voce recitat ſuam partem, & aliam audit, ſatisfacit muneri recitandi officium. Ratio eſt, quia ipſe recitat ſuam partem, & communicat in parte ſociorum communicantium ſibi ſuam partem, quamuis ipſe ſubmiſsè recitando non communicet ſuam partem ſociis.

Tum quia qui recitat cum ſocio non obligato ad officium, & verſus ſuos ſubmiſſè dicit, ſatisfacit obligationi diuini officij, licèt non communicet alteri partem ſuam. Ita Petrus Nauar. de reſtitut. lib. 2. nu. 216. Leſſ. lib. 2. cap. 39. dub. 33. num. 184. Nauar. de orat. cap. 10. num. 47. Suar. lib. 4. cap. 12. nu. 6. Molfeſ. tract. 5. cap. 2. num. 24. & Filiuc. tract. 23. cap. 6. q. 5. num. 195.

Secundò dico, quòd qui partem ſuam ſubmiſſa voce recitat, & aliam alterius chori attentè audit, non ſatisfacit debito ſeruitio chori, quamuis obli

obligationi diuini officij recitandi ſatisfaciat, nec officium repetere teneatur. Ratio eſt, quia redditus Eccleſiaſtici dantur Canonicis, vt pſallentes inſeruiant choro, vt habetur Clemen.1.de celebr. Miſſar. cap.1. diſtinct.92. At ſi non canunt, ſed ſolùm audiunt alios pſallentes, non dicuntur inſeruire choro ad quotidianum pſallendi officium, ergo debito ſeruitio chori non ſatisfaciunt.

Et confirmatur, nam non conducitur operarius ad vineam, vt ibi aſſiſtat, ſed vt operetur: nec Parochus vt ſimpliciter in ſua Eccleſiâ reſideat, ſed vt opera parochialia exerceat, ergo debent ſimul pſallere, ac proinde qui ſuam partem ſubmiſsè recitat, non ſatisfacit debito ſeruitio chori, quamuis alios cantantes áttentè, & ſtudioſè audiat. Ita Sot.lib.10.quæſt.5.art.4.Nauar.de orat.capite 19.num. 81.Azor.lib.10.cap.11.quæſt.5.Leſſ. lib.2.cap.39.dub.33.num. 184. Suar.lib.4.cap.12. num.9.& 12.Reginald.lib.18.nu.175. Macig. cap. 66.num.3.Squillas 1.p.diſp.29.num.60. Beia 1. p. caſu 55.Filiuc.tom.2.tract.23.cap.6.q.5. num.196. & alij.

Hinc, beneficiarius qui in choro non canit partem ſuam, etſi ſubmiſsè recitet illam, non ſolùm peccat mortaliter,ſed etiam non facit diſtributiones ſuas,quæ canentibus in choro tribuuntur. Ita Rodriq.1.p.c.146.num.5. Petr.Nauar.Suar.Squillas,Filiuc.& alij vbi ſuprà.

Suares lib. 4.capite 12.numero 18. Filiucius & Squillas locis citatis cenſent eſſe probabile, hunc lucrari medietatem diſtributionum, dummodo aſſiſtat, & deuotè attendat ad ea quæ ab

aliis dicuntur. Et ratio eſt, quia partem ſui muneris adimplet, cùm aſſiſtat choro, officium ſubmiſsè recitet, & reliquos canentes audiat. Immò Petrus Nauarra lib. 1. de reſtit. cap. 2. num. 222. Macig. cap. 68. nu. 3. Beia 1. p. caſu 55. & plerique alij defendunt canonicum aſſiſtentem, & nullo modo recitantem, licèt nequeat integras diſtributiones capere, poſſe nihilominus dimidiam partem recipere. Et probant, quia diſtributiones non ſolùm conferuntur pro cantu, verùm etiam pro aſſiſtentia in choro, ergo par eſt, vt aſſiſtens choro diſtributiones aſſiſtentiæ reſpondentes capiat. Sed hoc (pace tantorum virorum ſit dictum) mihi non probatur, quia Pius V. expreſsè in ſua conſtitutione, diſtributiones abſolutè negat intereſſentibus, ſed non recitantibus.

Quam doctrinam cenſeo eſſe veriſſimam in canonicis, qui per ſeipſos cantare debent, non verò de illis, qui ex priuilegio, vel conſuetudine legitimè præſcripta tenentur ſolùm aſſiſtere choro, canentibus nomine eorum Manſionariis, nam iſti ſuo muneri ſatisfaciunt & lucrãtur diſtributiones.

Nec obſtant iura præſcribentia, diuina officia per canonicos recitari, quia loquuntur de iure communi.

Illud tamen eſt hîc aduertendum ſecundùm Suar. quòd Canonici cùm aſſiſtunt choro, tenentur orantium attendere ad ea, quę ab aliis dicuntur, alioquin vana, & inutilis eſſet ipſorum præſentia, quia non poteſt quis dici præſens alicui rei dum ad aliud attendit. l. coram Titio ff. de verborum ſignificatione.

QVÆ

QVÆSTIO CLXXIV.

Quomodo Canonici, vel beneficiarij vnius chori ſe gerere debeant, quando verſus in alio choro cantantur, id eſt, an teneantur hi ſubmiſſa voce dicere verſus, quos alij canunt.

RESPONDEO non teneri, immò expedit nil dicere, ſed tantùm attendere canentibus, & per illos quodammodo canere. Et ratio eſt, quia hæc fuit intentio Eccleſiæ, cùm hunc morẽ introduxit.

Tum quia hic eſt mos omnium prudentum, ac timoratorum.

Tum demum quia hic eſt proprius alternatus cantus.

Hinc errant qui ea quæ vel cantor, vel hebdomadarius dicit, taciti ſecum muſſitant, cùm ſit maius Dei obſequium, audire illa deuotè, quàm per ſeipſos ſubmiſſè recitare. Immò talis repetitio à viris doctis, & timoratis ſuperflua, & ſuperſtitioſa reputatur, & peccatum propter perturbationem, & occaſionem diſtractionis, quæ aliis præbetur. Nauar. de oratione cap. 10. num. 45. & communis.

Hinc, qui non repetunt verſiculos, qui per organum, vel inſtrumentum cantantur, ſuæ obligationi ſatisfaciunt, ſeruata tamen Eccleſiæ conſuetudine, iuxta quam vſu receptum eſt, vt dum aliqui verſus organo canuntur, aliquis eorum, qui ſunt in choro, eos alta voce proferat, hoc

enim modo pars illa aliquo choro communicatur.

Hinc qui in choro diuinum officium perſoluit, non tenetur ſupplere quod ſocij dixerunt, dum tuſſit, vel cruor è naribus diſſlait, aut quicquam decens loquitur, dummodo omiſſum ſit modicum, licèt ſit pſalmus integer. Quia ratione ſocietatis dictum ab vnis, cenſetur dictum ab aliis. Nauar. de oratione cap. 19. nu. 83.

Hinc, qui inter horarum canonicarum recitationem ex officio, vel ſuperioris iuſſu pulſant organa, pſalmos, aut antiphonas quærunt vel transferunt libros de lòco ad locum, vel à choro mittuntur ad thurificandum altare, ex quo fit, vt partem aliquam diuini officij, nec proferant, nec audiant, ſuo muneri, & officio ſatisfaciunt. Et ratio eſt, quia cum iſti in his rebus ordinatis ad ſolemnitatem diuini officij occupentur, totus chorus pro illis ſupplet, & abundè dicere exiſtimantur, qui miniſtrant dicentibus, ita vſu permittente. Ita Arag. 2. 2. quæſt. 83. art. 12. Azor lib. 10. cap. 14. q. 2. Reginald. lib. 18. num. 160. & 188. & Nauar. de oratione cap. 21. num. 15. qui addit, quòd ſi ſit multum quod omittitur hac de cauſa quòd debet poſtea iterari, quia non dicitur recitare diuinum officium, qui verba dicti officij non profert, vel ad illa non attendit.

QVÆSTIO CLXXV.

An dum vna pars chori tacet, teneatur attendere ad aliam, quæ cantat, eámque audire.

RESPON

RESPONDEO teneri. Et ratio eſt, quia ex vi huius præcepti tenetur publicè & in choro totũ officium integrè recitare, partim dicendo, partim audiendo, ſed qui non eſt attentus, eo ipſo non cócurrit vllo modo ad partem illam, ad quam non attendit, ergo illam omittit, & conſequenter præceptum Eccleſiæ non implet. Vnde non ſatisfacit præueniendo, & priuatim recitando partem alterius chori, & poſtea liberè vagãdo, quia nõ ſatisfacit publicè orationi chori, licèt ſatisfaciat priuatæ.

Hinc obligationi chori nõ ſatisfacit, qui lectionem, quæ ab alia parte canitur, celeriter ſubmiſſa voce recitàt, & poſtea liberè vagatur, quia vt debito obſequio chori ſatisfaciat, tenetur attendere ad ea quæ ab alia parte canuntur, vt communicet in oratione publica.

Hinc qui ſolemnem Miſſam audire tenetur, non poteſt ſine peccato recitare breuiter ſymbolum dũ cantatur, & poſteà liberè vagari, nam licèt ſuam recitationem finiat, tenetur attendere, dum ſymbolum canitur: Et idem dicendum eſt de Euangelio, & aliis partibus Miſſæ. Ita Suar. libro 4. cap. 12. num. 20.

QVÆSTIO CLXXVI.

An liceat vti cantu, quando preces horariæ publicæ in Eccleſia recitantur.

RESPONDEO licere, vt communis Eccleſiæ vſus ſatis comprobat & declarat Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 18. habétque in primis exemplum, & fundamétum

cum in variis vtriuſque Teſtamenti authoritatibus. Nam à tempore Moyſis fuit conſuetudo canendi diuina cantica, Exod. 15. & Deut. 32. Poſtea verò à temporibus Dauid, cœpit vſus canendi pſalmos, & laudes Dei in cithara, Cantabiles enim, inquit, mihi erant iuſtificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ. In nouo etiam Teſtamento legimus Marc. 14. Chriſtum in nocte paſſionis poſt cœnam dixiſſe hymnum cum diſcipulis ſuis. Et Paulus ad Epheſ. 5. Et ad Coloſſ. 3. fideles hortatur ad cantandum pſalmos, & hymnos Deo. Et Angeli paſtoribus nato Chriſto Domino cantantes inſonuerunt, *Gloria in excelſis Deo*. Et Apoc. 4. Sancta animalia clamabant dicentia. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus*, &c. Et ratio huius eſt, quia cantus ex ſua natura eſt indifferens. Actus autem ex ſua natura indifferens honeſtatem acquirit, ſi ad honeſtum finẽ dirigatur. Cantus autem in choro dirigitur ad Dei cultum, audientes ad maiorem animi deuotionem excitat, canentium vires recreat, mentem ad Deum eleuat, triſtia corda cõſolatur. Vnde D. Aug. Quantum (ait) fleui in hymnis, & canticis tuis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æſtuabat inde affectus pietatis, & currebant lachrymæ, & benè mihi erat in eis. Et iterum, Cùm reminiſcor lachrymas meas, quas fudi ad cantus Eccleſiæ tuæ, in primordiis recuperatæ fidei meæ, magnam huius inſtituti vtilitatem agnoſco. Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆ

QVÆSTIO CLXXVII.

Sed tota lis eſt de cantu organico, ſeu figurato.

NAVAR. de orat. cap. 16. nu. 32. putat non licere, quia prohibetur à Ioan. XXII. in Extrauag. vnica de vita & honeſtate clericorũ. Tum quia talis cantus magis deſeruit ad demulcẽdas aures, quã ad excitandam deuotionem, quòd eſt contra finem huius inſtituti, vt rectè monet D. Tho. 2. 2. q. 91. ar. 2. Vnde D. Aug. lib. 10. confeſſ. cap. 33. ait, cum mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res, quæ cantatur, moueat, pœnaliter me peccaſſe confiteor, & tũc mallem non audire cantantem.

Contrarium tamen eſt proculdubio affirmandũ, vt patet ex vſu, & praxi Eccleſiæ, quæ huiuſmodi cantu nullo pacto vteretur, ſi illicitus & peccaminoſus eſſet ipſius vſus, & in ipſamet Eccleſia Romana & Capella Gregoriana hoc modo Miſſæ, & diuina officia cantantur. Idémque conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 23. in tit. decretum de obſeruandis & euitandis in celebrat. Miſſarum.

Non obſtat extrauagans Ioannis XXII. quia vel illa non ſimpliciter prohibuit cantum hunc, ſed ſolùm indecentem modum eius, vel per contrariam conſuetudinem eſt abrogata.

Nec obſtat, quòd inde audientes interdum delectationem turpem capiant, quia hoc eſt præter Eccleſiæ intentionem.

Tum quia tota illa delectatio ſenſus apta eſt ad excitandam deuotionem mentis: nec ſemper

eſt

eſt peccatum plus moueri cantu ipſo, quàm re cantata, nam poteſt eſſe hoc naturale, & non pendens ex hominis libera voluntate. Vnde ſi quis benè vtatur illa naturali complacentia, ordinando illam ad ſpiritualem profectum, non ſolùm non peccat, ſed etiam meretur.

QVÆSTIO CLXXVIII.

An in officiis diuinis, & horis canonicis liceat vti muſicis inſtrumentis.

Divvs Tho. 2.2.q.91.ar.2.abſolutè negat. Contrarium tamen arbitror eſſe dicendum, vt conſtat ex vniuerſali Eccleſiæ vſu. Nam ferè in vniuerſo orbe Chriſtiano hæc conſuetudo approbatur. Habétque hoc fundamentum in Scriptura, nam à temporibus antiquæ legis hæc inſtrumenta erant in vſu, vt conſtat pſal.32. & pſal. 150. & 1. Paralip.6.& in Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap.de obſeruandis in celebratione Miſſarum ſic habetur. Ab Eccleſiis verò muſicas eas, vbi ſiue organo, ſiue cantu, laſciuum, aut impurum aliquid miſcetur, &c. prohibet Sancta Synodus. Ergo muſicas honeſtas, & puras etiam ſi organo fiant, non prohibet.

Non obſtat quòd in ſacello, ſeu capella Pontificia, non recipiantur huiuſmodi inſtrumenta, non enim non recipiuntur, quia illorum vſus prauus ſit, ſed fortaſſe quia non videtur res grauis, vel neceſſaria.

Hinc non ſunt audiendi Caietanus 2.2.q.91. ar. 2.& Nauar.de oratione cap.16. num. 46. qui aiunt

tem

tempore D. Thomæ non fuiſſe in Eccleſia organorum vſum. Quia vt teſtatur Stephanus lib. 1. de ritibus Eccleſ. cap. 13. vſus organorum eſt antiquiſſimus in Eccleſia. Vnde Sotus lib. 10. cap. 5. ar. 2. dicit D. Thom. non fuiſſe loquutum de organis, ſed de aliis inſtrumentis muſicis, de quibus tamen non dixit talium inſtrumentorum vſum eſſe prauum, ſed non eſſe neceſſarium, neque propter perfectos adhiberi, ac propterea indicauit magis antiquo populo, quàm nobis illum conuenire.

QVÆSTIO CLXXIX.

Vbinam iure communi ſit diuinum officium perſoluendum ab his, qui choro deputati ſunt.

RESPONDEO in Eccleſia. Et ratio eſt, quia diuinum officium inſtitutum eſt non ſolùm in vtilitatem recitantium, verùm etiam populi, id eſt fidelium, vt eo frui, illi intereſſe, & Deum laudare poſſit per publicos Eccleſiæ miniſtros: populus autem non poteſt diuino officio frui, intereſſe, &c. niſi diuinum officium in loco publico ad hoc deputato recitetur, ergo diuinum officium publicè recitandum eſt in loco publico, id eſt in choro ad hoc deputato.

QVÆ

QVÆSTIO CLXXX.

An recitare publicè in choro diuinum officium cadat ſub præcepto.

Respondeo quòd ſic,vt conſtat ex cap.1.de celebrat.Miſſarum , & ex cap. Dolentes, eod.titulo. vbi decernitur diuinum officium publicè in Eccleſia dici debere. Et tradit Nauar. de oratione cap.5.nu.11. Sotus lib.10.q.5.art.4.& Suar.to.2.de Relig.lib.4. cap.9.

QVÆSTIO CLXXXI.

Vtrùm hoc præceptum obliget ad mortale.

Respondeo affirmatiuè,vt conſtat ex cap. vltimo diſt.92.vbi præcipitur deponi clericos qui in Eccleſiam ad diuinum officium decantãdum non conueniunt. Depoſitio autem ſupponit grauem,& mortalem culpam,& conſequenter præceptùm. Sot.lib.10.q.5.ar.4.

Eſt autem hîc notandum, quòd hoc præceptum canendi officium in choro per ſe , & directè non afficit ſigillatim ſingulares perſonas , ſed totam communitatem, & præſertim Prælatos,& ſuperiores Eccleſiarum , non quia Prælati ſtrictiori onere (præciſa neceſſitate aut ratione ſcandali & exẽpli) teneãtur choro intereſſe:ſed quia ad eos ex officio ſpectat curare,vt in choro diuinũ officium dicatur,

cap.1. de celebrat. Miſſarum: ſicut etiam in caſu neceſſitatis non ſolùm ipſi, ſed etiam ſinguli ſtrictè obligarentur, dum officium, ipſis non aſſiſtentibus, non perſolueretur.

Ex quo infertur primò, eos qui priuant Eccleſiam integro diuino officio vnius diei lethale peccatum committere. Et ratio eſt, quia agunt contra rigoroſum præceptum Eccleſiaſticum, & hoc in re graui.

Secundò ſequitur, huiuſmodi peccatum primò, & principaliter imputari Prælatis, & ſuperioribus, quibus onus incumbit curandi, vt in choro diuinum officium perſoluatur, vt conſtat ex Clem 1. de celebr. Miſſar. vbi ordinariis, Rectoribus, & ſuperioribus præcipitur, vt ſollicitam diligentiam adhibeant, vt debitis horis conuenienter diuinum officium in Eccleſia dicatur, ſi Dei, & Apoſtolicæ ſedis indignationem euitare voluerint.

Dixi notanter, *primò, & principaliter*, quia ſecundariò etiam peccant mortaliter, qui tali omiſſioni cauſam præbent, vel ad illam cooperantur: illi verò per quos non ſtat, quominus officium dicatur, quia ſoli non poſſunt dicere, nec ſunt cauſa, cur alij abſint, non peccant; dummodo priuatim horas canonicas perſoluant.

Tertiò infertur, eos qui priuant Eccleſiam quacunque hora diuini officij, vel parte notabili eiuſdem in choro, ita vt ſimpliciter non dicatur, lethale peccatum committere, nec Prælati poſſunt in hoc diſpenſare ſine cauſa vrgente. Et ratio eſt, quia omiſſio vnius horæ, vel partis notabilis etiam in recitatione priuata eſt mortalis, ergo multò magis in publica, ob Eccleſiæ, & boni communis detrimentum.

mentum. Quod intelligitur de omiſſione quæ ſimpliciter fit in officio chori, vt publicè eſt à toto choro, quod vt tale eſt, non poteſt recompenſari per priuatam recitationem.

QVÆSTIO CLXXXII.

Vtrùm canonici, & cæteri beneficiarij alicui Eccleſiæ deputati, qui abſque iuſta cauſa omittunt dicere officium in choro, peccent mortaliter.

IN qua re certum eſt in primis, eos qui abſque cauſa iuſta omittunt officium in Eccleſia recitare, aliquod peccatum committere, nec à peccato excuſari, ſi domi illud perſoluant, vt conſtat ex Clem. 1. de celebr. Miſſar.

Secundò etiam eſt certum, eos non poſſe percipere diſtributiones quæ conferuntur canentibus in choro, niſi officium in Eccleſia publicè perſoluant. Et ratio eſt, quia ceſſante cauſa, ceſſare debet effectus nondum productus, atqui diſtributiones ſunt effectus aſſiſtentiæ in choro, ergo. Nauar. de orat. cap. 10. nu. 47. Moneta de diſtrib. q. 5. & 13. Suarez lib. 4. cap. 27. n. 2. Reginald. lib. 18. n. 117. & Bonac. d. 1. q. 3. p. 5.

QVÆSTIO CLXXXIII.

Sed totum controuerſiæ diſſidium verſatur, An peccent mortaliter.

Respondeo

RESPONDEO eos qui vltra tempus à iure permiſſum notabiliter abſunt à choro, per ſe loquendo committere peccatum mortale. Et ratio huius eſt, quia in cap finali diſtinct. 92. beneficiarij omittentes officium in choro, deponi præcipiuntur. Depoſitio autem pœna eſt grauis, quę non imponitur niſi ob graue, ſeu mortale peccatum ergo.

Tum, quia qui vltra tempus à iure permiſſum, in loco beneficij notabiliter non reſidet, mortaliter peccat, vt omnes fatentur, ergo etiam mortaliter peccat qui notabiliter abeſt à choro, cùm reſidentia in loco beneficij præſcribatur, vt canonicas preces horarias cum aliis in Eccleſia perſoluat.

Tum quia, qui diuinum officium priuatim omittit, peccat mortaliter, ergo etiam mortaliter peccat canonicus qui diuinum officium in choro non canit: canonicus enim non ſolùm accipit beneficium vt priuatim recitet, verùm etiam, vt cum aliis in choro canat.

Tum demum, quia qui facit contra iuſtitiam, ex ſuo genere peccat mortaliter, vt rectè monet D. Th. communiter receptus 2.2. q..., ar,... & conſtat ex dictis à nobis in ſpeculo confeſſariorum, ſed canonicus, aliúſve beneficiarius deputatus ad officium in choro, dum abſque iuſta cauſa choro non intereſt, facit contra iuſtitiam, cùm faciat contra id, ad quod tenetur ex officio.

Dixi primò, *qui vltra tempus à iure permiſſum*, quia qui intra tempus in Concilio Tridentino permiſſum, à choro abeſt, non peccat, quamuis interim diſtributiones non lucrifaciat.

Dixi ſecundò, *notabiliter*, quia qui tribus, aut

 quatuor

quatuor diebus vltra tempus in Concilio permiſſum,choro non intereſt, non peccat niſi venialiter, quia hæc cenſetur materia parua in hoc genere.

Hinc non eſt audiendus Suarez tom.2. de Religione lib. 4. cap. 13. qui excuſat ſolùm à mortali abſentiam vnius diei. Quia oppoſitum ferè communiter in praxi receptum eſt.

Dixi tertiò, *per ſe*, ad denotandum iuſta de cauſa excuſari poſſe à peccato mortali.

Hanc autem doctrinam limitant Sylueſt. verbo hora.q 10. Angelus ibidem nu.21. Caiet. verb. horæ §.5. Nauar. de oratione cap.5.n.14.&.cap.21.n.32. Valentia 2.2.diſp.6.q.2.p.10. Reginald.lib.18. nu. 116. Macignus cap.86.n.34.& multi alij, vt tantùm procedat, primò, quando hoc facere omittunt ex contemptu.

Secundò contra Prælati particulare præceptum.

Tertiò, quando ob ſuam abſentiam chorus patitur magnam iacturam in celebratione officij, eo quòd ob id officium in Eccleſia, aut non dicitur, aut ſaltem non cum debita ſolemnitate, quia ſine illo alij non poſſunt competenter illud celebrare.

Quartò, & vltimò, quando ducunt in conſuetudinem non adire ad chorum, quia qui ter, aut quater id faceret, non peccaret mortaliter. Extra verò hos caſus, non adire chorum, non eſſet pluſquam veniale peccatum, quo non excuſatur beneficiatus, eo quòd diſtributiones amittat, quia non excuſatur culpa ratione pœnæ, tum quia Eccleſia priuatur ſeruitio ſibi debito ratione talis beneficij, & ideo rectè dixit Syluester, beneficiatum qui officium dicit

in

in camera, omiſſa Eccleſia, non ſatisfacere debito ſuo.

Cæteri verò clerici etiam beneficiati, qui ad chorum, ſeu ad officium in Eccleſia perſoluendũ deputati non ſunt, cum horas canonicas recitant, Eccleſiæ præceptum implent, ac ſeruant, ſi eas alibi, quàm in Eccleſia perſoluunt, cùm nec extet lex aliqua, aut conſuetudo, quæ contrarium præcipiat.

Hinc non eſt audiendus Sotus lib. 10. q. 5. ar. 4. vbi ait, recitantes extra Eccleſiã debere oratorium aliquod ad id in ſua domo deputatum habere. Quia licèt hoc poſſit procedere de decentia, & honeſtate, non tamen de præcepto etiam ſub pœna peccati venialis, quia quòd nullo iure prçcipitur, nõ eſt pro præcepto habendum, & nullo iure præcipitur clericis, vt extra Eccleſias priuata oratoria habeant, neque quòd in eis ſuas horas recitent, licèt illa habeant, immò ferè omnium conſuetudine contrarium eſt receptum. Nau. de oratione c. 21. n. 32.

QVÆSTIO CLXXXIV.

Vtrùm Epiſcopus ratione ſui muneris, ſeu beneficij horas canonicas cum aliis in Eccleſia publicè recitare teneatur.

SYLVEST. verbo hora q. 10. Angel. ibid. nu. 26. & Nauar. cap. 5. nu. 14. & 17. de oratione affirmant eum ſub mortali ad id teneri. Et probant, quia Epiſcopus eſt ſuæ Eccleſiæ deputatus, & conſequenter ad diuinum officium vnà cum aliis in Eccleſia perſoluendum tenetur.

Verùm omnino dicendum eſt, Epiſcopum per ſe loquendo non teneri choro intereſſe, etiam diebus Dominicis, aliiſque diebus feſtis. Et ratio eſt, quia in cap. vltimo diſt. 92. vbi numerantur preſbyteri, & inferiores clerici, non fit mentio de Epiſcopo, tanquam in altiori ordine conſtituto, & grauioribus occupationibus impedito.

Tum quia Epiſcopus ad hoc non tenetur ratione redditruum, quia habet multa alia onera ſui officij, propter quæ ab Eccleſia illi ei debentur, maximè cùm ad recitandas horas ſimpliciter teneatur: nec etiam tenetur ratione ſpecialis præcepti; quia ex nullo textu tale præceptum colligitur: nec denique ex conſuetudine poteſt talis obligatio probari, quia nulla talis conſuetudo reperitur, immò vſu, & conſuetudine receptum videmus, vt Epiſcopi ad chorum ordinariè loquendo non accedant.

Dixi notanter, *per ſe*, ad denotandum teneri aliquando choro aſſiſtere, quando ſcilicet id poſtulat ratio ſui muneris adimplendi, aut vitandi ſcandali, aut exempli, aut alterius circumſtantiæ, quam Epiſcopus prudenti ſuæ mentis conſilio examinare debebit. Quare optimum erit conſilium, ſi diebus Dominicis, & feſtis, præcipuè ſolemnioribus interſit tempore Miſſæ, & veſperarum, niſi graui aliqua de cauſa impeditus ſit, & in ſumma caueat, ne eiuſmodi curam negligere videatur, & ideo ita tenent Valent. 2. 2 d. 10. q. 6. p. 2. Suar. lib. 4. cap. 10. nu. 13. Filiuc. tract. 23. cap. 4. q. 8. Bonacin. d. 1. qu. 3. part. 5. Et videtur eſſe expreſſa ſententia D. Thom. 2. 2. quæſt. 91 articul. 2. ad 3. vbi ait, Prælatos qui docere populum ex officio tenentur, non debere ad

chorum

chorum obligari, ne per hoc à maioribus retrahantur.

Idem dicendum eſt de Prælatis Epiſcopo inferioribus, ſi Epiſcopale munus, & iuriſdictionem habeant. Quòd ſi minores ſint, inſpicienda erit qualitas beneficij, & eius inſtitutio, tum conſuetudo, & iuxta hæc ferendum eſt iudicium de huiuſmodi obligatione.

Obiicies, in cap. Peruenit. 7. q. 1. dicitur Epiſcopum debere in ſua Eccleſia reſidere, ergo tenetur choro intereſſe pſallendo, aliàs vana, & inutilis eſſet ipſius reſidentia in Eccleſia.

Reſpondeo, verbum *reſidere* non importat exiſtentiam in choro, ſed permanentiam, & præſentiam in loco beneficij, vbi onera Epiſcopatus præſtare cogitur.

Dices, in cap. Epiſcopus. de conſecrat. diſt. 3. ſic habetur. Epiſcopus ſi infirmitate non fuerit impeditus, Eccleſiæ cui proximus fuerit, die Dominico deeſſe non debet. ergo ſaltem diebus Dominicis Epiſcopus ad chorum accedere, ibíque diuinum officium cum aliis publicè recitare debet.

Reſpondeo primò, inde non colligi obligationem ſub præcepto, cùm particula, *debet*, in lege poſita non præceptum, ſed decentiam importet, vt habetur in l. ſolùm §. 1. ff. de noui operi nunc.

Secundò reſpondeo, eum textum non loqui de intereſſentia chori, ſed potiùs de acceſſu ad viciniorem Eccleſiam, ad quam debet accedere, vt Miſſam celebret, vel audiat, aliíſque prębeat exemplum diuina celebrandi.

QVÆSTIO CLXXXV.

An Religioſi qui chorum profitentur, teneantur ſub mortali ex vi huius generalis præcepti ad canendum in choro.

ET quidem ſi Religioſi ita omittunt officium in choro,vt non habeant animum illud poſtea ſupplendi per recitationem priuatam,proculdubio iſti peccant mortaliter.

QVÆSTIO CLXXXVI.

Sed tota difficultas conſiſtit de iis qui omittunt diuinum officium in choro, animo ſupplendi illud.

MACIGNVS de horis canonicis cap.13. num. 14. affirmat.

Sed oppoſitũm mihi magis probatur.Ducor,quia Religioſi non tenentur dicere officium in choro ratione proprij beneficij,cùm id non habeant, nec etiam quia aluntur ex eleemoſynis, vel Eccleſiaſticis bonis,quia iſta non dantur ſub hac conditione, ſed vt Deo ſeruiant iuxta ſuam Regulam. Nec etiam eſt vllum canonicum ius vniuerſaliter obligans Religioſos ad canendum in choro,ſed id pendet ex peculiari ſtatuto Religionis, quod regulariter non obligat ad mortale.

Tum quia iſti non omittunt recitare officium quoad

quoad ſubſtantiam, ſed tantùm quoad modum, cuius defectus non videtur tam grauis. Tum quià chorus non priuatur integro officio, nec provt dicitur in choro, nec provt dicitur à tali perſona, ſed ſolùm priuatur cooperatione, quam poſſent, & deberent adhibere tales Religioſi in publica recitatione, hoc autem non videtur eſſe graue detrimentum, ac proinde ſufficiens materia peccati mortalis.

Dices, ex obligatione chori in toto corpore exiſtente ſufficienter naſcitur hæc obligatio in ſingulis.

Reſpondeo, non ita eſſe abſolutè, & immediatè loquendo, nam ſatis eſt, quòd cura prouidendi, vt chorus non deficiat, ſit apud Prælatum. Quandiu ergo ſuperior non imponit ſpeciale præceptum, non eſt talis obligatio in ſingulis ex præcepto, nec ſuperior debet illam imponere ſine cauſa, quando non deſunt, qui voluntariè choro ſatisfaciant. Si autem tanta eſſet negligentia ſubditorum, vt videretur præceptum neceſſarium, tunc imponendum eſſet. Quando autem eſſet Prælatus negligens, tunc poſſet oriri obligatio in ſingulis, vt curarent non omitti officium diuinum.

Ex qua deciſione colligitur differentia inter canonicos, & Religioſos, nam canonici ſtrictiùs obligantur ad chorum, quia ob id accipiunt beneficium, Religioſi verò obligantur ex vi Regulæ, quæ regulariter loquendo non parit obligationem ad mortale.

Ex quo ſequitur, facilius poſſe excuſari Religioſum ab onere canendi in choro, quàm clericum ſæcularem, qui ratione beneficij ad illud tenetur.

Ratio eſt, quia vnuſquiſque Religioſus in particulari tenetur ſolùm ad canendum in choro ex vi ſtatuti ſuæ Religionis, quod regulariter loquendò non parit obligationem ad mortale. Vnde niſi notabiliter propter eius abſentiam lędatur cultus diuini officij, non peccat mortaliter. At verò clericus obligatur ratione beneficij, atque adeò ex iuſtitia, quæ ex ſuo genere eſt obligatio grauis, niſi leuitas materiæ, aut grauitas cauſæ excuſet.

QVÆSTIO CLXXXVII.

An clerici iure communi cùm priuatim horas canonicas recitant, ſatisfaciant Eccleſiæ præcepto, recitando vbicunque voluerint.

Respondeo ſatisfacere, dummodo locus debitam attentionem non impediat, aut cum Religione, quę diuino officio debetur, non pugnet. Hoc probat recepta conſuetudo, qua viri docti, & pij non timent vbilibet officium ſuum dicere, niſi videant adeſſe periculum offenſionis aliorum, aut impedimentum attentè, ac deuotè recitandi, quale contingere poteſt in via, platea, aliiſve locis publicis, & prophanis, in quibus ſunt frequentes hominum conuentus, clamores, & ſtrepitus forenſes, & prophani. Quare hi qui priuatim diuinum officium recitant, deberent quærere aliquem locum ſecretum, in quo attentè, & deuotè tam egregium Religionis officium Deo valeant exhibere, alioquin exponent ſe periculo non ſatisfaciendi pręcepto.

Dixi

Dixi notanter, *iure communi*, quia fieri interdum poteſt, vt ſpeciali iure, ideſt, particulari ſtatuto, vel conſuetudine, vel authoritate confeſſarij, vel voluntate fundatoris præceptum ſit, diuinum officium recitare in certo loco, cui ſi contrauenitur, non ſatisfit præcepto, vt conſtat.

Hinc, qui ratione officij, vel beneficij tenetur in certa Eccleſia, vel altari Miſſas celebrare, ſuæ conſcientiæ non ſatisfacit, ſi in Academia vbi ſtudet, aut alio in loco eas celebrat, ſecundùm Nauar. de oratione cap. 5. num. 12.

Hinc, qui tenentur dicere reſponſoria ſanctorum, aut defunctorum ante altare maius, aut in corpore Eccleſiæ, vel cæmeterij, aut in tali, vel tali parte clauſtri, non ſatisfaciunt ſuæ obligationi dicendo illa alibi ſine iuſta cauſa, vel authoritate Prælati.

Hoc tamen limitat Nauar. ex nonnullorum ſententia, modò recitet in loco decenti, quia quamuis præcepto ſatisfaciat, qui in loco indecenti officium dicit, cùm attentio non impediatur, vt ſuppono, & Deus vbique ſit per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, tamen peccatum veniale committit, qui ſine cauſa iuſta in locis indecentibus, vt vbi prophana fiunt, & inter compotandum, & dum naturæ ceditur, diuinum officium recitat. Et ratio eſt, quia debitam rei ſacræ venerationem non exhibet, ſicut inurbanitatis notam incurreret, qui nobilem virum in dignitate conſtitutum in loco indecenti ſine vlla neceſſitatis cauſa, audire vellet. Quare multò eſt congruentius, tempus orandi differre, quàm illis locis, aut temporibus orare.

Sed hæc limitatio non placet, quia nulla reperitur

ritur lex diuina, vel humana quæ id vetet, neque ex natura rei eſt contra rectam rationem, orare in locis corporis ſordibus contaminatis, dummodo exiſtendo ibi non actu peccet; nam tunc non poterit ſimul rectè orare, non ratione conditionis loci, ſed propter actualem culpam. Hac ergo occaſione ſemota nó poteſt eſſe malum per ſe loquendo proferre verba laudis, vel petitionis ad Deum, quia hic actus nihil pendet ex qualitate loci, & melius eſt ibi illum exercere, quàm otioſum eſſe.

Dixi notanter, *per ſe loquendo*, quia in loco in quo daretur aliis occaſio ſcandali, mouendo illos ad riſum, aut dando occaſionem, ipſum orantem de hypocriſi, aut ſuperſtitione damnandi, eſſet peccatum ibi orare. Et in hoc ſenſu D. Thomas explicans locum Pauli. Volo viros, &c. ait, orationem mentalem vbique poſſe fieri, ſed ſigna orationis exteriùs non debere fieri omni in loco. Et ideo ita tenent Nauar. de orat. cap. 5. num. 10. Suar. lib. 3. cap. 7. nu. 9. Filiuc. to. 2. tract. 23. cap. 3. & plerique alij.

QVÆSTIO CLXXXVIII.

Cur per ſe loquendo, melius ſit priuatim recitare diuinum officium in Eccleſia, quàm alibi.

RESPONDEO, quia in Eccleſia Deus cenſetur peculiariter aſſiſtere, vt citiùs exaudiamur, vt patet ex promiſſione Dei. 3. Reg. 9.

Tum quia in Eccleſia præter Dei præſentiam,

quæ

quæ eſt vbique, eſt etiam præſentia Chriſti Domini in ſacroſancta Euchariſtia quæ certè auget ſpem, & fiduciam orantis, iuxta illud D. Chryſoſtomi homil. 6. & in 1. ad Cor. vbi eſt Chriſtus in Euchariſtia, ibi etiam non deeſt Angelorum frequentia, vbi autem eſt talis Rex, & tales Principes, ibi eſt cæleſte palatium, immò cælum ipſum.

Tum demum ob ſanctum præſidium, & affluentium deuotionem, propter quam iuuamur, vt faciliùs exaudiamur, iuxta illud Matth. 18. vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum. D. Th. 2.2. q. 84. ar. 3. Nau. de orat. cap. 5. nu. 4. & alij.

Dixi, *per ſe*, quia per accidens aliquando locus non ſacer commodior eſſe poteſt, quia ſi Eccleſia ſit publica; poteſt accidere, vt in ea ſit occaſio, aut diſtractionis, aut inanis gloriæ & ideo vtilius eſt iuxta Chriſti conſilium Matth. 6. ingredi cubiculum ad orandum. Vnde Iſid. de ſummo bono. Oratio priuat[illegible] locis opportuniùs funditur.

QVÆSTIO CLXXXIX.

Quo tempore diuinum officium ſit recitandum.

Respondeo, tempus legitimum diuini officij recitandi, vt peccatum mortale vitetur, eſſe totum illud ſpatium, quod intercedit inter mediam noctem vnius diei, & mediã noctem alterius proxĩmè ſequentis, vt omniſcius, & omni pietate reſplendens D. Thomas docuit quodlib. 5. art. 25. Itaque ſi quis intra ſpatium illud horas canonicas recitat,

recitat, non peccat mortaliter, etiamſi non obſeruet tempora ſingulis horis deſtinata. Ratio huius eſt,quia diuinum officium ſingulis diebus recitandum eſt, vt conſtat ex cap. Dolentes, de celebratione Miſſarum, in Concilio Lateranenſi, & ex Bulla Pij V. dies autem iuxta communem vſum, incipit à media nocte antecedentis diei, vſque ad mediam ſubſequentis. Verum eſt tamen, quòd Matutinum craſtinum cum laudibus poteſt iuſta de cauſa recitari hodie ſub ſero occidente ſole, vt Caietanus,Nauarrus & alij infrà citandi teſtantur. Vt autem peccatum omne etiam veniale vitetur,debent iure communi officia ſingularum horarum illis horis celebrari vnde nomina acceperunt, vt horæ officij correſpondeant horis diei, non quidem ſtrictè, ſed largè conſideratis, ſcilicet Matutinum poſt mediam noctem, laudes vna hora, vel circa ante ſolis ortum. Prima circa ortum ſolis, quod indicat Hymnus: *Iam lucis orto ſydere.* Tertia, hora tertia à ſolis ortu. Sexta in meridie. Nona, hora tertia poſt meridiem. Veſperæ hora vltima occaſus ſolis; Completorium verò poſt occaſum ſolis per horam, vel in crepuſculo. Quod eſt veriſſimum, non modò cùm publicè in Eccleſia canuntur, ſed etiam cùm priuatim dicuntur, ſiue quis ſolus, ſiue cum ſocio dicat quod ſatis conſtat ex Clem. 1. de celeb. Miſſar. & ex Conc. Baſilien. ſeſſ. 21. vbi præcipitur,vt horis debitis per ſingulas horas, laudes diuinæ reuerenter ab omnibus perſoluantur. Quod ſtatutum eſt non tam in fauorem recitantium, vt diuidendo commodiùs officium recitent, quàm in fauorem cultus diuini, & animarum recitantium.

Hinc,

Hinc, qui horas canonicas ante tempus ipſis deputatum recitat, intra eumdem tamen diem, ad quam ſpectant, Eccleſiæ præcepto ſatisfacit, vt ſi primæ horæ officium, ſtatim poſt mediam noctem, aut veſperas ante prandium perſoluat, nec tenetur eas repetere. Et ratio eſt, quia præceptum quoad ſubſtantiam adimpleuit, & hora fuit præſcripta, & præcepta quaſi ſecundariò, & obligatio illius ſeruandæ ſaltem per conſuetudinem eſt relaxata. Nauar. de orat. cap. 3. nu. 59. Valent. 2.2. diſp. 6. q. 2. p. 10. Azor. lib. 10. cap. 9. quæſt. 8. Suar. lib. 4. cap. 27. nu. 3. & 9. & alij.

Hinc, qui diſtulit horas præſentis diei in ſuis propriis temporibus, ſemper tenetur vſque ad horam mediæ noctis eiuſdem diei illas recitare. Ratio eſt, quia toto illo tempore poteſt implere præceptum. ergo tenetur.

Hinc, qui vſque ad mediam noctem finitam, horas, vel notabilem earum partem per ſolam negligentiam non dicit, peccat mortaliter. Et ratio eſt, quia facit contra rigoroſum Eccleſiæ præceptum. cap. Dolentes. de celebr. Miſſarum.

Dices, officium diuinum finitur in completorio, ſed tẽpus completorij eſt in crepuſculo vſque ad initium noctis, ergo illo tempore finitur tempus officij illius diei, ergo qui vſque ad illam horam non dixit, non tenetur ampliùs dicere.

Reſpondeo, tempus illud eſſe proprium, & quaſi omnino legitimum ad completorium dicendum, non eſſe tamen tempus habile adæquatum, ſed hoc habere latitudinem vſque ad punctum dimidiæ noctis, quia pro toto die præceptum præfixum eſt, & ideo ratio non ſequitur.

Hinc,

Hinc, qui pridie, aut poſtridie diuinum officium perſoluit pro ſequenti die, præcepto Eccleſiæ non ſatisfacit, ac ſubinde tenetur illud repetere. Ratio eſt, quia non recitat intra tempus ab Eccleſia præſcriptum: obligatio enim recitandi officium eſt affixa diei in honorem quem tali die Deo, & ſuis ſanctis exhibere debemus, iuxta præſcriptum Eccleſiæ, obligatio autem affixa diei non poteſt impleri ante aduentum illius diei, cùm ante illam diem non adſit obligatio, vt patet. Vnde ſicut ieiunium pro certo die impoſitum, aut ſacrum certo die feſto audiendũ, non ſufficit pridie, aut poſtridie ſeruare, aut audire ad ſatisfaciendum tali obligationi, ita neque horas canonicas certo die perſoluendas ſufficit alia die recitare ad ſatisfaciendum Eccleſiæ præcepto de illis.

Tum quia qui vno die officium prætermittit, non tenetur elapſo die illud ſupplere, cum obligatio quæ eſt affixa diei, tranſeat cum ipſo die, ergo neque poteſt diem pręuenire, cùm par ſit vtriuſque ratio.

Nec eſt, quòd dicas, Matutinum certo diei deſtinatum, pridie ad veſperum ſolere à clericis recitari. Quia vt diximus, id conſuetudo introduxit: verùm in aliis horis minimè locum habet, quia id conſuetudo non habet.

Hinc, qui hodie ex negligentia officium omiſit, non tenetur cras illud ſupplere. Et ratio eſt, quia iam tempus pręcepti elapſum eſt, ſicut qui omiſit audire Miſſam in die feſto, vel ieiunare in vigilia, non tenetur aliis diebus non præceptis ieiunare, vel Miſſam audire. Quia lex præcipiens aliquid pro tempore determinato, ſi pro illo non ſeruetur,

peccatum

peccatum quidem committitur, & illius eſt pœnitentia agenda, lex autem non obligat ampliùs. Nauar. de oratione cap. 10. num. 52. Suar. lib. 4. cap. 27. num. 4. Azor. lib. 10. cap. 10. q. 3. & Reginal. lib. 18. num. 180.

QVÆSTIO CXC.

An qui ſine iuſta cauſa recitant officium diuinum in choro, extra horas conſuetas, vt v.g. Primam, vel tertiam poſt meridiem, peccent mortaliter.

Illvstrissimvs Caietanus verbo hora c. 4. Valent. 2. 2. diſp. 6. q. 2. p. 10. & Bonacina diſp. 1. q. 3. p. 3. affirmant recitantes officium in choro extra horas præſcriptas, præciſo ſcandalo, aliâve praua circunſtantia ſatisfacere præcepto quoad ſubſtantiam, conſequenter non peccare mortaliter contra præceptum diuini officij recitandi, licèt non ſatisfaciant obligationi quo ad circunſtantiam horæ, cuius violatio non videtur materia grauis.

Sed hæc ratio non placet, quià ſi circunſtantia præcipiatur, vt reuera hîc præcipitur, multum pertinere poteſt ad ſubſtantiam præcepti, etiãſi nõ pertineat ad ſubſtantiam actionis præceptæ, vt celebrare manè, & non veſperi, talis circunſtantia eſt, vt ſit de ſubſtantia illius præcepti, & tamen poteſt eſſe illius circunſtantiæ violatio, vt ſit peccatum mortale, etiamſi ſubſtantia actionis celebrandi ingrè impleatur. Quare dicendum eſt Prælatos qui

ſine iuſta cauſa in ſuis Eccleſiis conſueta tempora horarum canonicarum non ſeruant, peccare mortaliter, & ſubditos ſimiliter, ſi cauſam dent tali mutationi. Ratio eſt, quia tempus recitandi officium in choro ab Eccleſia præſcriptum eſt, vt populus ſi velit, poſſit ad illud conuenire, ergo hæc videtur res grauis, & pertinens ad publicam vtilitatem, & ad commune bonum.

Tum quia in cap. 1. de celebr. Miſſarum, vbi licèt permittuntur horæ dici ſummo mane priuatim, de publica recitatione ſtatim ſubditur. Ita tamen vt horis competentibus publicè compleantur. Et in Clem. 1. eod. titul. id ipſum præcipitur ſub verbo Sancimus. Et ſimiliter in Concilio Baſilienſi ſeſſ. 21. Horis debitis, ſignis congrua pulſatione præmiſſis per ſingulas horas laudes diuinæ reuerenter ab omnibus perſoluantur. Vnde ſi Matutinum differetur vſque ad horam tertiam, vel veſperæ dicerentur ante prandium extra quadrageſimam, grauis tranſgreſſio videretur. Ita Sylueſt. verb. hora q. 6. Nau. de oratione c. 3. n. 63. Azor. lib. 10. cap. 9. q. 1. Filiuc. tract. 23. cap. 6. q. 12. num. 217.

Ex quo ſequitur, Prælatos ex rationabili, & iuſta interueniente cauſa poſſe in tali mutatione publica diſpenſare, vt ob proceſſionem ſolemnem, aut inſignem aliquam concionem, aut Magnatis aduentum, aliáſve ſimiles cauſas, quæ maiores eſſe debent, cùm horæ ipſæ dici debent publicè, quàm cum priuatim. Nauar. de oratione cap. 3. num. 55. Caiet. verb. hora cap. 4. Suar. lib. 4. cap. 15. num. 13. & Reginald. lib. 18. num. 179.

QVÆSTIO

QVÆSTIO CXCI.

An clericus peccet mortaliter, qui priuatim recitans, ſine iuſta cauſa tempus debitum perſoluendi horas non ſeruat.

VBERTVS in expoſitione Regulæ Sancti Benedicti, vt teſtis eſt Syluest. verbo hora q.9. tenet eum peccare mortaliter.

Sed cæteri communi conſenſu negant. Et ratio eſt, quia tempus non eſt de ſubſtantia præcepti recitandi horas canonicas. Nam in cap. Dolentes, de celebrat. Miſſarum. præcipitur quidem vt obligati ad horas canonicas dicant officium tam nocturnum, quàm diurnum, non tamen vt nocturnum de nocte, & diurnum de die dicatur, nec certas horas determinat.

Tum quia illa inſtitutio præcipuè facta eſt pro oratione publica, quæ in choro fit, & per conſuetudinem ita explicata, ſeu relaxata eſt, quoad orationem priuatam.

Hinc, qui dicit Primam, ac etiam Matutinum poſt meridiem, immo & poſt vndecimam horam à meridię, non peccat mortaliter, dummodo omnes tales diei horas canonicas ante mediam noctem perſoluat, quia tunc terminatur dies quoad preces recitandas. Nau. de oratione c.3. num.59. & cap. 9. num.49. & alij communiter. Dices, ergo qui tunc omiſit primam, tenebitur eam dicere poſt occaſum ſolis, ac proinde tunc dicet. *Iam lucis orto ſydere.* quod eſt inconueniens.

Reſpondeo, huiuſmodi inconueniens non eſſe magni momenti, quia ſimilia verba ſemper referuntur ad legitimum tempus, in quo debebant dici, ſicut etiam priuatim recitando Matutinum veſpere præcedente poſt ortum ſolis, ſæpè dicimus, *Nocte ſurgentes, vigilemus omnes*, & tamen nondum iuimus cubitum.

QVÆSTIO CXCII.

Tota igitur quæſtio eſt, An ſaltem peccet venialiter.

ET quidem, ſi hoc facit aliqua iuſta de cauſa, qualis eſt iter faciendum, aut aliqua honeſta occupatio negotiorum, aut ſtudij, aut maior quies, & deuotio, non peccat, vt tenent communiter Doctores.

QVÆSTIO CXCIII.

Sed dubium eſt, quando id facit ſine iuſta cauſa.

NAVAR. de orat. cap. 3. numer. 58. Et Marcell. Franc. de tempore horarum canonicarum cap. 25. tenent eum venialiter peccare. Et probant, quia facit primò contra ius commune.

Deinde quia multa dicerentur in hymnis horarum, quæ temporibus, in quibus dicuntur, non conuenirent.

Tandem

Tandem probant exemplo, quod ex vitis Patrum Ioannes Andreas, Abbas, & alij referunt de quodam eremita, quem, deficientibus alimentis, Angelus paſcebat, & tempore vuarum ferebat illi quandoque vuas acerbas, quandoque maturas, & ſanas, quandoque verò marcidas, & cùm rogaretur Angelus, quæ eſſet tantæ diuerſitatis ratio, reſpondit, quòd vuas acerbas ferebat, quando tempus diuini officij præueniebat: maturas, quando officiũ debitis horis perſoluebat, marcidas verò, quando vltra debitam horam differebat. Et de Epiſcopo quodam refert Petrus Damianus epiſt. ad Deſiderium de miraculis ſui temporis, quòd poſt mortem reuelauit ſe purgatorij pœnis affici, & torqueri, eo quòd horas canonicas tempore debito non recitaſſet, dum in aula Principis commoraretur.

At verò Azor. lib. 10. capit. 9. quæſt. 2. & 8. Suar. lib. 4. cap. 15. numer. 9. & capit. 27. numer. 4. Reginald. lib. 18. numer. 179. Macig. capit. 47. & Bonacina diſp. 1. quæſt. 3. p. 3. docent eum nullum peccatum admittere, niſi per contemptum id faciat. Quia quamuis iure communi ſingulæ horæ canonicæ diſtinctis diei temporibus recitandæ ſint, (quod ipſarum nomina ſatis indicant) tamen vbique ferè conſuetudine introductum eſt, vt Prima abſque vllo ſcrupulo ante ortum ſolis dicatur; & Tertia cum Prima, vel cum Sexta coniungatur, aut Nona cum Sexta aut veſpertina cum Nona, & Cõpletorium cum veſperis recitetur, quia conſuetudo id obtinuit, quæ iuri derogare poteſt.

Quam doctrinam arbitror eſſe veram, & amplectendam quando antepoſitio, & poſtpoſitio horarum intra tempus legitimum diei eſt mode-

rata,& conſueta,quam communiter ferè omnes faciunt ſine ſcrupulo, vt dicere Primam vna hora ante ſolis ortũ: vel poſt duas, vel tres horas ab ortu ſolis ſimul cum Tertia, vel Sexta cum Nona, Veſperas, & Completorium poſt prandium, vel Matutinum poſt duas aut tres horas ante occaſum ſolis, vſque ad ortum ſolis ſequentis diei. Secus ſi huiuſmodi dilationes,& anticipationes eſſent inuſitatæ,& extraordinariæ, quæ abſque cogẽte neceſſitate ab omnibus timoratæ conſcientiæ viris fieri non ſolent, vt ſi quis abſque cauſa legitima omnes horas canonicas perſoluat, aut Completorium ante prandium recitet, vel Primam pro Nona, & ſimiles. Ratio huius eſt, quia prior dilatio fieri poteſt ſine ſcrupulo propter conſuetudinem, poſterior verò minimè, quia non eſt talis conſuetudo introducta.

Dices, creditor ſemper gaudet anticipata ſolutione, ergo antepoſitiõ ſemper eſt licita.

Reſpõdeo, hoc ſolùm locũ habere in debito, quod non eſt onus certi tẽporis, non verò in debito, quod habet peculiarem reſpectum ad certum tempus.

Hinc falluntur eccleſiaſtici, qui ſummo mane vſque ad veſperas incluſiuè horas recitant, quo poſtea ludant, vel otientur: aut qui iter agentes ſtatim ſub aurora vnico contextu horas ſuas omnes recitant, qui recitare poſſent debitis horis. Nauar. in Man. c.25. n.97.

Hinc non peccant Scholaſtici, qui toto tempore ante prandium ſtudent, & poſt prandium diuinum officiũ pronunciant, eo quòd ſtudiis aptior ſit hora matutina, & orationi non inepta veſpertina, & licèt ſtudium non ſit cauſa iuſta omittendi officium, eſſe tamen poteſt talis, iuſtè illud differendi, vt rectè

monet

monet D.Thom quodlib.5. art.18.

Hinc, nullum peccatum committit, qui Primam recitat cum Tertia, Sexta, & Nona duabus, vel tribus horis poſt ſolis ortum. Tum quia hæc eſt moderata, & conſueta poſtpoſitio. Tum quia tempus à iure præſcriptum non conſiſtit in indiuiſibili, ſed magnam habet latitudinem, teſte conſuetudine.

Hinc, qui ſine cauſa iuſta differt Matutinum ad veſperas, aut Completorium recitat ante prandium peccat venialiter, quia hæc eſt inconſueta, & extraordinaria inuerſio.

Igitur ad argumẽta in contrarium adducta oportet nunc reſpondere, & ad primum, quidquid ſit de iuris diſpoſitione, reſpondeo aliter receptum eſſe per conſuetudinem, quæ iuri humano derogare poteſt.

Ad ſecundum reſpondeo, nullum eſſe inconueniens, quia ſicut quotannis in præfaione, quæ per totam octauam Paſchatis &c. recitari ſolet, *hodierna die*; & nihilominus aptè ea verba dicuntur, ſic etiam de iis, quæ dicuntur in horis canonicis, idem eſt iudicium, ea enim ſemper referuntur ad legitimum tempus, licèt in alio dicantur.

Et ad exempla illius Eremitæ, & Epiſcopi adducta, reſpondeo, quod illi ſuis temporibus diuinum officium recitare cogebantur, quia fortaſſe tunc ius commune non erat per contrariam conſuetudinem abrogatum. Vel fuerunt à Deo puniti, quia plus æquo ſine iuſta cauſa illud anteponebant, vel poſtponebant.

Eſt tamen hîc aduertendum, quòd non eſt ita per conſuetudinem abrogatum ius commune de

recitando ſtatis diei temporibus horas canonicas, quia liceat priuatim recitantibus illud ſeruare, ita vt minimè peccet quis, ſi pro ſua tantum deuotione Matutinum de nocte, laudes in aurora, Primam in fine primæ partis diei artificialis, in quo Sol eſt ſuper noſtrum horizontem, Tertiam in fine tertiæ partis, Sextam in fine ſextæ, Nonam in fine nonæ, Veſperas appetente ſolis occaſu, & Completorum in noctis crepuſculo. Quæ determinatio temporis non eſt præcisè accipienda, ſed cum latitudine, qua extendatur ad vnam mediam horam antecedentem, & ad vnã mediam ſequẽtem.

QVÆSTIO CXCIII.

An melius ſit horas canonicas anteponendo recitare ob negotia, & occupationes ſæpius incidentes, quàm poſtponendo.

Respondeo melius eſſe anteponere. Et ratio eſt, quia cæteris paribus præponere minus habet incommodi, ac periculi, & indicat maiorem diligentiam, vnde ſi vtrumque malè fiat, minùs mala eſt anticipatio intra latitudinem venialis, ſi verò ſine peccato vtrumque fieri poſſit, laudabilior eſt anticipatio.

Tum quia in capit. Presbyter, de celebrat. Miſſar. conſilium datur, vt clerici variis implicati negotiis, manè diuinum officium vſque ad veſpertinum incluſiuè perſoluant, & deinde ſuis rebus attendant.

Dixi

Dixi notanter, *incluſinè*, & non *excluſinè*, vt perperàm dicit Sylueſter verbo hora q. 9. quia ibi ſic legitur. Presbyter manè matutinali officio expleto, penſum ſeruitutis ſuæ, videlicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperámque perſoluat. Et ideo ita tenet D. Thomas quodlib. 5. art. 28. vbi ſic ait: Melius eſt anticipare laudes Dei, & poſtea alium actum ſtudiorum agere, quàm vnum per alterum impedire, quamuis anticipans vt voluptuoſiùs manè dormiat, venialiter peccet. Et Hugo de Sancto Victore, vt refert Palud. in 4. diſt. 15. qu. 5. inquit, quòd ante horam orare cum iuſta cauſa, eſt prouidentiæ, poſt, negligentiæ, debita verò, obedientiæ.

QVÆSTIO CXCIV.

An liceat dicere Matutinum diei ſequentis in veſperis antecedentis diei.

DIVVS Thomas quodlib. 5. art. 28. ad primum cenſet licere, ſi hoc fiat ob neceſſitatem licitæ, & honeſtæ occupationis. Secus ſi id fiat propter laſciuiam, vt quietiùs ſomnolentiæ, & voluptati indulgeat, & quod peius eſt vanitati, quia tunc non vitaretur peccatum veniale.

Hinc non peccat qui ſero antecedentis diei perſoluit Matutinum cum laudibus ſubſequentis diei vt deuotiùs oret, vel quia ſequenti die debet videre lectiones, vel aliud huiuſmodi, habet enim iuſtam tunc temporis recitandi cauſam.

Cæterùm multò verius eſt, abſolutè id eſſe licitum, præſertim ſi honeſta, & iuſta cauſa ſubſit, hoc enim permiſſum videtur ab Eccleſia, teſte conſuetudine, quæ ſicut apta eſt ad legem inducendam, ita etiam ad abrogandam, vel reſtringendam.

Hinc hodie, teſte conſuetudine vbique recepta, licitum eſt clerico etiam abſque vlla cauſa Matutinum cum laudibus ſubſequentis diei recitare in veſperis diei antecedentis. Poſt dictum verò de ſero Matutinum diei ſequentis, licitum eſt cœnare, non enim hoc impedit quominùs poſſit in eodem ſequenti die celebrare, vt rectè monet Nauar. de oratione cap. 3. nu. 66.

Nec obſtat, quòd interdum impetratur priuilegium, vt Matutinum vnius diei, præcedenti veſpere dici queat: & quod iure communi conceditur, fruſtra precibus impetratur. Quia multa in priuilegiis conceduntur, licèt iure communi ſint conceſſa, vt abſolutio irregularitatis mentalis, & alia huiuſmodi. Nec id omnino fruſtra fit, nam reperiuntur nonnulli adeò ſcrupuloſi, quòd nullius opinione ſerenari queunt, quos tamen Apoſtolica conceſſio ſerenat, & ſereniſſimos reddit.

QVÆSTIO CXCV.

Vtrùm volens Matutinum recitare in veſperis præcedentis diei, debeat Solem occidentem expectare, vel illud ante Solis diſceſſum recitare poſſit.

Et

ET quidem certum eſt primò, hunc poſſe ab occaſu ſolis Matutinum recitare, de hoc enim nullus dubitat, & conſuetudo id ſatis oſtendit.

Secundò etiam eſt certum, poſſe illud recitare ſine ſcrupulo vna hora ante occaſum ſolis, etiam in hyeme, licèt aliqui ſcrupuloſi timeant, ſed ſine fundamento, quia conſuetudo etiam hoc habet.

QVÆSTIO CXCVI.

Tota igitur lis eſt de eo, qui diutiùs ante vnam horam ante diſceſſum ſolis illud perſoluit.

RESPONDEO, eum non teneri ſolis occaſum expectare, ſed poſſe illud recitare poſt tempus Completorij, quod iuxta communem ferè conſuetudinem ſolet eſſe circa tertiam, & horam quartam poſt meridiem, tam in æſtate, quàm in hyeme, nullam enim in hoc differentiam facio, cùm diſtantia vſque ad punctum mediæ noctis, & antepoſitio eadem ſit. Et hæc eſt communis conſuetudo Romana, quam vbique ſine ſcrupulo acceptari videmus. Quod ſi alicubi fortaſſe alia vigeat conſuetudo, conſilium quidem erit, ſeruare illam, non eſt tamen admittenda vt obligans ad culpam. Et ideo ita ſentit D. Thomas quodlibet. 5. articu. 28. ad 1. vbi ſic ait: Poſſe recitari Matutinum diei ſequentis de ſero antecedentis diei, & declarat, per ſerum intelligi tempus, quod proximè ſequitur poſt dictas veſperas, & Completorium. Intellige dictas, ſecundùm tempus,

pus, quo in publicis officiis Eccleſia ſeruat, quod ſolet eſſe inter tertiam,& quartam horam poſt meridiem, id eſt,inter 21.& 22.horam diei. Hoc idem tenent Bellarm.lib.1.de bonis operibus c.18. Suar. lib.4.cap.27.n.14.Azor.lib.10.cap.9.q.5. Emm. Sa verb.hora.n.17. Filiuc.cap.8.q.10.nu.275. & Bonac.diſp. 1.q.3.p.3.

Dices, dies naturalis incipit ab vna media nocte vſque ad alteram mediam noctem proximè ſequentem, ergo non licet recitare Matutinum ſero præcedentis diei.

Reſpondeo id verum eſſe quantum ad contractus, & alia huiuſmodi, non autem quantum ad horas canonicas recitandas, nam ea incipit à veſperis præcedentis diei,& durat vſque ad mediam noctem,quæ proximè dabitur poſt ſequentem veſperam. Vnde ſi aliquis poſt dictas veſperas, & completorium dicat Matutinum, iam hoc pertinet ad diem ſequentem.

Obiicies, ſæpe per priuilegia Pontificia conceditur facultas dicendi nocturnas preces vna hora ante occidentem Solem, ergo ſine tali priuilegio id non licet.

Reſpondeo, multa Romæ via priuilegij conceduntur, non quia neceſſaria ſunt, ſed petuntur, vel ad ſcrupulos tollendos, & dubietates, quæ oriri poſſunt ex variis Doctorum opinionibus; vel quia quod poſtulatur, ex rigore iuris, non licet, & pendet ex conſuetudine, quæ incerta,& varia eſſe poteſt,vt in caſu noſtro contingit, & ideo datur priuilegium, quod etiam iuri communi derogare poteſt,& plus concedere, quod introduxerit conſuetudo.Ita Filiuc.tract.23.cap.8.

Nec

Nec etiam obſtat, quod Prima & ſequentes horæ diurnæ dici non poſſint ante mediam noctem. Nam vt bene notat Nauarr. de oratione cap. 3. nu. 70. generalis conſuetudo non habet, vt aliter perſoluantur, quàm intra ſpatium, quod intercedit ab vna media nocte ad alteram proximè ſequentem.

QVÆSTIO CXCVII.

An veſpertinæ preces tempore quadrageſimali ante prandium perſolui debeant.

RESPONDEO, veſperas, quæ publicè in Eccleſia dicuntur, iure communi ante prandium decantari debere, non autem quæ priuatim perſoluuntur. At vſu, & conſuetudine receptum eſt, vt etiam priuatim à clericis ante prandium recitentur: nihilominus tamen iuſta aliqua de cauſa poſt prandium iuſtè differuntur. Syluest. verb. hora q. 9. Caiet. in ſum. verb. horæ canonicæ, Nauar. de oratione cap. 3. n. 41.

Hinc, qui tempore quadrageſimali priuatim diceret veſperas poſt prandium, nequaquam peccaret mortaliter. Quod ſi ſine iuſta, & legitima cauſa fieret, peccatum veniale eſſet. Tolet. lib. 2. c. 13.

QVÆSTIO CXCVIII.

Vndenam officium canonicum incipiat.

NONNVLLI dixerunt à veſperis præcedentis diei inchoari vſque ad mediam noctem ſubſequentis,

quentis, vt reuera incipit in diebus feſtis ſolemnioribus, quorum officium habet duas veſperas diei præcedentis, & ſubſequentis.

At frequentiſſima ſententia, à qua exiſtimo non recedendum, ait[1] inchoari officium à Matutino. Et ratio eſt, quia officium diuinum iuxta canones à media nocte inchoandum eſt: dies autem naturalis iuxta Eccleſiæ ritum, à media nocte in mediam noctem computatur, vt rectè monet D. Thomas 3. part. quæſt. 80. artic. 8. & in 4. d. 13. quæſt. 1. ar. 2. quæſt. 4. ad 3. ergo officium diei incipit à Matutino, cùm in prima hora diei inchoetur. Vnde ſi quis prætermittat hodie veſperas verbi gratia, Apoſtolorum, quorum ſolennitas craſtina die celebratur, & ſequenti die nocturnas vigilias omittat, duo peccata mortalia committit, etiam ſi cæteras ſequentes minores horas perſoluat, cùm tamen, ſi omittat nocturnas vigilias, & reliquas horas ſequẽtis diei, vnum tantùm peccatum mortale committit, ergo ſignum eſt, Matutinum in ordine ad præceptum eccleſiaſticum componere vnum officium cum veſperis ſequentibus, non autem cum antecedentibus, atque ita totum hoc officium, vt eſt vnum ex horis ſeptem conſtans, inchoari à Matutino. Quando ergo anticipatur ſolemnitas à veſperis, non componunt vnum officium cum horis ſequentis diei, ſed Eccleſia vult officium integrum cum dimidio (vt ſic dicam) in honorem talis Sancti, vel memoriam talis myſterij celebrare, ſicut interdum extendit ſolemnitatem per octo dies, & non ideo ex omnibus fit vnum officium.

QVÆ

QVÆSTIO CXCIX.

Vbinam officium canonicum finiatur.

RESPONDEO totum officium canonicum in completorio terminari, illud enim tanquam vltimum, omnes ſeptem canonicas horas finit, & claudit. Vnde & nomen accepit.

QVÆSTIO CC.

An liceat inchoare officium diei ſequentis non expleto officio diei præcedentis. v.g. dicere ſerò Matutinum diei craſtinæ, ante dictum completorium diei præſentis.

RESPONDEO nõ licere. Et ratio eſt, quia quamuis ex officio hodierno, & craſtino non cõponatur vnum officium, & ideo non videantur habere inter ſe ordinem, tamen ex inſtitutione, & recepta Eccleſiæ conſuetudine, non inchoatur officium diei ſequentis, antequam perſolutum ſit officium diei præcedentis. Quare qui talem ordinem ſponte ſine iuſta cauſa inuertit, peccat, & quidem venialiter, quia non derogat ſubſtantiæ orationis, quam horæ canonicæ conſtituunt, nec illam minuit: vnde fit, vt non conſtituant grauem deformitatem. Quapropter ſi rationabilis cauſa intercedat, poterit excuſari ab omni culpa. Ita Nauarr. de oratione cap. 3. numero 60. Suarez lib. 4. cap. 24. num. 3.

nu.3.Reginald.lib.18.n.180. Vaſq.de benef.cap.4. §.1.ar.2.n.66.Molfeſ.tract.5.n.27.& alij.

QVÆSTIO CCI.

Vtrùm clericus ſacris initiatus, teneatur ſtatim ſuſcepto ſubdiaconatu, diuinum officium perſoluere.

RESPONDEO teneri. Et ratio eſt, quia ad hoc obligatur ratione ordinis ſacri, ergo illo ſuſcepto ſtatim obligatur. Idem dicendum eſt de Religioſo poſt profeſſionem; quia vtriuſque eadem eſt ratio.

QVÆSTIO CCII.

Vtrùm beneficiarius teneatur totum officium eo die recitare, quo beneficij poſſeſſionem accepit?

ET videtur quod ſic, quia beneficiarius percepturus eſt fructus totius illius diei.

Hoc tamen non obſtante, reſpondeo beneficiarium teneri ſolùm ad recitandum horas reſpondentes horæ, in qua beneficij poſſeſſionem accepit: ſicut qui ad ſolum titulum patrimonij ſacris initiatur, nõ tenetur eo die quo recipit ſubdiaconatum, recitare Matutinum, vel Primam, ſed ſolũ tenetur officium recitare iuxta horam, in qua promouetur ad ſubdiaconatum. Ratio huius eſt, quia cùm non fuerit toto die obligatus ad recitandum, non videtur

detur conſentaneum imponere onus totius diei. Idem de penſionario dicendum eſt. Ita Azor. lib. 10. cap. 13. q. 17. Suar. lib. 4. cap. 27. num. 8. Filiuc. cap. 9. num. 285. & Bonacina diſp. 1. q. 2. par. 5. n. 10.

QVÆSTIO CCIII.

Vtrùm Religioſus, ſeu clericus, vel beneficiarius qui totum officium integrum recitauit ante profeſſionem, vel antè quàm ordinem, vel beneficij poſſeſſionem caperet, teneatur iterum recitare partem reſpondentem horæ, in qua profeſſionem emiſit, vel ordinem, aut beneficij poſſeſſionem accepit.

RATIO dubij eſt, quia hic videtur anticipatè ſatis feciſſe.

Nihilominus dicendum eſt, hunc teneri iterum recitare partem officij, quæ reſpondet horæ, in qua profeſſionem emiſit, aut ſacros ordines, vel beneficij poſſeſſionem obtinuit. Ratio huius eſt, quia adimpletio præcepti ſupponit obligationem, ſed qui diuinum officium ante profeſſionem, vel ordinis, aut beneficij poſſeſſionem, perſoluit, non habebat hanc obligationem, vt conſtat, ergo non ſatisfecit præcepto officij, ergo facta profeſſione, vel ſuſcepto ordine, &c. tenetur iterum recitare pro rata temporis, quo votum profeſſionis emiſit, vel ſacro ordine eſt initiatus.

Tum quia diuinũ officium recitatur nomine Eccleſiæ, qui autem illud ante ordinem ſuſceptum perſoluit, non dicitur illud nomine Eccleſiæ recitaſſe, cùm nondum eſſet miniſter adhuc deputatus.

Tum demum, quia ſicut non implet Eccleſiæ præceptum, qui hodie diuinum officium perſoluit, vt obligationi ſatisfaciat, qua diuinum officium craſtina die recitare tenetur: ita neque oneri recitandi ſatisfacit, qui horas canonicas perſoluit ante ordinem ſuſceptum, vel profeſſionem emiſſam, vtrumque enim onus eſt tempori, & perſonæ diuino officio obnoxiæ affixum. Ita Bonacina de horis canonicis diſp.1.q.2.p.5. num.10.

Et ad rationem dubij reſpondeo, negando prædictum anticipatè ſatisfeciſſe, cùm ſatisfactio ſupponat debitum.

QVÆSTIO CCIV.

Quo ordine diuinum officium recitandum ſit?

RESPONDEO eo ordine, quo ab Eccleſia præſcriptum eſt cap. Presbyter. diſt. 91. & cap.1. de celebrat. Miſſarum. Ac proinde recitandum eſt Matutinum, & Laudes, deinde Prima, Tertia, Sexta, Nona, &c. Ratio eſt, quia præceptum non ſolùm adimplendum eſt quoad ſubſtantiam, verùm etiam quoad modum, ſed ad modum præcepti ſpectat ordo diuini officij, ergo diuinum officium recitandum eſt iuxta ordinem ab Eccleſia præſcriptum.

QVÆ

QVÆSTIO CCV.

An qui mutat ordinem pſalmorum, vel inter ſe, vel cum lectionibus, capitulis, aut hymnis, & ſimilia, peccet, & recitatum repetere teneatur.

ET quidem certum eſt, hunc qui aduertenter talem mutationem facit in publica recitatione, lethale peccatum committere. Et ratio eſt, quia regulariter talis mutatio fieri non poteſt ſine ſcandalo populi, niſi ex materiæ leuitate, vel aliqua inaduertentia excuſetur. Suar. lib. 4. cap. 11. n. 7.

QVÆSTIO CCVI.

Sed dubium eſt, de recitatione priuata.

SED reſpondeo, & dico, quòd qui ſpontè ſine cauſa iuſta talem mutationem facit, peccat grauiter. Et ratio eſt, quia id videtur continere ſpeciem quandam contemptus, cùm inde corrumpatur ipſarum horarum pulchritudo, quæ in eo ordine, quem nunc habet, poſita eſt. Tum quia non obſeruat conſuetudinem, & modum præcepti: non tamen peccat mortaliter, nec tenetur recitatum repetere, quia adimplet præceptum quoad ſubſtãtiam. Ita Bellarm. lib. 1. de bonis operibus cap. 18. Vaſq. de benef. cap. 1. §. 1. art. 2. dub. 14. n. 67. & alij.

Hinc, ſi quis non habens Breuiarium ad dicẽdas

lectiones, occurrátque grauis occupatio, quæ non patitur dicere totum officium, niſi dicat quæ poteſt, vt pſalmos, hymnos, & cætera quæ reperiuntur in Diurnali, poteſt talia dicere, & poſtea Breuiario habito, cætera ſupplere. Similiter iter agentes qui non habent tempus recitandi in diuerſorio totum officium, poſſunt equitando recitare pſalmos, quos memoriæ tenent, vel facilè legere poſſunt, & poſtea in diuerſorio recitare lectiones, &c.

Hinc, qui legitimo detentus impedimento, non potuit chorum ingredi, niſi inchoata hora, poteſt illam proſequi cum reliquis vſque ad finem, animo ſupplendi partem omiſſam.

Hinc, qui inter recitandum aduertit ſe hymnum, aut pſalmum omiſiſſe, debet pœnitere de negligentia, & ſupplere omiſſum, ſed non tunc, ſed poſt officium expletum, nec tenetur iterum recitare totum officium, vt pſalmum v. g. ſuo loco, & ordine dicat, ſed ſatisfacit ſupplendo omiſſum.

QVÆSTIO CCVII.

An in hoc caſu ipſamet pars omiſſa repetenda ſit, an verò ſufficiat aliquid aliud loco ipſius recitare.

SYLVEST. verbo hora q. 12. affirmat ſufficere. Sed multò verius exiſtimo, ſcilicet ipſammet partem omiſſam repetendam eſſe, ſi commodè id fieri poteſt. Et ratio eſt, quia non eſt in poteſtate clerici partes diuini officij mutare, ſed officium iuxta Eccleſiæ præſcriptum recitare debet.

Dixi

Dixi notanter, *ſi commodè*, &c. quia ſi is omitteret partem aliquam conflatam ex pluribus verſiculis plurimorum pſalmorum, non teneretur ſupplere recitando illos verſiculos, id enim eſſet quidam labyrinthus, & magna confuſio, ſed poteſt ſupplere per æquipollens recitando vnum, vel duos pſalmos qui contineant tot verſiculos, quot ipſe omiſit.

QVÆSTIO CCVIII.

An qui ordine præpoſtero horas canonicas perſoluit, aliquod peccatum committat; vt ſi quis v. g. dicat Tertiam ante Primam, aut Veſperas ante Nonam.

ET quidem loquendo de recitatione publica, certum eſt eum qui ſcienter ſine cauſa iuſta talem mutationem facit, lethale peccatum committere. Et ratio eſt, quia videtur inſtitutionem Eccleſiæ contemnere, & deinde populum ſcandalizat.

QVÆSTIO CCIX.

Sed dubium eſt, de recitatione priuata.

IN qua re etiam certum eſt, eum qui ex naturali obliuione, aut inconſideratione in recitandis horis hunc ordinem inuertit, non peccare. Et ratio eſt, quia talis obliuio cùm rationem habeat ignorantiæ inuincibilis, excuſat omnino à peccato.

QVÆSTIO CCX.

Sed quod in dubium vertitur eſt; de eo qui aduertenter ordine præpoſtero, diuinum officium recitat.

ET quidem certum eſt,eum qui voluntariè, ſed cum iuſta cauſa hunc ordinem inuertit,nullum peccatum committere.Et ratio eſt, quia hæc inuerſio non eſt contra ſubſtantiam huius præcepti,nec eſt circunſtantia adeò grauis, vt reddat actionem intrinſecè malam, poteſt ergo ex iuſta cauſa prætermitti ſine peccàto.

Hinc qui ab amico, vel Prælato rogatur, vt ſecum Tertiam perſoluat, cùm ipſe nondum recitauit Primam,poteſt cum eo Tertiam recitare,dicendo poſtea Primam, habet enim iuſtam ordinis variandi cauſam. Suar.lib.4. cap.24. num.4.

Hinc, ſi quis poſt inceptam horam Tertiam, recordatur,ſe non recitaſſe Primam,vel laudes,poteſt ſine peccato,Tertiam proſequi,animo,& voluntate recitandi poſtea laudes,vel Primam.

Hinc,ſi aliquis accedit ad chorum, dum canitur Sexta,ſed ipſe nondum recitauit Tertiam,tunc poteſt pſallere cum cæteris,& poſtea dicere Tertiam, vel aliam horam omiſſam. Ratio horum omnium eſt,quia quod ex iuſta cauſa fit,rationabiliter,& prudenter fieri dicitur.Nauar.de oratione cap.21.n.59. Suar. lib.4. cap. 24. num.4. Azor. lib.10. cap.10. quæſt.1. & plerique alij.

QVÆ

QVÆSTIO CCXI.

Sed dubiæ quæſtionis eſt, An is qui aduertenter, & ſine iuſta cauſa ordinem præpoſterum in recitandis horis tenet, aliquod peccatum committat.

IN qua re certum mihi eſt; hunc qui ſpontè abſq; legitima, & rationabili cauſa eum ordinem inuertit, non teneri horam iam recitatam repetere. Et ratio eſt, quia hic in ſubſtantia implet præceptum, & ſolùm deficit in quodam accidente. Nau. de oratione cap.3. num.67.

Secundò certum quoque mihi eſt, hunc qui ſic recitat, nonnihil peccatum committere. Et ratio eſt, quia alienum eſt à ratione in diuino officio non ſeruare modum procedendi ab Eccleſia approbatum, & vſitatum.

QVÆSTIO CCXII.

Tota igitur difficultas conſiſtit, An peccet mortaliter.

VASQVEZ de beneficiis cap.4.§.1.art.2.nu.66. affirmat eum qui ſæpiſſimè ordinem horarum inuertit, mortaliter peccare, quia nimiùm ordinem, & Eccleſiæ conſuetudinem diſrumpit. Secus ſi bis aut ter.

Verùm omnino dicendum eſt, eum ſecluſo contemptu non peccare niſi venialiter. Et ratio

eſt, quia talis ordo non eſt de ſubſtantia præcepti, quod datum eſt de recitatione horarum canonicarum, ſed ſolùm modus. Ita Nauar. de orat. cap.3. num.67. Suarez lib.4.cap.24. numero 5. & multi alij.

QVÆSTIO CCXIII.

Vtrùm peccet mortaliter, qui Miſſam celebrat, nondum recitato Matutino.

ET quidem non diſputamus modò, an in nocte Natalis Domini id liceat, quia certum eſt, eo die de more id facere Eccleſiam. Nam nocturnis perſolutis ante laudes, primum eius diei ſacrum decantat.

Secundò non diſputamus, an id liceat, ſi iuſta, & legitima cauſa ſubſit, quia etiam eſt certum, id eſſe licitum, vt ſi ſubita neceſſitas occurrat, v. g. accedit Illuſtriſſimus, vel magnus Princeps gratia audiendi ſacrum, nec adeſt vllus tunc ſacerdos qui ſacrificet, niſi qui officium Matutinum non recitauit, & adeſt etiam populus in die feſto Miſſam auditurus, vel tandem ſi neceſſe ſit, vt ſacrificium fiat ob mortuum ſubitò delatum in templo ſepeliendum, vbi de more vita defuncti ſine Miſſæ ſacrificio non ſepeliuntur. Quia quod ex iuſta cauſa fit, rationabiliter, & prudenter fieri dicitur.

Tertiò non diſputamus, an peccet ſaltem venialiter, qui abſque rationabili cauſa celebrat ante Matutinum perſolutum, quia certum eſt, hunc ſaltem venialiter peccare propter contrariam, eámque

lauda

laudabilem conſuetudinem, quæ videtur ſub veniali ſaltem obligare.

QVÆSTIO CCXIV.

Sed tota diſceptatio eſt, an lethaliter peccet Sacerdos, qui ſine iuſta cauſa ante Matutinum ſacrificat.

DIVVS Anton. 3. p. tit. 13. c. 4. §. 4. Sylueſt. verb. Miſſa. 1. quæſt. 6. Armilla verb. horæ. §. 18. Nauar. de oratione cap. 3. num. 78. & cap. 21. n. 30. Azor. lib. 10. cap. 10. quæſt. 4. & cap. 28. quæſt. 17. Durant. lib. 3. de ritibus cap. 24. Bellarm. lib. 1. de bonis operibus cap. 18. Reginald. lib. 18. num. 167. & plerique alij, affirmant eum peccare mortaliter. Quia qui ſic agit, contrauenit communi, & peruetuſtæ conſuetudini Eccleſiæ: ac etiam tacito eiuſdem præcepto, dum enim ſtatuit, vt Matutinum dicatur de nocte, vel mane, Miſſa verò de die, tacitè ordinauit, vt recitatio Matutini eſſet præparatio ad Miſſæ celebrationem.

Tum quia Pius V. in Bulla quæ habetur in principio Miſſalis, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit, Miſſam dici iuxta ritum Miſſalis, & in principio rituum ſeruandorum in Miſſa dicitur, præuia confeſſione, & ſaltem Matutino cum laudibus abſoluto, orationi aliquantulum vacet.

Alij verò Doctores non minoris nominis docent, ex obiecto, & ſecluſo contemptu, non eſſe peccatum mortale dicere Miſſam ante Matutinum.

Et ratio eſt, quia nullus extat iuris canon, quo præcipiatur, vt Matutinum ante Miſſam recitetur.

Tum quia, qui recitat veſperas ante Matutinum, non peccat mortaliter, ergo neque celebrans Miſſam ante Matutinum, cùm Matutinum nullam habeat connexionem, & ordinem cum Miſſa: ſed maiorem connexionem habet Matutinum cum veſperis, quàm Matutinum cum Miſſa.

Tum quia, qui recitat completorium ante Miſſam, non peccat mortaliter, quamuis conſuetudine receptum ſit, vt Miſſa dicatur ante completorium, ergo neque peccat mortaliter celebrans Miſſam, ante Matutinum.

Tum etiam, quia Matutinum non poſtulatur vt neceſſaria animæ diſpoſitio ad celebrandum, nec inter eas ponitur in Miſſali ſub titulo de defectibus in celeb. Miſſarum cap. 8. de defectibus diſpoſitionis animæ, ergo. Et ideo ita ſentiunt Sotus lib. 10. de iuſt. q. 5. art. 4. & in 4. diſt. 13. q. 2. a. 2. Valent. 2. 2. d. 6. q. 2. p. 10. Arag. 2. 2. q. 83. art. 12. Leſſ. lib. 2. c. 37. dub. 12. n. 81. Lop. 2. p. inſtr. cap. 79. & c. 105. Carbo lib. 9. de legibus diſp. 9. Rodriq. de Regular. to. 1. q. 43. art. 3. & in ſum. p. 1. cap. 244. nu. 22. Henriq. lib. 9. de Miſſa c. 24. n. 17. Tolet. lib. 2. c. 1. Suar. lib. 4. c. 24. n. 6. Vaſq. in opuſc. de benef. c. 4. §. 1. a. 2. n. 65. dub. 3. Molf. tract. 5. c. 2. n. 31. Filiuc. c. 7. q. 6. Macig. cap. 46. Bonacina diſp. 1. q. 3. p. 4. & plerique alij.

Obiicies, ex hoc multi clerici ſument occaſionem differendi Matutinum poſt ſacrificium Miſſæ.

Reſpondeo hanc occaſionem eſſe acceptam, non datam, neque per abuſum paucorum eſſe introducendam grauem obligationem, vbi neque lex, nec ratio cogit.

Deinde

Deinde non diximus nos hoc nullum eſſe peccatum, ſi ſine iuſta cauſa fiat, ſed tantùm non eſſe mortale.

Argumenta verò prioris opinionis, à qua receſsimus, facilè ex dictis diluuntur. Et ad primum reſpondeo, quòd non omnis conſuetudo habet vim legis: nec item omnis conſuetudo ita ſtrictè, & arctè conſcientiam ligat, vt niſi ſeruetur, mortale peccatum committatur.

Tum quia talis conſuetudo non fuit introducta intuitu ordinis neceſſarij inter Matutinũm, & Miſſam, ſeu ad inducendam illius obligationem, ex qua recitatio Matutinĩ fieret diſpoſitio requiſita per ſe ad Miſſæ celebrationẽ, ſicut ſunt veſtes ſacerdotales, ſed duntaxat, quia Matutinum eſt oratio nocturna, Miſſa oratio diurna, ideo priùs officium recitari ſolitum fuit quàm Miſſa: ſicut etiam eſt conſuetudo dicendi veſperas poſt meridiem, & tamen ſi quis eas recitaret ante Miſſam extra quadrageſimam, non peccaret, niſi venialiter.

Ad ſecundum reſpondeo, quod generale præceptum Pij V. quo in virtute ſanctæ obedientiæ præcipit Miſſam dici iuxta ritum Miſſalis, non obligat cum rigore ad obſeruandas ſingulas regulas, & ordines Miſſalis, ſed tantùm generaliter ad vtendum eo ritu, & non inducendũ alium, in particulari autem obligat ad ſingula iuxta modũ, quo vnaquæque res præcipitur, & ordinatur, & iuxta grauitatem eius.

Deinde in regula particulari, in qua dicitur, præuia cõfeſſione cum opus fuerit, & ſaltem Matutino cum Laudibus abſoluto, oratione aliquantulum vacet: non ponitur verbũ, quod indicet præceptũ graue, ſed potiùs de conſilio id dicitur: ſicut eſt, quod ponitur

ponitur de vacando orationi aliquantulum, conſilium eſt, & ſimplex quædam directio, non autem præceptum.

Nec obſtat quòd in Rubricis Miſſalis dicatur defectus, dum quis Miſſam celebrat non præmiſſo ſaltem Matutino, quia ſatis eſt quòd tunc ſit defectus venialis, quando ſine vlla cauſa fit, tunc enim ſemper intercedit aliqua negligentia circa Matutinum, vel irreuerētia venialis circa diuinum cultum. Quòd ſi interueniat ſcandalum, vel contēptus talis directionis, tunc poterit eſſe etiam peccatum graue.

• Nec etiam obſtat, quòd aliquando obtinetur priuilegium Apoſtolicum ad celebrandum, nondum recitato Matutino, quia huiuſmodi priuilegiū prodeſt tum ad vitandum peccatum veniale, tum ad vitandos ſcrupulos. Nauar. de orat. cap. 19. nu. 83. Macig. & Bonac vbi ſuprà.

QVÆSTIO CCXV.

An ſacerdos, qui ob infirmam valetudinem eſt immunis à Matutinis precibus, poſſit tuta conſcientia celebrare.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt; quia accidere poteſt, vt incommoda valetudo iuſtam det excuſationem officij, Matutini omittendi, & nihil tamen impediat, quominus ſacerdos celebret. Et ſicut ſacerdos abſque ſacramentali confeſſione cum debito tamen & iuſtō peccatorum dolore, iure aliquando ſacrificat, quia deeſt copia confeſſarij, ita

qui ob incommodam valetudinem horas canonicas recitare nequit, poteſt aliundè ritè præparatus ad ſacrificandum accedere.

QVÆSTIO CCXVI.

An peccet ſacerdos, qui ante Primæ recitationem, ſine iuſta cauſa ſacrum facit.

DIVVS Anton.3.p.tit.13.c.6.§.4.& Palud in 4. diſt.13. quæſt.2. art.2. videntur tueri partem affirmatiuam, quia eodem modo de Prima, quo de Matutino loquuntur.

Cæteri verò Authores, quos ſequor, nullam in Prima talem obligationem agnoſcunt, magis, quàm in aliis horis, id enim pij viri, ac docti faciunt, & in multis Eccleſiis, etiam in illis, quæ cathedrales, aut collegiatæ vocantur, ſolent Miſſæ priuatæ celebrari ante Primæ recitationem in choro: immò meliùs facit, qui Miſſam in aurora dicere iubetur poſt Miſſæ celebrationem intereſſe choro ad Primam, quàm illam ante Miſſam dicere. Et quando eſt ſtatutum, vel conſuetudo, vt ante Primam non dicatur Miſſa, intelligitur de Miſſa Maiori. Ita Nauar. de orat.c.3. n.70. & in Man.cap.25.n.83.Sylueſt.verb.Miſſa.1. q.6. Sot. lib.10.q.5.art.4. & alij communiter.

QVÆSTIO CCXVII.

An quælibet ægritudo corporis iuſtam officij diuini excuſationem præbeat.

Reſpon

RESPONDEO minimè, ſed eam tantùm,quæ valetudinem corporis notabiliter offendit,qualis eſt grauis febris,vel grauis dolor capitis,vel ſtomachi. Et ratio huius eſt, quia obligatio recitandi diuinum officium ſtrictiſſima eſt, vt conſtat ex cap. Dolentes. de celebrat. Miſſar.ergo non niſi ex graui cauſa poteſt clericus ab ea liberari,& per conſequens nec excuſari ex alia infirmitate, quàm quæ notabiliteer nocet. Ita Sotus lib.10.q.5.art.3.Nau. de oratione cap.11.nu.3. & in Man.cap.25.nu.100. Toletus lib.2. cap.14. num.2. Valent.2.2. d.6.q.2. p.10. Suar. lib.4. cap.24. num.11. Arag.2.2.qu.83. art.12. Azor. lib.10. cap.13. quæſt.2. Vaſq. de benefic. cap.4.§.1. art.1. dub.12. & Reginald.lib.18. num.181.

Hinc non excuſatur ab onere recitandi is,cuius morbus talis eſt,vt ipſum non impediat, quominus ordinarias actiones capitis, & linguæ exercere poſſit, & cum amicis negotia grauia tractare,in quibus tantum eſt difficultatis, quantum in ipſa horarum canonicarum recitatione. Ratio eſt,quia tunc non poteſt dici talis moraliter impotens. Huiuſmodi eſſe ſolet febris leuis, moderatus capitis, pectoris, aut ſtomachi dolor.

Hinc non excuſatur à lege, & præcepto recitandi is cuius morbus ad tempus tantùm iuſtam excuſationem affert,qualis ſolet eſſe febris quartana,aut tertiaria non multùm vexans,quæ ſtatutis horis obuenit,niſi tanta ſit laſſitudo,vt grauiter ſaluti nocere exiſtimetur attentio neceſſaria in officij recitatione.

Hinc fieri poteſt, vt ob corporis imbecillitatem, excuſetur quis à recitatione horarum in choro, quamuis

quamuis non excuſetur ab onere recitandi domi, vt ſi quis choro addictus, quamuis aliàs bene valeat, ſic tamen laborat podagra, vt ad Eccleſiam ire nequeat.

QVÆSTIO CCXVIII.

An qui quartana, vel tertiaria febre laborat, vel quia credit ſe aliquo impedimento implicandum, quominùs ſuo tempore queat horas canonicas recitare, teneatur intra eandem diem tempus præuenire, aut poſtponere, & officium diuinũ ex toto ſoluere.

ET videtur quòd non, quia poſſe anteponere, vel poſtponere eſt veluti quoddam priuilegium, quo nemo vti cogitur.

Hoc tamen minimè ſuffragante, contrarium mihi perſuadeo, Ducor, quia totum tempus diei eſt ſimpliciter legitimum, & ſufficiens ad ſubſtantiam huius præcepti implendam, & ideo ſi vna pars diei eſt impedita, debet dici in alia, quæcunque illa ſit. Et ideo ita tenet Cardinalis Toletus in ſumma lib. 2, cap. 14. num.... Azor, lib. 10. cap,....

QVÆSTIO CCXIX.

Quid faciendum, quando dubitatur, an ægritudo ſit grauis, vel leuis, id eſt, an recitatio diuini officij valdè nocitura ſit ſanitati?

Respondeo, conſulendum eſſe medicum, & illius conſilio, & iudicio de ægritudinis grauitate ſtandum, non quia ipſe poſſit tollere, vel minuere obligationem, nullam enim iuriſdictionem habet, ſed quia ratione officij ad ipſum pertinet iudicium grauitatis, aut leuitatis morbi, nam periti in arte iudicio ſtandum eſt. cap. fraternitat. de frig. & malef. & ideo ſatis eſt, ac ſufficit vnum conſulere medicum, dummodo vt Nauar. monet cap. 21. n. 16. ſit vir prudens, ac timens Deum, ac peritus in ſua arte exiſtimetur.

QVÆSTIO CCXX.

An cùm de ægritudinis grauitate dubitatur, conſilium, & iudicium medici ſufficiat, vt ab onere recitandi infirmus ſit liber, an verò adhuc interuenire debeat ſuperioris authoritas, qui eum indulgentiæ beneficio ab onere recitandi excipiat.

Sotvs lib. 10. quæſt. 5. art. 3. affirmat adhuc etiam requiri ſuperioris authoritatem.

Cæterùm ego magis probo eorum ſententiam, qui docent ſolummodo iudicium prudentis medici ſufficere, quia etiam cùm dubitatur an ieiunium ſeruare debeamus, ſatis eſt prudentis medici conſilium de grauitate morbi iudicantis, & ita eſt vſu receptum. Atque adeò, ſicut ſtandum eſt illius iudicio dicentis cibum aliquẽ eſſe noxium, ſic etiam dicẽtis

morbum

morbum aliquem eſſe grauem, præſertim cùm homines non habeant aliam regulam qua poſſint in ſimili dubio gubernari. At verò ſi conſilio, & iudicio medici res adhuc ſit dubia, tunc requirenda eſt ſuperioris authoritas, qua ab obligatione recitandi eximamur, & in hoc locum habet opinio Soti, eſt enim neceſſaria ſuperioris diſpenſatio, cuius eſt legis immunitatem horarum concedere, non medici. Et ideo ita ſentiunt Nauar. de oratione cap. 31. num. 3. & cap. 21. num. 16. Azor. lib. 10. cap. 13. q. 1. Suar. lib. 4. cap. 28. num. 20. & 21. Bonac. diſp. 1. q. 6. p. 1. & alij. Quod ſi neuter haberi poſſit, vtendum erit arbitrio prudentis viri: & quoties bona fide proceditur cum probabili iudicio ſuæ excuſationis, non committitur vlla culpa, ſi ſemel vel bis non recitetur: ad longum autem tempus requireretur licentia ſuperioris, vt rectè docet Suar. tom. 2. de Religione lib. 4. cap. 28. num. 21.

QVÆSTIO CCXXI.

An quando medicus ipſe dubitat, an morbus ſit grauis, vel leuis, ſeu an recitatio nocitura ſit, ægrotus ad horas recitandas teneatur.

RESPONDEO non teneri. Et ratio eſt, quia aliàs ſe exponeret periculo grauis damni, vt in caſu ſimili reſoluit Bonacina in materia de ieiunio. Secus ſi periculum ſit tantummodo leuis damni, quia tunc ægrotus tenetur recitare, quia

poſſeſſio ſtat pro præcepto, quod obligat ſaltem cum leui incommodo.

QVÆSTIO CCXXII.

An ægrotus excuſatus à dicendis horis, excuſetur etiam ab audiendis.

Respondeo excuſari. Et ratio eſt, quia id nullo iure cauetur, etiam ſi poſſit id facere, cùm non poſſit recitare, & in cap. 1. de celebrat. Miſſarum ſolùm præcipitur vt clerici horas canonicas ore pronuncient, non autem vt eas ab aliis recitatas audiant, niſi quando ipſi recitant cum aliis: quia tunc tenentur audire partem ab aliis recitatam, ſicut & recitare ſuam.

Tum quia onus recitandi horas canonicas eſt perſonale, ergo qui iuſtam habet excuſationem non recitandi, minimè tenetur ſubſtituere alium, qui eo audiente dicat, ſique ſubſtituat, erit quidem bonum opus, ſed non erit adimpletio præcepti de recitando.

Nec obſtat, quòd hic audire poſſit, quia non obligamur ad omnia, quæ poſſumus, ſed ad ea, quæ nobis iubentur, at clericis, vt diximus, non iubetur auditio, ſed dictio, ergo qui nequeunt dicere, excuſantur à dictione iuſſa, & non obligantur ad auditionem conſultam. Et ideo ita tenent Sylu.verb.hora.q.4.Nauar.de oratione cap.11. nü. 7. Tolet. lib.2. cap.14. Azor. lib. 10. cap. 13. q. 2. Suar. lib. 4. cap. 24. num. 12. Rodriq. de reg. tom. 1. q. 42. art. 10. & plerique alij.

QVÆSTIO CCXXIII.

An qui per ſeipſum non poteſt diuinum officium recitare, per alium ſupplere teneatur.

RESPONDEO non teneri. Ratio eſt, quia onus recitandi officium eſt perſonale, ergo qui illud per ſe explere non poteſt, neque alium ſubſtituere tenetur, qui loco ſui dicat. Immò licèt illum ſubſtituat, & illi ſtipendium conferat, & alter recitet, nihilominus non ſatisfacit præcepto. Ita Nauar. de oratione cap. 11. nu. 6. Suar. lib. 4. cap. 28. num. 11. Tolet. lib. 2. cap. 14. & alij.

QVÆSTIO CCXXIV.

An ſtudium excuſet à recitatione horarum.

RESPONDEO non excuſare, etiamſi alium in ſui locum ſubſtituat. Et ratio eſt, quia cùm iſtud ſit onus perſonale, per alium impleri non poteſt, cùm non tranſgrediatur perſonam. Vnde quædam Gloſſa citata à Nauarro inquit, maledictum ſtudium, propter quod relinquitur diuinum officium. Ita Valent. 2.2. d. 6. q. 2. p. 10. Nau. de orat. cap. 11. num. 32. Azor. lib. 10.cap.13. q. & Bonac. d. 1. quæſt. 6. p. 1.

QVÆSTIO CCXXV.

An peregrinatio iuſtè, & legitimè ſuſcepta ad loca pia, & religioſa, peregrinum à penſo horarum excuſet, quando per vicarium conſtitutum Eccleſiæ deſeruit, in qua habet beneficium.

RESPONDEO non excuſare. Et ratio eſt, quia penſum horarum canonicarum cùm ſit perſonale, inhæret inſeparabiliter perſonæ beneficiati, eámque ſequitur ſicut lepra ſequitur leproſum, vt Ciuiliſtæ dicunt de actione perſonali, ac proinde quiſque per ſeipſum debet id perſoluere. Ita Nauar. de oratione cap. 11. nu. 53. Azor. lib. 10. cap. 13. quæſt. 13. Valent. 2. 2. d. 6. q. 2. p. 10. & Bonac. d. 1. q. 6. p. 1.

QVÆSTIO CCXXVI.

An qui excuſantur à recitatione horarum, teneantur aliquid aliud eius loco dicere, aut facere.

PALVD. in 4. diſt. 12. quæſt. 6. §. vlt. affirmat ad id teneri. Eiuſdem opinionis videtur eſſe Sylueſt. verb. hora. nu. 5. vbi ait, circa iſtam ſuppletionem non oportet multùm eſſe ſcrupuloſum, quia conſurgit ex naturali lege potius quàm

quàm Eccleſiæ præcepto, vt recompenſetur benefactoribus, quod etiam per minimam orationem fieri poteſt, cùm præponderet omnibus theſauris, ſicut ſpirituale temporalibus.

Nauar. de oratione cap. 11. num. 19. diſtinguit, ait enim de iure humano non teneri, de iure autem diuino naturali obligari ad aliquam recompenſationem faciendam, non quidem determinatè ad has, vel illas, aut tantas, ſed generaliter, & indeterminatè, quamuis non audeat imponere obligationem ſub mortali.

At communis opinio tam Theologorum, quàm Canoniſtarum abſolutè negat. Et ratio eſt, quia nullum ius proferri poteſt, obligans eum, qui per ſeipſum non poteſt diuinum officium recitare, vt loco officij alias orationes dicat, vel in compenſationem elargiatur eleemoſynam, vel aliquid ſimile faciat, ergo neque nos debemus ad id obligare.

Tum quia ſuprà probatum eſt, ſecluſo iure canonico, nullam eſſe obligationem iuris diuini in clericis de peculiari aliqua oratione facienda.

Tum quia, etiamſi eſſet tale ius diuinum, non obligaret pro ſingulis diebus vel temporibus, eſſet enim affirmatiuum, quod non obligat niſi pro tempore neceſſitatis, ac ſubinde non oportet, vt obliget tempore infirmitatis.

Tum etiam, quia iuſſus aliquo die ieiunare, ſi non poteſt per ſe ieiunare, non tenetur id facere per alium, neque per aliquid aliud, vt per diſciplinam, vel Roſarium, quod citra vllum incommodum poteſt, dum malè valet ſupplere, ergo neque

qui ob ægritudinem non poteſt diuinum officium recitare, tenetur aliud pro eo facere. Et ideo hanc partem ſuſtinent Vaſq. de beneficiis cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 12. nu. 51. Azor. lib. 10. cap. 13. q. 8. Suar. lib. 4. cap. 28. num. 11. & 29. Emmanuel Sà verb. hora. num. 3. Reginal. lib. 18. num. 182. & 184. & plerique alij.

Hinc non eſt audiendus Angelus verb. hora nu. 9. qui ait cæcum, vel carentem Breuiario excuſari à recitatione horarum, dummodo ſuppleat per alias orationes, vt Pater noſter, &c. Et ſimiliter Paludanus vbi ſuprà, qui loquens de infirmo, qui à recitatione horarum excuſatur, ait. Roget tamen Deum mentaliter, horarum loco, & hoc ſufficiet. Non ſunt, inquam, audiendi, quia, vt diximus, hoc ſupplementum neceſſarium non eſt, quia eo ipſo quòd quis ab eo onere liber, & immunis eſt, liberatur quoque à lege quarumlibet aliarum precum recitandarum.

QVÆSTIO CCXXVII.

An qui propter infirmitatem non poteſt totum officium recitare, teneatur ad partem, quam poteſt.

QVIDAM abſolutè negant quia hoc eſt vnum præceptum, & illa recitatio omnium horarum eſt vna actio moralis, quæ ſi non poteſt integrè adimpleri, non præcipitur mutilata, & imperfecta, ſicut qui non poteſt ieiunare tota die, non obligatur ieiunare vſque ad prandium, licèt poſſit: &

& qui in die feſto non poteſt audire totam Miſſam, non obligatur quamlibet eius partem minimam audire : & qui non poteſt ad Romam peruenire, non tenetur medium iter facere : & qui non poteſt tempore ieiunij abſtinere à duplici comeſtione, ſed poteſt in vtraque comeſtione minùs ſumere, non tenetur ponderare id quod comedit, vt æquiualeat vni comeſtioni, ſed ſimpliciter liberatur.

Nauar. de oratione cap. 11, nu. 15. Azor. lib. 10. cap. 13. q. 4. & 5. & multi alij diſtinguunt in hunc modum, aut enim excuſatus poteſt commodè recitare maiorem partem horarum, aut non. Si primum, tenetur eam partem recitare. Si ſecundum, ideſt, ſi maiorem partem dicere poteſt, conſequenter ab omnibus excuſatur, quia regulariter maior pars trahit ad ſe minorem.

Philiarchus lib. 1. cap. 10. ait, quòd ſi poteſt recitare maiorem, vel æqualem, aut ferè æqualem partem, tenetur illam recitare, ſi verò ſolùm minorem, non tenetur.

Graſſius lib. 2. c. 54. nu. 3. & 4. & Vega c. 128. caſu 1. videntur velle abſolutè, quòd qui non poteſt recitare totum officium, tenetur recitare partem meliori modo quo poteſt, & quam memoriter ſcit.

At verò Petrus Ledeſm. tract. 9. cap. 4. concl. 9. docet quòd qui propter infirmitatem non poteſt recitare totum officium tenetur recitare illam partem, quæ non fuerit cauſa notabilis nocumenti ſaluti, & ſic qui non poteſt recitare Matutinum ob defectum viſus, aut quia ſequetur notabile nocumentum, poteſt tamen commodè recitare horas diei, tenebitur illas recitare. Pro quo

Primò dico, quòd qui propter infirmitatem non poteſt integrum officium recitare, poteſt tamen commodè minimam eis partem perſoluere, non tenetur illam recitare. Ratio eſt, quia clericus non tenetur ad id ex natura rei, & iure naturali, ſed ſolùm iure poſitiuo, ius autem poſitiuum non reſpicit naturalem potentiam, ſed moralem, nec etiam laqueum iniicit, ſed eſt ſuaue, vnde præcipiendo, obligat caſu, quo id fieri poteſt, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſine magno incommodo, & licèt eadem præcepti ratio militet in toto, & in partibus, excuſat tamen à minima parte eos qui non niſi ſecundùm minimam partem poſſunt illud explere, ne ſcrupulos, & laqueos hominibus iniiciat.

Secundò dico, quòd qui non poteſt dicere omnes horas canonicas, poteſt tamen commodè maiorem talis ſui penſi partem perſoluere, ſi tamen illa pars non faceret aliqualem compoſitionem horæ, quæ eſt quid artificiale, & compoſitũ ex diuerſis partibus, non tenetur illam recitare, v. g. poteſt recitare omnes Pſalmos, aut Pſalmos, & hymnos horarum, quos memoriter ſcit, tamen quia illi vt ſic non faciunt aliqualem compoſitionem horę, nõ tenetur illos recitare, licèt ſit maior pars officij.

Tertiò dico, quòd qui non poteſt dicere totum officium, poteſt tamen commodè maiorem, vel æqualem, aut ferè æqualem eius partem perſoluere, tenetur eam partem recitare.

Quartò, & vltimò dico, quòd qui excuſatus non valet totum officium eccleſiaſticum recitare, tenetur eam partem perſoluere, quam poteſt, dummodo illa pars ſaltem vnam integram horam conſtituat. Et ratio eſt, quia hoc præceptum ita obligat

ad

ad omnes horas, vt obliget ad ſingulas.

Tum quia licèt totum officium vnius diei ſit integra materia huius præcepti, nihilominus conſtat ex ſeptem horis diſtinctis quarum ſingulæ per ſe continent integram quandam orationem, & poſſunt ſeorſim ab aliis dici, ergo qui aliquam ex horis poteſt dicere, tenetur illam dicere, etiamſi non poſſit reliquas.

Tum quia, qui tenetur ad faciendũ aliquid, ſi non poteſt facere totum eo modo quo debet, tenetur facere partem eo meliori modo, quo poteſt, ſi illa eſt ſeparabilis à reliquis, & commodè ſolui poteſt, ſicut qui non poteſt totum reſtituere, tenetur reſtituere eam partem quam poteſt: & qui totam quadrageſimam ieiunare non poteſt, tenetur eius partem quam poteſt, ieiunare: & qui tempore ieiunij poteſt abſtinere à carnibus, ſed non à duplici comeſtione, tenetur abſtinere à carnibus, & non à duplici comeſtione.

Tum etiã quia, qui hora nona ordine ſubdiaconatus inſignitur, obligatur ad ſequẽtes horas illius diei ſcilicet, veſperam, & Completorium, licèt non recitauerit, neque teneatur dicere præcedentes horas, ergo conuenienter recitatur pars huius officij ſine toto, ergo ſi præceptum poteſt ex parte impleri, faciendum eſt, ergo qui per ſe tenebatur ad omnes, & ſit excuſatus à quinque, manet adſtrictus ad dicendas duas, quamuis illæ ſint minor pars officij.

Hinc, qui tota die, & nocte ita fuit legitimè occupatus, vt nullam horam diei dicere potuerit, ſi in fine noctis poteſt ſaltem completorium recitare, tenetur illud dicere.

Hinc qui culpabiliter, vel ſine culpa Breuiario caret, tenet tamen memoria Veſperas, tenetur illas dicere, etiamſi minorem officij partem contineant.

Hinc, ſi quis voto vel iuramento teneretur Romam adire, & ibi viſitare ſeptem Eccleſias, & ſimul etiam pro comperto ſciret, in Roma fore impediendum, ne viſitet omnes Eccleſias, ſed ad ſummum vnam, vel duas, nihilominus teneretur ire, vt ſaltem ex parte impleret votum, licèt pars illa minor ſit.

Nunc oportet reſpondere ad fundamenta aduerſariorum. Et ad fundamentum primę opinionis patet ſolutio ex dictis.

Ad fundamentum verò Nauarri reſpondeo, quòd illa maxima, quòd maior pars trahit ad ſe minorem, intelligitur, vel quādo vna pars impedit aliam, quia tunc ſolet maior pars vincere; vel intelligitur, quando partes debent concurrere ad vnum actum. At in caſu poſito vna pars non impedit aliam, neque vnam concurrere neceſſe eſt ad recitationem alterius.

QVÆSTIO CCXXVIII.

An cæcus à recitatione horarum canonicarum excuſetur.

Et quidem ſi cæcus nil memoriter ſciat etiam ſi poſſit habere ſocium, non tenetur audire illum omnia recitàntem, vel cum illo dicere partem ſuam. Et ratio eſt, quia hæc eſſet diligentia extraordinaria,

traordinaria,& nimis oneroſa,ad quam non obligat hoc præceptum.

QVÆSTIO CCXXIX.

Sed dubium eſt de eo, qui poteſt memoriter aliquam partem horarum recitare.

ARMILLA verb.hora nu. 16. & Tolet. lib. 2. cap.14. affirmant cæcum excuſari.

Sotus lib.10.de iuſt.q.5. ar.3. dubitat, an ſi memoria diuinum officium teneat, id memoriter recitare compellatur.

Nauar. de oratione cap.11.nu.15.& Azor.l.10. cap.13.q.4.& 5. dicunt,eum qui ob cæcitatem, vel infirmitatem,vel ob Breuiarij defectum, maiorem officij partem recitare nequit, non teneri ad recitandum reliquam officij partem, quam memoriter recitare poteſt.

Sed mihi probabiliùs dicendum videtur, eum qui ob cæcitatem,vel infirmitatem non poteſt totum officium recitare,teneri ad illam partem recitandam,quam poteſt,modò illa pars ſit ſaltem vna hora integra. Et ratio eſt, quia cùm iſte poſſit in parte præceptum implere,eo ipſo tenetur.

Tum quia, quamuis hic horas canonicas legere non poſſit, debet nihilominus ſaltem eas recitare, quas memoria tenet. Quia cùm memoria teneat, eáſque ſolitus ſit recitare memoriter,nihil cæcitate impeditur.

Tum etiam,quia neque præceptum obligat ad recitandum

citandum per librum, neque requirit, vt conditionem neceſſariam poteſtatem dicendi per librum.

Hinc carens Breuiario, qui totum officium, aut aliquam horam integram memoriter neſcit, ſed tantummodo pſalmos, vel lectiones, vel orationem, vel capitula memoria tenet, non obligatur ad id, quod memoria tenet, quia illud non eſt officium diuinum, Eccleſia autem obligat ſolùm ad recitandum diuinum officium.

QVÆSTIO CCXXX.

An qui ſolus nequit diuinum officium perſoluere, ſed poteſt cum ſocio, teneatur illum ſibi adhibere.

Et quidem, ſi hic commodè poteſt talem ſocium habere, nempe quia is ſe offert, certum eſt, ad id teneri. Quia hoc ipſo, quòd facilè poteſt cum ſocio alternatim recitare, moraliter non poteſt dici impotens, nam quod per amicos poſſumus, id per nos poſſe meritò cenſemur.

Hinc, ſi cæcus poſſit partem ſuam memoria dicere, & ſine difficultate poſſit ſocium habere, cum quo alternatim recitet, tenetur proculdubio illum adhibere. Quia ratio cur excuſatur ægrotus, vel cæcus à recitatione horarum eſt, quia non poteſt illas recitare; at ſi illas cum ſocio alternatim commodè recitare poteſt, ceſſat ratio excuſans.

Tum quia aliàs ſequeretur, quòd ille qui ſanus, vel

vel aliàs non impeditus ſolebat dicere horas cum ſuis familiaribus, excuſaretur ab eis propter tantillum oculorum dolorem, vel lippitudinem impedientem à lectione horarum, etiamſi partem ſuam memoriter teneret, quod eſt abſurdum.

Tum demum, quia qui tenetur ad aliquid, tenetur etiam ad media ad illud ordinata, ſed clericus tenetur horas canonicas perſoluere, ergo tenetur etiam ad media, ſine quibus illas recitare non poteſt, hoc autem medium eſt adhibitio ſocij, quem vt ſuppono commodè poteſt adhibere. Ita Valent. 2. 2. d. 6. quæſt. 3. part. 10. Azor. lib. 10. cap. 13. quæſt. 6. Suar. lib. 4. cap. 28. num. 13. Rodriq. 1. part. cap. 144. num. 1. Reginald. lib. 18. numer. 183. & alij.

QVÆSTIO CCXXXI.

Sed dubium eſt, an hic teneatur ſuis propriis expenſis conducere ſocium, cum quo poſſit diuinum officium recitare.

ET quidem loquendo de ſimplici clerico non habente beneficium, vel Religioſo, certum eſt eum ad id non teneri. Et ratio eſt, quia iſte non tenetur ex iuſtitia, ſed ex Religione, vel obedientia ad officium recitandum, ergo non tenetur propriis ſumptibus ſocium conducere, vt cum eo diuinum officium recitet. Probo conſequentiam, quia obedientia, vel Religio non ita ſtrictè obligant, ſicut

obligat

obligat iuſtitia propriè accepta. Ita Nauar. de orat. cap. 11. num. 13. Suar. lib. 4. cap. 28. núm. 15. Macig. cap. 14. num. 6. & Bonac. diſp. 1. q. 6. p. 2.

QVÆSTIO CCXXXII.

Quæſtio ergo tantùm eſt, de clerico habente ad id ſufficiens beneficium.

ET certè loquendo de beneficiato, qui tenetur in choro aſſiſtere officio, non video quomodo poſſit excuſari à culpa graui, ſi neque in choro, neque extra chorum dicit officium, ſaltem illo modo, ſi aliter dicere non poteſt. Immò qui illo modo non poſſet extra chorum dicere, peccaret mortaliter omittendo chorum, quia non implet obligationem ſuam abſque legitimo impedimento, vt ſupponitur.

QVÆSTIO CC XXXIII.

Totum igitur controuerſiæ diſſidium eſt, de beneficiato, qui non tenetur choro aſſiſtere.

NAVAR. de oratione cap. 10. nu. 13. Rodriq. p. 1. cap. 145. n. 1. Arag. 2. 2. q. 83. ar. 12. Valent. 2. 2. d. 6. q. 2. p. 10. Azor. lib. 10. cap. 13. quæſt. 3. & 6. & Vega tom. 1. cap. 128. caſu 16. affirmant teneri hunc conducere ſocium, vt adimpleat onus beneficij, dum illud per ſe ipſum non poteſt adimplere: fructus

ctus enim beneficij percipit, vt onus officij perſoluat, qui autem tenetur ad finem, obligatur etiam ad media ad illum conducentia.

At verò Henriqu. & alij apud Garz. 3. p. de benef. n. 114. abſolutè docent non teneri, quia iſta eſt diligentia extraordinaria, & de ſe ſatis onerosa, ad quam non videtur obligare generale præceptum.

Mihi tamen videtur has opiniones ſic poſſe concordari, vt prima procedat in eo, qui antea conſueuerat ſocium adhibere, nam cùm ſolitus eſſet antea cum ſocio recitare, non debet poſtea cum eo nolle recitare, ex eo quòd per ſe iam recitare non poſſit, niſi fortè iſte antea haberet ſocium gratis, & ſine expenſis, & poſtea eum non inueniret ſine ſtipendio, & expenſis, nam non videtur cogendus eum cum ſtipendio de nouo accipere. Secunda verò in eo, qui antea non ſolebat cum ſocio recitare. Sic Garz. 3. p. c. 1. n. 215. Leſſ. lib. 2. cap. 37. dub. 9. num. 54.

QVÆSTIO CCXXXIV.

An cæcus excuſetur ab aſſiſtentia in choro.

RESPONDEO non excuſari, ſi aliud impedimentum non habet; & ratio eſt, quia ad illam tenetur ex vi ſui beneficij, & illam poteſt facilè exhibere, recitando cum ſuo choro, & attendendo ad ea, quæ ab alio choro dicuntur: quòd ſi fortaſſe non potuerit officium cum ſuo choro recitare, vel ob defectum memoriæ, vel quia alios canentes non audit, ſatisfaciet muneri chori recitando partem,

tem, quam memoria tenet, & quam cum aliis recitare poteſt, nec tenebitur poſtea priuatè recitare, quia per illum non ſtat, ſed facit quod in ipſo eſt, neque ſunt tanta onera illi imponenda. Ita Nauar. de orat. cap. 19 nu. 81 Suar. lib. 4. cap. 27. num. 15. & Carol. Macig. cap. 71. num. 59. vbi ad hanc rem comprobandam refert ſacræ congregationis declarationem.

QVÆSTIO CCXXXV.

Vtrùm cæcus qui ob defectum memoriæ nullam partem precum commodè recitare poteſt, teneatur audire alium omnia dicentem, & cum eo dicere verſus ad ſe pertinentes, vt onus diuini officij impleat.

Respondeo non teneri. Et ratio eſt, quia licèt hoc fieri poſſit, & conſulendum ſit: tamen cùm Eccleſia ſuo generali præcepto ad extraordinariam, & valdè difficilem diligentiam adhibendam non obliget, dicendum eſt, non teneri eo pacto ſocium audire, & cum eo recitare. Ita Tolet. lib. 2. cap. 14. num. 2. Azor. lib. 10. capit. 13. q. 2. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 27. num. 16. Filiuc. tract. 23. cap. 9. q. 4. num. 290. & plerique alij.

QVÆST.

QVÆSTIO CCXXXVI.

An ſurdus iuſtam excuſationem non recitandi habeat.

ET quidem ſi hic ſimul eſt ſurdus,& cæcus, certum eſt eum non teneri ad recitandum, niſi quantum ex memoria iuuari poteſt modo ſupradicto. Quia iſte non poteſt adhibere ſibi ſocium, cùm non poſſit illum audire.

QVÆSTIO CCXXXVII.

Sed dubium eſt, quando eſt tantùm ſurdus, & non cæcus.

RESPONDEO eum ad id teneri. Et ratio eſt,quia hic cùm poſſit legere,poteſt ſolus officium recitare, ac proinde tenebitur, quia ſurditas nullam præbet excuſationis cauſam, cùm præceptum per ſe non obliget ad audiendum, ſed ad dicendum. Ita Suar.lib.4.cap.27.nu.17.Molfeſ. cap.4. num. 31. & Filiuc.cap.9.q.4.

QVÆSTIO CCXXXVII.

An ſurdus qui non poteſt diuinum officium dicere ſine ſocio, teneatur illum adhibere, ſi commodè poſſit habere.

Respondeo non teneri. Et ratio eſt, quia ſurdus non communicat in parte, quæ ab alio dicitur, cùm eam audire nequeat.

Tum quia non poteſt illi reſpondere, cùm nequeat cognoſcere, quando nam ſocius ſuos verſus perfecerit, niſi fortè ſemper reſpiciat ad motum labiorum.

QVÆSTIO CCXXXIX.

Sed quid ſi clericus non ſit omnino ſurdus, ſed ita ſurdaſter, vt nequeat audire ſine magna vociferatione alterius.

Respondeo, nec etiam teneri in hoc caſu adhibere ſocium, etiam ſi alioqui non poſſit ſolus recitare. Et ratio eſt, quia Eccleſia non obligat cum tanto grauamine, nec ad extraordinariam diligentiam. Ita Suar. lib. 4. cap. 28. nu. 12. Filiuc. to. 2. tract. 23. cap. 9. q. 4. Bonacina diſp. 1. qu. 6. p. 3. & multi alij.

QVÆSTIO CCXL.

An ſurdus excuſetur ab aſſiſtentia chori, quando ratione beneficij ad illam tenetur.

Respondeo non excuſari, eo quòd ſit ſurdus, ſi ex eo quod videt, aſſequitur quando canere,

nere, vel ſilere debeat, ſed non ſatisfacere canendo ſolum penſum ſui chori, niſi audiat penſum alterius, vel ſaltem recitet ſubmiſsè ex Breuiario.

Tum quia, tale beneficium principaliter obligat ad aſſiſtentiam, & hanc optimè poteſt exhibere ſurdus.

Tum etiam quia, qui non poteſt ſoluere totum quod debet, ſaltem debet exhibere quod poteſt, hoc autem facit huiuſmodi beneficiarius honorando actionem illam præſentia ſua, & concurrendo ad orationem cum reliquis ſociis, eo modo quo poteſt.

QVÆSTIO CCXLI.

An qui loqui non poteſt, teneatur mentaliter diuinum officium perſoluere.

PALVDANVS in 4. diſtin. 12. qu. 6. §. vlt. affirmat teneri.

Communis tamen opinio habet hunc ad id non obligari. Et ratio eſt, quia Eccleſiæ præceptum de dicendis horis canonicis eſt, vt eas vocaliter ſoluamus, & non ſola mente dicamus, vt cõſtat ex Concilio Baſilienſi ſeſſ. 21. vbi expreſsè iubetur, vt horæ canonicæ non inter dentes, nec in gutture, nec ſyncopatè dicantur; ſed integrè voce pronuncientur. Et ideo ita tenent Nauar. de orat. cap. 11. num. 6. Vaſq. de benef. cap. 4. dub. 12. Bonac. d. 1. q. 6. p. 2. & Suar. lib. 4. cap. 27. n. 11. qui dicit communem.

Hinc, qui in choro deuotè, & attentè audit, & nihil dicit, non ſatisfacit præcepto recitandi.

QVÆSTIO CCXLII.

An defectus Breuiarij ab onere recitandi excuſet.

RESPONDEO excuſare. Et ratio eſt, quia nemo tenetur ad impoſſibile. Ex reg. Impoſſibilium ff. de reg. iuris. Dicere autem totum diuinum officium abſque Breuiario, eſt moraliter loquendo impoſſibile, ergo. Quod eſt certum, quando defectus contingit ſine culpa, vt ſi in itinere illud omiſit, vel fuit ab eo furto ablatum, nec poſtea poteſt alterum emere, puta quia pauper, nec mutuò inuenire, vel eſt inter infideles, vbi Breuiarium neutiquam reperitur, & hic proculdubio ab onere recitandi excuſatur. Et ratio eſt, quia, quod non eſt liberum, & voluntarium, non poteſt eſſe peccatum, vt ex D. Auguſtin. relato in §.1. 15. quæſt. 1. docet D. Thom. 1.2. q.6. Atqui huiuſmodi omiſſio non eſt voluntaria, ergo.

Hinc, qui è domo diſceſſit, nil cogitans de Breuiario, aut rationabiliter iudicans ſe alibi illud reperturum, non peccat, nec tenetur ad reſtitutionem fructuum, ſi poſtea diuinum officium non recitet, eo quòd Breuiarium inuenire non potuerit. Et ratio eſt, quia hic in cauſa non peccauit, vt conſtat, neque peccauit in actuali omiſſione ob impotentiam.

QVÆ

QVÆSTIO CCXLIII.

Tota igitur controuerſia verſatur de eo, qui culpabiliter vel domi reliquit Breuiarium, vel in itinere perdidit, vel quia illud non comparauit ſibi, prout potuit.

RESPONDEO, peccaſſe quidem relinquendo, vel omittendo, vel non emendo, ſed poſtea non peccat in non perſoluendo, quia Breuiarium eiuſmodi nec habet, nec habere commodè poteſt.

Tum quia qui inebriatur, & ob id omittit illo die recitare diuinum officium, quamuis peccauerit in ebrietate, non tamen peccat in omiſſione diuini officij, eo quòd talis omiſſio non fuit ab illo præcogitata, nec modo aliquo voluntaria, & ideo non imputatur illi ad culpam, vt rectè docet Med. 1.2.qu.71.art. 5. concluſ. 5.in reſponſione ad ſecundum. Ita pari modo, qui caret Breuiario, non imputatur illi ad culpam omiſſio diuini officij, niſi quando illa carentia Breuiarij fuit conſultò volita, & ita recitationis omiſſio præuiſa. Ita Suar. lib.4. cap.28.num.7.

QVÆSTIO CCXLIV.

Sed quid ſi malitiosè proiecit Breuiarium in mare, vel in ignem, vt ſe impoſſibilitaret ad recitandum.

Respondeo in hoc caſu toties peccaret mortaliter quoties nō recitaret, quia omnes omiſſiones futurę volūtariæ ſunt, quatenus prę uiſæ moraliter fuerunt, niſi poſtea cū pœniteat talis culpæ, nam ſtante tali ſuppoſitione, eſt impoſſibile officium recitare, & ſi eum de hac proiectione pœniteat, iam ea proiectio non eſt illi voluntaria, & conſequenter nec omiſſio recitandi proueniens ex tali proiectione, ac proinde nōn peccat: tenebitur tamen reſtituere fructus omnium dierum, quibus diuinum officium prætermiſit ex proiectione, vel amiſſione Breuiarij, quia ipſe fuit in cauſa totius damni.

QVÆSTIO CCXLV.

An qui antequam Breuiarium comparet, vel antequam ſciat diuinum officium recitare, ordinem, vel beneficium Eccleſiaſticum ſuſcipit, peccet mortaliter.

Respondeo eum regulariter peccare mortaliter. Et ratio eſt, quia ſe exponit euidenti periculo faciendi contra proprium officium: non tamen poſtea denuo peccat non recitando, quia nec habet Breuiarium, nec habere poteſt, aut quia nondum recitare nouit, aut didicit, nec ſocium ſibi commodè habere poteſt, à quo iuuetur in ipſa recitatione; dummodò quamprimùm diſcere non negligat. Ita Nauar. de orat. cap. 11. n. 20. & 38. Azor. lib. 10. cap. 13. q. 18. Suar. lib. 4. c. 28. n. 6. & Bonac. diſp. 1. q. 6. p. 3.

Dixi notanter, *regulariter*, quia poſſet interdum excuſari à culpa in receptione ordinis, aut beneficij,

vt ſi quis propter neceſſitatem aliquam vrgentem id faceret bona fide,ſperans ſe ſtatim poſt ordinem, vel beneficium habiturum codicem, vel ab aliquo fore iuuandum,maximè quando immineret periculum,vel carendi beneficio, vel non recipiendi ordinem per multũ tempus,ſi illam occaſioné differret.

Hinc peccat mortaliter,qui ſuſcipit officium,vel beneficium, quo indignus eſt, & cuius obligationem implere non poteſt, propter inſcitiam, quam expellere non poteſt, prius quàm in debito munere deficiat. Quare tenetur ſtatim morali diligentia curare,vt addiſcat,ſi ad diſcendum ſit aptus,aut debet beneficium obtentum relinquere, quia eſt beneficio indignus.

QVÆSTIO CCXLVI.

An qui caret Breuiario teneatur recitare, ſi memoria teneat officium.

SOTVS lib. 10.q.5.art.3.dubitat,an qui memoria officium diuinum tenet, id memoriter recitare cogatur. Quia per accidens eſt (inquit) quòd hic ſciat memoriter.

At veriſſima ſententia eſt, eum præcepto,& lege teneri,quia cùm poſſit præceptum implere, eo ipſo debet; nec multum refert,quòd ſit accidentarium, quòd officium memoria teneat, quia ſi per miraculum inueniretur Breuiarium, accidentarium id eſſet, & nihilominus ſtatim teneretur illud recitare: ſic ergo poſtquam contingit hæc memoria retinere officium, videtur planè teneri, quia poteſt, & qui debitor eſt, tenetur ſoluere eo modo quo poteſt,& ſi non poteſt totum officium recitare

reddat ſaltem partẽ, nam ad hoc etiã tenetur, dummodo illa pars aliquam horam integram cõſtituat.

Hinc, qui in caſu poſito non poteſt memoriter totum officium recitare, poteſt tamen integram aliquam horam, tenetur illam recitare: ſi autem pſalmos tantùm ſciat, non autem lectiones, orationem, & capitula, non tenetur. Ratio eſt, quia illi pſalmi vt ſic non ſunt horæ canonicæ, neque diuinum officium, ad quod tantum recitandum clericus tenetur, vt ex mente Nauar. reſoluit Suar. li. 4. c. 27. n. 10.

QVÆSTIO CCXLVII.

Vtrùm occupatio repentina, quæ ſine ſcandalo aut peccato omitti, aut in aliud tempus differri non poteſt, ab obligatione recitandi excuſet.

Respondeo excuſare. Et ratio eſt, quia propter ſimilem cauſam poteſt interdum Miſſa omitti vt conſtat, ergo & officium diuinum.

Tum quia præceptum humanum affirmatiuum non obligat cum tanto rigore, quin eiuſmodi piam interpretationem legis admittat.

Tum demum, quia ex D. Bernardo, quod propter charitatem introductum eſt, non obligat cum eiuſdem charitatis diſpendio. Vt ſi ad recitandum neceſſarium eſſet, omittere concionem cum magna populi offenſione, vel cum infamia Religionis, vel propriæ perſonæ. Item ſi occurrat neceſſitas ſubita horas omittendi ad ſedandum magnum tumultum Reipublicæ, aut neceſſitas habendi publicam prælectionem, & ſimilia.

Dixi

Dixi notanter, *repentina*, id eſt, quæ interdum, & quaſi per occaſionem occurrit, ita vt præuideri non poſſit, quia tunc habet locum dicta excuſatio. Secus quando occupatio frequenter tale impedimentum inducit.

Hinc, ſi clericus aliqua graui occupatione detinetur, tenetur officium anticipatè recitare, ſi occupatio anticipatam recitationem permittit, vt ſi quis ſummo mane præuideat fore, vt toto ſubſequenti tempore confeſſionibus audiendis, vel grauibus negotiis detinendus ſit, tenetur ſummo mane diuinum officium anticipatè perſoluere, quia tunc temporis viget obligatio præcepti, & poteſt adimpleri, ergo adimplendum eſt. Vnde qui negligit occupationem præuenire recitando, ſi cum adeſt occupatio, pœniteat ipſius talis negligentiæ, excuſatur tanquam impotens ad implendum recitandi præceptum.

Hinc, qui habet curam infirmi alicuius grauiter periclitantis, & non poteſt recitare officium abſque graui damno infirmi, non tenetur pro tunc illud dicere.

Hinc, qui ad horas canonicas eſt obligatus, non poteſt voluntariè ſuſcipere munus, cuius exequutio ordinariè impedit recitationem horarum, quia volendo illud, implicitè cenſetur hanc nolle, quod illicitum eſt, vnde debet, vel relinquere beneficium, vel munus, quo ſic impeditur, vel diſpoſitionem à Papa obtinere.

Hinc errant, qui putant propter contemplationem etiam altiſſimam poſſe diuinum officium omitti, quia melior eſt obedientia, quàm victimæ, & contemplatio illa non eſt opus neceſſarium.

opus autem præcepti neceſſarium eſt.

Hinc, qui ob iuſtum impedimentum, diuinum officium recitare non potuit, ad fructuum reſtitutionem non obligatur, quia par non eſt, vt pœnam ſubeat, qui culpam non admiſit.

Dices, grauis occupatio non efficit abſentem à choro participem diſtributionum, ergo neque fructuum capacem reddit omittentem horas canonicas.

Reſpondeo negando conſequentiam. Ratio negationis eſt, quia in primo caſu conſtat Eccleſiam nolle illum participem diſtributionum efficere, cap. vnico de cler. non reſidentibus. In ſecundo verò caſu, contrarium ex benigna Eccleſiæ voluntate præſumi.

QVÆSTIO CCXLVIII.

An neceſſarium ſit, obligationem illam charitatis tantam eſſe, vt ſit graue peccatum actionem ita neceſſariam prætermittere, etiam propter dicendum officium.

SYLVESTER egregius Thomiſta, paritérque in iure peritiſſimus, verb. hora. numer. 18. cenſet hoc eſſe neceſſarium. Et probat, quia cùm præceptum recitandi horas canonicas obliget ſub mortali, non poteſt propter aliam actionem omitti, niſi quando aliud præceptum grauius ſub maiori caſu obliget, ita vt tunc occurrat veluti perplexitas, & concurſus duorum præceptorum, in qua perplexitate

plexitate minus malum eſt eligendum.

Sed verius, ac probabilius multò eſt, dicere hoc non eſſe ſemper neceſſarium, nam interdum ceſſat hæc obligatio recitandi, non ſolùm propter vitandum peccatum, ſed etiam propter vitandum incommodum, vel proprium, vel proximi. Vt ſi ſcholaris velit publicam diſputationem per integrum diem habere, & ſimul non poſſit officium recitare, non tenetur diſputationem dimittere; etiamſi abſque peccato poſſit.

Idem eſt de Doctore, qui in concurſu cathedræ publicam habiturus eſt prælectionem, & non poteſt ſimul dicere horas canonicas. Propria ergo ratio huius excuſationis non eſt perplexitas, vel concurſus præceptorum, ſed eſt, quia præceptum humanum non cenſetur obligare cum notabili animæ, vel corporis, aut rerum externarum detrimento.

QVÆSTIO CCXLIX.

An is qui in choro occupatur in quærendo pſalmos, antiphonas, lectiones, reſponſoria, aut in libros neceſſarios transferendo ab vno loco in alium, aut in quærendo prunas ad thurificandum, aut in thurificando tempore Magnificat, & Benedictus, aut in pulſando organa, vel in aliis ſimilibus, & ob id impeditur, quominus

horas Canonicas recitare queat, iuſtam excuſationem habeat.

RESPONDEO habere. Et ratio eſt, quia chorus, cui miniſterio ſeruit, tam ſuo, quàm aliorum miniſtrantium nomine recitat. Ita Nauar. de oratione cap.11.n. 36. Quod arbitror eſſe veriſſimum, in caſu, quo ante officium diuinum hæc commodè præparari non potuerunt, aut poſtea ea fecit is, qui non tenebatur illa præparare, eo quòd parata non ſint ab alio ad id obligato, quandoquidem turpitudo ſua nemini prodeſſe debet, & non prouidere quod oportet, peccatum eſt imprudentiæ, vt docet D.Tho.1.2.q.49. art.6. quia tunc teneretur ſupplere poſtea totum id quod omittit recitare, dum prouidebat.

QVÆSTIO CCL.

An metus mortis iuſtam diuini officij excuſationem præbeat. Vt ſi clericus tranſiturus eſt per medium hæreticorum, quòd ſi horas canonicas recitat, & deprehendatur, in certum, & euidens vitæ diſcrimen ſe exponit.

RESPONDEO per ſe loquendo præbere. Ratio eſt, quia ſicut ſimilis metus excuſat à ieiunio, & ab auditione Miſſæ, ita & à recitatione diuini officij.

Tum

Tum etiam quia lex eccleſiaſtica non obligat cum tanto rigore.

Dixi, *per ſe loquendo*, quia per accidens poteſt non excuſare, vt ſi in Religionis Chriſtianæ odium, aut præcepti contemptum, talis recitationis violatio fieret. Ratio eſt, quia fidei confeſſio in tali caſu eſt de præcepto diuino non obſtante periculo mortis.

Tum quia bonum Religionis eſt bonum commune, quod eſt præferēdum bono corporalis vitæ.

QVÆSTIO CCLI.

An qui omnino inuitus preces horarias perſoluit, Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat.

RESPONDEO non ſatis facere. Et ratio eſt, quia vbi eſt ea coactio, deficit voluntas recitandi horas. Ita Suar. 3. tom. in 3. p. q. 83. art. 6. diſp. 88. Azor. lib. 7. cap. 2. q. 6. & lib. 10. cap. 12. q. 9.

Hinc, qui omnino inuitus abſtracto ſibi cibo, ieiunat, Eccleſiæ præceptum de ieiunando non implet, quia deeſt voluntas, & actio humana, ac proinde id non eſt ieiunare. Ita Sot. lib. 2. q. 3. art. 9. & Medina 1. 2. q. 100. art. 9.

QVÆSTIO CCLII.

An in excommunicationem incurrat latam in non recitantem officium, qui illud omnino inuitus implet.

RESPON

RESPONDEO hunc in excommunicationem incurrere. Et ratio eſt, quia verè hic actu humano diuinum officium non ſoluit.

QVÆSTIO CCLIII.

An, qui omnino inuitus debitum pecuniarium ſoluit, in excommunicationem latam contra non ſoluentes incidat.

RESPONDEO, non incidere. Et ratio eſt, quia in hoc caſu excommunicatio ſolam externam ſolutionem intendit, ne creditor debito fraudetur.

Hinc non eſt audiendus D. Anton. 2. p. cap. 10. §. 2. qui ait famulos qui quaſi coacti, gratia comitandi dominum, Miſſæ ſacrificio interſunt, aliàs non audituri, non ſatisfacere præcepto. Quia dicendum eſt, eos ſatisfacere Eccleſiæ præcepto, ſi illud attentè audiant, quamuis dum audiunt, actualem non audiendi voluntatem habeant, niſi ratione domini, quia cùm ibi vincti non detineantur, non eſt ea coactio præciſa, quæ ſola præcepti impletionem impedit, & illa actualis voluntas conditionalis ſolùm efficit, vt peccent mortaliter, quia tenentur abſolutam audiendi ſacrum voluntatem habere.

QVÆSTIO CCLIV.

An qui ſua voluntate in irregularitatem incurrit, vel ob delictum ſuum excommunicatione,

nicatione, ſuſpenſione, vel interdicto feritur, & ob id, vel ob aliud crimen beneficij fructus non percipit, ab onere recitandi diuinum officium excuſetur.

ET quidem certum eſt, hunc non teneri ad reſtitutionem fructuum. Et ratio eſt, quia Bulla Pij V. ſolùm obligat ad reſtituendum fructus perceptos: hic autem, vt ſuppono, nullos fructus percipit, ergo.

QVÆSTIO CCLV.

Sed quod in dubium vertitur eſt, An excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum iuſtam excuſationem non recitandi diuinum officium præbeant.

RESPONDEO minimè. Et ratio eſt, quia nemo ex improbitate ſua debet reportare commodum.

Tum quia de tali verè dicitur, ſtare per ipſum, quominus recipiat fructus beneficij.

Tum quia inducta in odium, non debent retorqueri in fauorem, de Reg. iuris in 6. Vnde quando quis priuatur nobilitate propter delictum, reputatur tãtùm nobilis in oneroſis, vt notat Bart. in l.1. C.de infamia.lib.10. Et ideo tenentur ad illa quæ ſunt oneris, licèt illis priuentur quæ ſunt honoris: Et ſic cenſura tantùm priuat recitatine hora-

rum

tum honorifica,qualis eſt,quæ fit in choro vnà cum aliis, non autem recitatione oneroſa, qualis eſt recitatio priuata.

Tum quia cenſura non tollit ordinem Sacrùm, nec beneficium, nec profeſſionem Religionis,ergo nec ab eorum onerjbus eximit. Etidem debet dici, ſi ſit depoſitus, & actualiter degradatus ab ordine, cùm character, quem habet, ſit indelebilis, vt rectè docet Nauarrus de oratione capite 7. numero 14.

QVÆSTIO CCLVI.

An ignorantia huius præcepti excuſet à recitando.

RESPONDEO, regulariter non excuſare. Et ratio eſt, quia præceptum iſtud eſt tam notum, vt non poſſit inuincibiliter ignorari.

Dixi notanter, *regulariter*, quia interdum poteſt hæc ignorantia inuincibilis eſſe in puero habente penſionem, vel præbendam; quando per ſe non poteſt ſui ſtatus obligationem agnoſcere: nec in cogitationem eius venit, nec ab illis inſtruitur, qui eum docere tenentur.

QVÆSTIO CCLVII.

An naturalis obliuio, ſeu inaduertentia iuſtam diuini officij excuſationem præbeat?

RESPONDEO

RESPONDEO præbere. Et ratio eſt, quia obliuio naturalis comparatur ignorantiæ inuincibili, modò præuiſa non fuerit, & tamen non fuerit impedita, nã qui aliquoties expertus eſt, ſolere ſe obliuiſci alicuius horæ, quando conſueto tempore illam non recitat, tenetur vel recitationem præuenire, vel ſignum aliquod adhibere, quo memoria excitetur. Ita Suar. libro 4. cap. 28. numero 4. Macig. cap. 18. numero 9. & Bonacin. diſput. 1. quæſt. 6. punct. 3.

QVÆSTIO CCLVIII.

An qui ſolùm ratione beneficij tenetur dicere officium, & tamen neque per ſe, neque per alterum, neque præſenti tempore, neque futuro eſt percepturus beneficij fructus, nec per ipſum ſtat quominus recipiat, iuſtam excuſationem non recitandi habeat.

RESPONDEO habere. Et ratio eſt, quia tunc penitus ceſſat ratio obligationis, cùm nullos omninò prouentus Eccleſiaſticos habeat, qui dari ſolent ad ſubeunda beneficij munera.

Tum quia par non eſt, vt is incommodum ſentiat, qui commodum, & fructum non percipit. Quod non ſolùm locum habet in beneficio, quod nullos vnquam prouentus habuit, verùm etiam militat in beneficio, quod aliàs habuit, ſed modò iniuria temporum, aliáque de cauſa nullos fert

fructus,licèt enim hoc dici poſſit beneficium nomine ,actu tamen non videtur veram beneficij rationem habere, cùm beneficium ſit ius percipiendi fructus ex bonis Eccleſiæ.

Dixi notanter,*ratione beneficij* , quia ratione ordinis ſacri tenetur ad diuinum officium recitandum.Ita Suar. lib.4.cap.28.Azor. lib.10.cap.14.q.6.Tolet. lib.2.cap.:4.Leſſ.lib.1.cap.34.num.168, Garz.de benef.3.p.cap.1.num.44.& Bonac. diſp.1. quæſt.6.p.3.

QVÆSTIO CCLIX.

An qui tenuiſſimum beneficium poſſidet, vt putà non excedens quantitatem octo ducatorum, iuſtam excuſationem non recitandi habeat.

Magister Sotus libro 10.q.5.ar.3. affirmat, quia nemo tenetur ad tantum onus,pro tam exiguo ſtipendio.

Nauar.de oratione cap.7.num.27.& cap. 11. nu. 11.Suar.lib.4.cap.21.num.3.& 9.Valent.2.2.d.6.q. 2.p. 10. Azor. lib. 10. cap.3. q.3. Reginald.lib.30. cap.4.num. 34.& plerique alij negant. Et ratio eſt, quia beneficium perexiguum , quoad ſubſtantiam, eſt verè, & propriè beneficium,ergo qui illud poſſidet,ad officium diuinum tenetur. Antecedens cōſtat ex cap.is , cui. de præbend. in 6. conſequentia verò probatur , nam beneficium eccleſiaſticum , vt dicitur in cap.vlt.de reſcriptis,propter officium diuinum confertur.

Tum

Tum quia, qui beneficium habet, quamuis perexiguum, cæteris beneficiariorum priuilegiis gaudet, & ſubiacet pœnis contra beneficiarios impoſitis, ergo etiam afficitur onere diuini officij.

At verò Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 34. dub. 31. num. 169. & Filiucius to. 2. de Chriſtianis officiis tract. 23. cap. 5. nu. 183. cenſent opinionem Soti eſſe veram circa totum officium, nimirum non teneri talem beneficiarium recitare totum officium. Nauarri verò circa partem teneri ſcil. talem beneficiatum recitare aliquam partem officij pro maiori, minoríve ſtipendij quantitate. Quæ verò pars recitanda ſit, arbitrio prudentis, & timorati viri relinquitur.

Profectò quamuis omnes iſtæ opiniones mihi ſatis probabiles eſſe videātur, ſecunda quæ eſt Nauarri, mihi magis placet, tum quia verior, tum quia plurium & grauiorum authorum conſenſu, & teſtimonio comprobata, & ſatis firma ratione fulta.

QVÆSTIO CCLX.

An Romani Pontificis priuilegio, poſſit clericus in ſacris conſtitutus, abſolui à lege horas canonicas recitandi.

Angelvs verbo hora num. 6. & Roſella ibidem negant. Quia putant iuris eſſe diuini, vt ſæpius clericus oret quotidie iuxta illud pſalmi 118. Septies in die laudem dixi tibi, &c. Et ideo non poſſe Romanum Pontificem eiuſmodi lege li-

berare quamuis indulgere poſſit, vt hoc, vel illo vtatur modo precandi.

Sed cæteri communi conſenſu affirmant, id non eſſe iuris diuini, ſed eccleſiaſtici, ac proinde poſſe clericum Romani Pontificis authoritate ab onere recitandi ſimpliciter abſolui, ita vt nihil compenſare teneatur. Sic Nauar. de oratione cap. 11. numero 31. Tolet. lib. 2. cap. 14. numero 6. Suar. libro 4. cap. 28. numero 38. & Bonacin. diſp. 1. quæſtio. 6. punct. 3.

QVÆSTIO CCLXI.

An clericus beneficiatus poſſit Romani Pontificis authoritate à lege horas canonicas recitandi liberari.

Et quidem certum eſt apud omnes, poſſe ſummum Pontificem tollere obligationem determinatè recitandi horas canonicas, non tamen per modum puræ diſpenſationis, ſed per modum commutationis in aliquid æquiualens. Quia determinatio ad talem modum recitandi eſt ex præcepto eccleſiaſtico, & ideo poteſt à Pontifice tolli.

QVÆSTIO CCLXII.

Tota igitur lis eſt, An Romanus Pontifex poſsit ſua authoritate beneficiarium à lege recitandi horas canonicas abſolutè diſpenſare, ita vt nihil compenſare teneatur.

Pa

PANORM. in capite 1. de celebrat. Miſſar. Angel. verb. hora quæſt. 6. Roſella ibidem numero 13. & Turrecremata in cap. Eleutherius diſt. 91. quæſt. 5. abſolutè negant. Quia beneficiarius naturali iure cogitur horarum penſum ſoluere; nam beneficium propter officium datur, ergo ea conditione & lege clericus beneficium habet, vt eccleſiaſticum perſoluat officium; & hæc lex eſt iuſtitiæ, in qua Pontifex diſpenſare non poteſt.

Verùm contraria ſententia eſt communis; & certa, nam quamuis beneficium detur propter officium, tamen hoc ipſum eſt de iure eccleſiaſtico, poſſet enim beneficium inſtitui propter alia munera, vt ob onus miniſtrandi Sacramenta in Parocho, intuitu paupertatis, & ſtudij in præſtimoniario, & ſimilibus; ergo in hoc poteſt Pontifex de plenitudine poteſtatis cum legitima cauſa in toto vel in parte diſpenſare. Ita Syluester verb. hora quæſt. 8. Tabiena ibidem quæſt. 15. Armilla num. 11. Nauar. de orat. cap. 11. num. 31. Arag. 2. 2. quæſt. 83. artic. 12. Tolet. lib. 2. cap. 14. numero 6. & plerique alij.

Dixi notanter, *cum legitima cauſa*, quia ſi Papa in hoc abſque legitima cauſa diſpenſat, peccat, & is cum quo diſpenſatur, & petendo, & vtendo illa, ſi conſcius ſit defectus cauſæ. At diſpenſatio erit valida, quia non excedit limites iuris humani. Bonacina diſp. 1. quæſt. 6. punct. 3. & Tolet. lib. 2. cap. 14. num. 6.

QVÆSTIO CCLXIII.

An ſi Romanus Pontifex conferat infanti aliquod beneficium ſimplex, eo ipſo cenſeatur eum ab onere recitandi eximere.

RESPONDEO, ſi Pontifex beneficium conferat ei, quem ſcit per ætatem non poſſe horas canonicas recitare, vel neſcire legere, eo ipſo cenſetur cum eo in recitatione diſpenſare, donec legitimam ætatem ad recitandum habeat. Si verò conferat beneficium ei, quem putat eſſe ea ætate, in qua & ſciat legere, & poſſit horas canonicas recitare, diſpenſans cum eo in ætate non eſt cenſendus conſequenter in horarum recitatione diſpenſare: Quoniam plus eſt ſolui aliquem à duabus legibus, & duobus vinculis, quàm ſolui ab vna lege, & vno vinculo. Ita Azor. lib. 10. cap. 13. quæſt. 12. Suar. lib. 4. cap. 28. numer. 37. Molſeſ. in ſumma tract. 5. cap. 4. numer. 13. & Reginal. lib. 18. numero 192.

QVÆSTIO CCLXIV.

An Epiſcopus poſſit propriè in præcepto recitandi horas canonicas diſpenſare.

RESPONDEO, Epiſcopum non poſſe diſpenſare propriè loquendo, neque cum clerico beneficia

ficiario, neque in ſacris. Ratio eſt, quia Epiſcopus non poteſt in iure communi diſpenſare, niſi in caſibus, qui ei, vel iure ipſo, vel conſuetudine, vel præſcriptione permittuntur: hoc autem ius commune eſt, & in eo nihil ſpecie conceſſum eſt Epiſcopis.

Dixi notanter, *propriè loquendo*, quia quando clericus beneficiatus dubius eſt, ſufficienſne ſit cauſa, quam habet non recitandi, poteſt rationabiliter eccleſiaſticum præceptum interpretando, licentiam ei dare omittendi, perinde ac dat laborandi in die feſto, aut non ieiunandi in die ieiunij, & ſimilibus. Hoc autem potius eſt per modum interpretationis, quàm diſpenſationis.

Hinc, ſi Epiſcopus propriè, & iure ordinario diſpenſet, vt aliquis ad recitandum diuinum officium non teneatur, diſpenſatio eſt nulla, & concedens, ac petens peccant mortaliter, illáque vtens, neque à legis tranſgreſſione excuſat.

Idem quod dixi de Epiſcopo quoad ſuos clericos, intelligitur etiam de Prælatis Regularibus, & de Abbatiſſa quoad ſubditos ſuos, & moniales. Ita doctiſſimus Nauar. de oratione cap. 11. numer. 25. & Bonacina de horis canonicis diſp. 1. quæſt. 6 p. 3.

QVÆSTIO CCLXV.

An qui dubitat, an diuinum officium dixerit, teneatur illud repetere.

RESPONDEO teneri. Et ratio eſt, quia poſſeſſio ſtat pro præcepto.

Tum quia recitatio eſt quid facti: factum autem non præſumitur, niſi probetur. Nauar. de oratione cap. 20. numer. 30. Quod eſt verum, niſi ex probabili coniectura, vel ratione credat ſe illud dixiſſe, quia tunc non tenetur iterum recitare. Bonac. d. 1. quæſt. 6. punct. 3. Nald. verb. diuinum officium, & alij communiter.

QVÆSTIO CCLXVI.

An qui diuinum officium perſoluit, ſed propter mentis euagationem, eſt anceps, an hymnum, vel pſalmum omiſerit, teneatur hymnum illum, vel pſalmum iterum recitare.

RESPONDEO non teneri. Et ratio eſt, quia adeſt probabilis ratio deponendi dubium, cùm non facilè ſoleat quidquam prætermittere: ſicut non tenetur iterum confiteri peccatum qui nõ recordatur, ſe illud confeſſum fuiſſe, dummodo ſufficientem coniecturam habeat quòd fuerit illud confeſſus.

Hinc, qui recordatur ſe incepiſſe horã, vel pſalmum, & non attendens ad finem venit, legendo illa in libro, vel memoriter recitando ea, in quibus communiter errare non ſolet, poteſt probabiliter credere, ſe totum dixiſſe, ſi in principio habuit propoſitum ſaltem virtuale attendendi, licèt extranea meditatus fuerit, & animaduertens méntis euagationem,

tionem, procurauerit ſe colligere. Ita Nauar. de oratione cap.13.num.30.& alij.

QVÆSTIO CCLXVII.

An qui diuinum officium perſoluit, & propter ſcrupulum timet, ac putat ſe non ſatisfacere, ideóque proponit recitatum repetere, teneatur iterum recitare, ſi poſtmodum rationabiliter credat ſe ſatisfeciſſe.

RESPONDEO non teneri. Et ratio eſt, quia illud propoſitum denuo recitandi fundabatur in falſa opinione, nec tollebat intentionem virtualem ſatisfaciendi obligationi, & ideo habet locum regula, quòd veritas debet præualere opinioni, quando videlicet opinio non cum voluntate, ſed cum rei veritate pugnare videtur, vt in caſu poſito contingit.

QVÆSTIO CCLXVIII.

An qui hodie ob iuſtum impedimentum penſum horarum prætermiſit, teneatur cras illud ſupplere.

RESPONDEO non teneri. Et ratio eſt, quia onus perſoluendi officium eſt officium diei, in

honorem, & cultum ſingularum dierum, obligatio autem affixa diei, tranſit cum ipſo die, vt patet de ieiunio, de Miſſa in die feſto audienda; &c. Vnde ſicut qui non audit Miſſam in die feſto, & non ieiunat in vigilia Apoſtolorum, ita peccat mortaliter, vt quantumcunque duas, vel tres Miſſas audiat alio die, vel bis, aut ter ieiunet alio tempore, non ſatisfaciat obligationi prætenſæ, ita qui diuinum officium omittit vno die, non ſatisfacit recitando bis, aut ter in alio die. Et ratio huius eſt, quia hæc omnia ſunt inſtituta ob ſingularum dierum honorem, & cultum, ergo exacto die quæcunque lex quotidiani eius oneris ſoluendi extinguitur, ac proinde non ampliùs reuiuiſcit. Et ideò ita tenent D. Thom. quodlib. 3. artic. 29. Nauar. libro 11. de oratione capite 11. numero 32. Valent. 2. 2. d. 6. quæſt. 2. p. 10. Azor. libro 10. cap. 13. quæſt. 7. Suar. libro 4. cap. 28. numer. 11. Bonac. d. 1. quæſt. 6. p. 1. & alij.

QVÆSTIO CCLXIX.

An qui diuinum officium non recitauit, teneatur in ſatisfactionem totum officium omiſſum repetere, & hoc ſit ei à confeſſario iniungendum.

RESPONDEO, eum ad id non teneri, nec eſſe neceſſarium vt id à cõfeſſario in pœnitentiã imponatur, ſed iuxta grauitatem peccati poſſe iniungi aliam pœnitentiam arbitrariam in quocunque gene

genere operis. Et ratio eſt, quia nulla eſt lex, quæ aliam obligationem imponat, aliàs ſequeretur non audienti Miſſam in die feſto, iniungendam eſſe nouam Miſſæ auditionem,& non ieiunanti in die de præcepto nouum ieiunium imponendum eſſe, quod vſu receptum non eſt.

QVÆSTIO CCLXX.

An recitatio quæ eſt peccatum ob indebitam loci aut temporis aut finis circunſtantiam appoſitam, ſit reiteranda.

ADRIAN.in 4.vbi de confeſſ.queſtio.5.dub.4. D.Anton.2.p.tit.9.cap.10.§.2.Maior in 4.diſtinct.15.quæſtio. 3. Et Carthuſ. in 1. diſtinct.17. quæſt.2.affirmant, quia per eam non ſatisfit Eccleſiæ præcepto, ergo eſt iteranda. Conſequentia eſt per ſe nota.Antecedens verò probatur, quia Eccleſia in præceptis ſuis nunquam obligat ad actum malum,cùm igitur illa horarum recitatio ſit actus malus,non eſt de his,quæ ſub præcepto cadunt, & ideo per illam non ſatisfit præcepto.

Contrarium tamen eſt proculdubio affirmandum.Ducor, quia iuxta D.Thom.1.2. q.100. ar.9. & 10. leges præcipiunt ſubſtantiam actus, non modum, niſi modus ſit de intrinſeca actus ratione ſecundùm ſe, aut prout ſub lege cadit, vt attentio aliqua eſt de orationis eſſentia. Cùm ergo, quantumcunque circunſtantia loci, aut tem

temporis, aut finis ſit mala, impleatur ſubſtantia actus præcepti,v.g.recitatio officij,ſatisfiet illi præcepto, etſi contra aliud peccetur, cui mala illa circunſtantia opponitur.

Tum quia poſſumus præceptis Dei, & naturæ ſatisfacere per actus peccaminoſos, ita vt non teneamur reiterare factum, ergo & præceptis Eccleſiæ. Conſequentia per ſe conſtat. Antecedens verò probatur, nam ius diuinum, & naturale iubet, vt ſoluamus quod alteri debemus, ſi ergo nos debemus alteri centum aureos, & eos illi reſtituimus,& reſtitutioni indebitam circunſtantiam apponamus, quæ reſtitutionem vitiet,certè nos ſatisfacimus debito,ita vt non teneamur iterum illud reſtituere.

Deinde iure diuino tenemur baptiſmum ſuſcipere,& tamen ſi ſemel illum ſuſcipimus ,etiamſi ipſa ſuſceptio per aliquam circunſtantiam malam deprauetur ,ſatisfacimus præcepto, ita vt non teneamur iterare baptiſmum.

Demum, qui die ab Eccleſia ſtatuto ieiunat, etiamſi per hoc inanem gloriam intendat, ſatisfacit præcepto de ieiunando, ita vt non oporteat iterum ieiunare. Et ideo ita tenent Sotus lib.2.de iuſt. quæſt.3.art.9.& libro 10.quæſtio.5.artic. 5. Nauar. in Man.cap.21.numer.7.Azor.libro 7.cap.6.quęſt. 1.& plerique alij,qui addunt, quòd licèt quis peccet mortaliter, vel venialiter, dicendo verſiculum vnum vel pſalmum, vel aliquam partem Miſſæ, non ob id recitatio totius horæ, aut totius Miſſæ, erit peccaminoſa, & nullius meriti, ſed ſolùm recitatio mala illius partis.

Et ad fundamentum Adriani, ſcil. quòd Eccleſia nunquam præcipit actum malum, fateor de actu in ſe,

in ſe,&de ſe malo,quia quod eſt intrinſecè malum, ſub præcepto non cadit. Attamen illud quòd non ſic malum eſt, bene cadit ſub præcepto, quamuis accidat ab extrinſeco per aliquam circunſtantiam vitiari,& tamen illud agendo, quod iuſſum eſt, ſatisfit præcepto, ita vt non teneamur reiterare factum,quamuis de malitia per nos appoſita teneamur pœnitere.

QVÆSTIO CCLXXI.

An qui ad diuinum officium obligatur, ſuo muneri ſatisfaciat,ſi alicui mandet vt pro ſe illud dicat.

Respondeo, non ſatisfacere. Et ratio eſt, quia obligatio dicẽdi officium eſt perſonalis, id eſt, perſonis ipſis,quæ ad ordinem ſacrum, aut beneficium promoti ſunt, iniuncta, ac proinde niſi per ſeipſos illud perſoluant, ſuæ obligationi non ſatisfaciunt.

QVÆSTIO CCLXXII.

An clerici ſacris ordinibus initiati, vel beneficiarij, aut Religioſi profeſſi horas canonicas prætermittentes, cenſuram, aut aliquam aliam ſpiritualem pœnam ipſo facto incurrant.

Respondeo non incurrere, nullibi enim in iure canonico talis pœna reperitur, neque etiam inuenitur circa hoc aliqua vniuerſalis conſuetudo, & ideo nullus Doctorum talis pœnæ mentionem fecit.

QVÆSTIO CCLXXIII.

An clerici in ſacris conſtituti nullum tamen beneficium habentes, ad aliquam reſtitutionem teneantur, ſi diuinum officium prætermittunt.

Respondeo non teneri. Et ratio eſt, quia hi nullos fructus percipiunt ob onus recitandi officium, ergo ſi illud prætermittunt, ad nullam reſtitutionem fructuum tenentur, par enim nõ eſt, vt qui ex recitatione diuini officij nullum ſentit commodum, illius omiſſione ſentiat incommodum. Tum quia Concilium Lateran. & Bulla Pij V. ſolùm loquuntur de habentibus beneficium tam curatum, quàm ſimplex, vel penſionem titulo clericali.

QVÆSTIO CCLXXIV.

An beneficiarius qui in peccato mortali diuinum officium perſoluit, ad reſtitutionem fructuum teneatur.

Adria

ADRIANVS in 4. in materia de reſtitutione, abſolutè aſſerit hunc ad reſtitutionem teneri, quia putat eum Eccleſiæ præcepto non ſatisfacere, cùm illa recitatio ſic facta non ſit fructuoſa Eccleſiæ.

Angelus verbo clericus 8.quæſt.5.diſtinguit in hunc modum; aut lethale peccatum eſt notorium, aut occultum. Si primum, tenetur reſtituere, quia peccatum notorium inducit ſuſpenſionem ab officio,& beneficio, ſuſpenſus autem ab officio,& beneficio, fructus non facit ſuos. Si ſecundum, non cogitur fructus reſtituere, quia non inducit ſuſpenſionem.

Communis tamèn opinio habet abſolutè, & in vniuerſum hunc ad reſtitutionem fructuum non teneri,& hoc ſiue peccatum ſit occultum, ſiue publicum. Et ratio eſt,quia id nullo iure cauetur, vt fructus amittat beneficiarius, qui turpiter viuit, dummodo officium ſuum impleat.

Tum quia hic, quamuis ſit in peccato mortali, nihilominus implet Eccleſiæ præceptum, ſub quo non cadit vt oratio, vt eſt opus operantis, ſit fructuoſa,& ita ſufficit,quòd opus illud ſecundùm ſe placeat Deo, licèt particularis perſona ob ſua demerita illi diſpliceat, & ſic non tenetur reſtituere fructus.

Tandem eſt concluſio definita in §. ſtatuimus, vbi decernitur, beneficiarium qui ſuas horas recitare omittit,non teneri ad reſtituendum fructus, quos primis ſex menſibus à die obtenti beneficij obtinuit. Certum eſt autem illum in peccato mortali notorio fuiſſe, ſi notoriè omiſit, & ſi occultè, in occulto. Et ideo ita tenent Nauar. capite 7. nu.35.

numer.35.Sot.lib.10.q.5.ar.6.Petr.Nauar.lib.2.de reſtit.cap.2.nu.205.Suar.lib.4.cap.30.nu.15.Emm. Sa verb.horæ nu.18.& alij.

QVÆSTIO CCLXXV.

Vtrùm beneficiarius qui ſcienter diuinum officium prætermittit, iure diuino, & naturali ad fructuum reſtitutionem teneatur.

ALexand.Alenſ.3.p.q.36.ar.2.Ang. verb.hora n.11.Sotus lib.10.q.5.ar.6.Petr. Nauar.lib. 2.c.2.n.216 Arag.2.2.q.83.ar.13.Valent.2.2.d. 6.q. 2.p.10.& Gab.Vaſq.tom.2.diſp.168.num.33. affirmant eum iure diuino,& naturali ad reſtituendum compelli. Et probant, quia quando aliquid datur ob cauſam,ea non ſequuta,illud iure diuino,& naturali repeti poteſt, ſed beneficium datur propter officium,ergo eo non dicto,fructus iure naturæ reſtituendi ſunt.

Cæterum,quamuis hæc ſententia ſit ſatis probabilis, probabiliorem tamen exiſtimo contrariam. Ducor,quia obligatio reſtituendi ex natura rei ſolùm naſcitur ex peccato contra iuſtitiam commutatiuam,beneficiatus autem omittens diuinum officium ex natura rei non peccat contra iuſtitiam commutatiuam,ſed ſolùm contra obedientiam Eccleſiæ vel contra Religionem, ad quam pertinet præceptum orandi: ergo iure naturæ non tenetur fructus reſtituere.

Tum quia, ſi iure naturali, & diuino ad id tene-

teneretur, etiam primis ſex menſibus omittens officium teneretur illos reſtituere: ſed hoc eſt falſum, vt conſtat ex Concilio Lateranenſi, in illis verbis. *Poſt ſex menſes*, &c. ergo. Et ideo ita docent Nauar. de orat. cap. 7. num. 31 Syluest. verb. Clericus 4. quæſt. 23. num. 16. Azor. lib. 10. cap. 3. & 4. vlt. quæſt. & cap. 13. qu. 9. & c. 14. q. 1. & multi alij.

Et ad argumentum contrariæ opinionis reſpondeo, quòd licèt beneficium detur propter officium, non tamen datur ſub conditione officij, ſed ſub modo & onere, vnde modo, & onere non ſeruato, adhuc fructus ſunt beneficiati, ratione tituli, quem habet in beneficio. Vnde illa regula, quòd datum ob cauſam cauſa non ſequuta repeti poteſt, non procedit in eo quod datur ob cauſam perpetuam, & ſucceſſiuam, id eſt, cum onere perpetuo & ſucceſſiuo, vt in caſu noſtro maximè quòd obligatio recitandi, quam habet beneficiatus, ſicut illa, quam habet in ſacris conſtitutus, non eſt iuſtitiæ, ſed Religionis ex præcepto Eccleſiæ, vt docet Nauar. vbi ſuprà.

QVÆSTIO CCLXXVI.

Vtrùm beneficiarius ſcienter horas canonicas prætermittens teneatur de iure communi canonico, & antiquo ad reſtitutionem fructuum.

SOTVS gloria Thomiſtarum lib. 10. qu. 5. art. 6. Couar. lib. 3. var. reſolut. cap. 13. & Graff. lib. 2. decis. c. 50. affirmant.

Alij verò rectiùs docent, attento iure communi canonico & antiquo beneficiatium non cogi ipſo facto reſtituere fructus beneficij, niſi poſt iudicis condemnationem, quia nullum extat ius antiquum ad hoc obligans. Ita Syluest. verb. clericus 4.q.23. qui alios citat, & dicit ita tenere penè omnes. Nauar. de oratione cap.7. nu.31. & Azor. lib.10.cap. 14.q.1. quam etiam dicit communem.

QVÆSTIO CCLXXVII.

An extet aliquod ius nouum, quo horas canonicas prætermittens, eo ipſo teneatur fructus beneficij perceptos reſtituere.

NAVAR. de oratione cap.7. num.32. & in Manual. cap. 25. num. 122. Couarr. lib. 3. var. cap.13. num. 10. Corduba in ſum. caſuum quæſt. 33. & plerique alij affirmant eiuſmodi ius nouum extare in Conc. Lateranenſi ſub Leone X. celebrato, ſeſſ.9. cap.5.§. ſtatuimus, vbi dicitur, beneficiarium quemcunque, qui elapſis ſex menſibus à conſequutione beneficij, omiſerit recitare officium non facere pro rata officij prætermiſſi fructus ſuos, ſed debere reſtituere in fabricam ipſius beneficij, vel in eleemoſynas pauperum. Quòd ſi fuerit contumax non dicendo poſt prædictum ſemeſtre tranſactum, priuandus eſt beneficio.

At verò Sotus lib. 10. quæſt. 5. artic. 6. negat, etiam extante eiuſmodi Concilij Lateranenſis decreto reſtitui debere fructus beneficij, quia credit id,

id Concilij Lateranenſis decretum, non fuiſſe vſu, & more receptum.

Sed quidquid ſit de hac Soti ſententia, vix videtur eſſe nunc locus relictus dubitationi, ſtante Pij V. conſtitutione, quæ incipit. *Ex proximo Lateran. Conc.* relata à Nauar. in Man. cap. 25. num. 122. & de oratione cap. 7. num. 32. in qua Romanus Pontifex decretum Concilij Lateranenſis, non ſolùm commendat vt pium, & ſalutare, ſed etiam illud innouando declarat, vt beneficiarius, qui horas canonicas prætermittit, in foro conſcientiæ fructus beneficij perceptos reſtituat pro rata officij prætermiſſi. Quomodo autem ſit intelligendum, quod dicitur ibi pro rata omiſſionis officij, & temporis faciendam eſſe reſtitutionem, declarat Pius V. in Bulla peculiari relata à Nauar. vbi ſuprà, ſic videlicet, *Si quis vno, aut pluribus diebus totum officium omiſit, reſtituat fructus omnes, quos illo die, vel illis diebus percepit: ſi Matutinum tantùm omiſit, reſtituat mediam partem fructuum reſpondentium illi tempori: ſi reliquas ſex horas tantùm, reſtituat etiam dimidiam partem: ſi aliquam tantùm ex illis ſex, reſtituat tantùm ſextam partem fructuum talis diei, & ſic tenetur ſolùm ſextam illius medietatis partem reſtituere.* Hæc ibi.

Quis verò cenſendus ſit contumax non dicendo, declaratur eadem ſeſſ. videlicet, qui ſpacio quindecim dierum ne bis quidem dicit.

Nec eſt, quòd dicas, huiuſmodi Pij V. conſtitutionem non eſſe vſu receptam: quia viri pietate, & doctrina clari cenſent reſtitutionem fructuum faciendam eſſe iuxta eam conſtitutionem.

QVÆSTIO CCLXXVIII.

An beneficiarius qui diuinum officium ſcienter omiſit in primis ſex menſibus accepti beneficij, teneatur ad reſtitutionem fructuum reſpondentium illis diebus.

SOTVS lib. 10. quæſt. 1. art. 6. tenet obligari, ac proinde certò credit verba illa Concilij Lateranenſis, *Poſt ſex menſes*, non eſſe ita legenda, ſed *per ſex menſes*, vt ſenſus ſit, qui per ſex menſes, hoc eſt, quicunque ſex menſium tempore, diuinum non ſoluerit, ſolùm debeat fructus reſtituere pro rata: elapſis verò ſex menſibus, ſi poſt admonitionem quindecim diebus bis non recitauerit, beneficio priuetur. Et ratio eius eſt, quia violat iuſtitiam commutatiuam, cùm faciat contra obligationem contractus, do vt facias. At ex violatione iuſtitiæ oritur reſtituendi obligatio.

Sed hæc Soti ſententia ab omnibus reiicitur, nam omnes codices Concilij conſtanter legunt, *poſt ſex menſes*.

Tum quia Pius V. referens dicti Concilij ſtatutum expreſsè dicit, *poſt ſex menſes*: quare dicendum eſt beneficiarium intra primos ſex menſes ab obtento beneficio officium diuinum prætermittentem, liberum eſſe à reſtitutione, quia hæc obligatio non iure naturali, vt Sotus putauit, ſed Eccleſiæ tantùm lege debetur: at hæc tantùm obligat poſt ſex menſes ad reſtitutionem, ergo.

Deinde,

Deinde, attento iure communi antiquo, non tenetur beneficiarius non recitans ad reſtitutionem, quia nullum tale ius adeſt, ergo tantùm tenetur iure nouo Concilij Lateranenſis, & Pij V. At hæc tantùm obligant poſt ſex menſes, ergò.

Tum demum, quia hæc obligatio non oritur ex iuſtitia commutatiua, ſed ex obedientia, vel Religione. Vnde qui impotens eſt ad reſtituendos fructus, non ſolet obligari ad reſtituendum in bonis ſpiritualibus. Et ideo ita tenent Nauar. de oratione cap. 21. nu. 58. Leſſ. lib. 2. cap. 34. dub. 32. num. 179. Vaſq. de benef. cap. 4. §. 1. art. 1. dub. 8. Tolet. lib. 2. cap. 12. num. 5. Suar. lib. 4. cap. 29. num. 12. Filiuc. cap. 10. q. 3. num. 310. Macig. cap. 28. num. 16. & communis.

Hinc, qui diuinum officium recitauit per primos ſex menſes, ſed poſtea incepit omittere, non poteſt quaſi compenſando vti priuilegio Concilij, & conſtitutionis Pij V. de ſex primis menſibus indultis poſt obtentum beneficium, ſed ſtatim non recitando, ad fructuum reſtitutionem tenetur, Suar. lib. 4. cap. 29. in fine.

QVÆSTIO CCLXXIX.

An qui intra primos illos ſex menſes ab impetrato beneficio, abſque iuſta cauſa diuinum officium prætermittit, lethaliter peccet.

RESPONDEO eum lethaliter peccare, nam in conſtitutione prædicta Pij V. ſic habetur. *Ille*

qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum eum excuſauerit, graue peccatum, ideſt mortale, *ſe intelligat admiſiſſe.* Et ratio huius eſt, quia facit contra prohibitionem Eccleſię in re graui, & contra finem, propter quem datur beneficium, vt patet ex prædictis conſtitutionibus. Ita Nau. in Man. cap. 25. nu. 122. Arag. 2. 2. q. 83. art. 13. Tolet. lib. 2. cap. 12. num. 4. Azor. lib. 10. cap. 14. quæſt. 4.

QVÆSTIO CCLXXX.

An qui hodie non recitauit, ſed altera die ſuppleuit defectum in recitatione diuini officij prætermiſſi, ad reſtitutionem fructuum teneatur.

MOLFESIVS cap. 5. num. 17. Filiucius cap. 10. q. 2. n. 307. Suar. lib. 4. cap. 23. num. 5. & cap. 29. num. 11. & multi alij, quos citat Henriq. lib. 13. ca. 13. num. 2. affirmant hunc non teneri ad reſtitutionem fructuum, ſi ſuppleuit alio die penſum horarum, aut compenſauit in aliis piis operibus. Ducuntúrque hi in eam ſententiam primò, quia in hoc caſu rependit æquale, vt ſuppono.

Secundò, quia Capellanus qui ratione capellaniæ hodie tenetur celebrare, ſi alio die celebret, ad nullam reſtitutionem tenetur, ergo neque beneficiarius, qui alio die officium ſupplet.

Cæterùm contraria ſententia eſt communiſſima, & ideo tanquam probabilior amplectenda eſt,

cuius

cuius ratio eſt, quia ille tenetur ad reſtitutionem, qui ſuo tempore præceptum diuini officij non impleuit, ſed qui alio die diuinum officium perſoluit, non impleuit præceptum diuini officij, ergo ad reſtitutionem tenetur. Maior propoſitio eſt per ſe nota. Minor verò probatur, quia obligatio diuini officij eſt affixa diei, & tranſit cum ipſo die: & ſicut non implet præceptum ieiunij, aut Miſſæ, qui alio tempore non præſcripto ab Eccleſia ieiunat, vel Miſſam audit, ita neque adimplet præceptum diuini officij, qui alio die diuinum officium perſoluit.

Tum quia, qui diuinum officium prætermiſit, ipſo facto abſque declaratione Iudicis obligationem reſtituendi fructus contraxit, nullus autem poteſt propria authoritate eximere ſe à pœna, quam contraxit.

Tum demum, quia in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 9. & in Bulla Pij V. dicitur, eum, qui non recitat ſuo tempore officium, non facere fructus ſuos. Et ideo ita tenent Henriq. lib. 13. cap. 13. Petr. Nauar. de reſtit. lib. 1. cap. 2. n. 180. Arag. 2. 2. q. 83. ar. 13. & alij.

Igitur ad argumenta in contrarium adducta oportet nunc reſpondere. Et ad primum reſpondeo, beneficiarium non poſſe fructus percipere, quia illos ipſo facto amiſit, nec illos propria authoritate ſibi applicare poteſt, ſupplendo alio die defectum officij.

Ad ſecundum reſpondeo, negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia onus celebrandi non eſt diei affixum, vt tranſeat cum ipſo die, ſicut tranſit onus diuini officij.

QVÆSTIO CCLXXI.

An qui plura beneficia legitimè poſſidet, nec horas canonicas recitat poſt primos ſex menſes ab illis obtentis, teneatur pro rata officij culpabiliter omiſſi, fructus omnium beneficiorum reſtituere.

Respondeo teneri. Et ratio eſt, quia ſicut ratione omnium tenebatur officium recitare: ita etiam fructus omnium pro rata officij dimiſſi reſtituere tenetur, vt clarè conſtat ex conſtitutione Pij V.

Et confirmatur, nam quemadmodum qui diuinum officium recitat, omnium fructus beneficiorum acquirit, & facit ſuos, ita qui non recitat, omnes modo ſuprà declarato amittit, nec maior eſt ratio, cur vnius beneficij fructus perdat, quàm alterius, ergo omnes pariter amittit.

QVÆSTIO CCLXXII.

An qui abſque vlla culpa horas canonicas prætermiſit, ad reſtitutionem fructuum teneatur, vt per naturalem obliuionem, vel ignorantiam inuincibilem.

Nonnvlli affirmant ad id teneri, quia de facto hic non exhibet ſeruitium propter quod recipit ſtipendium.

Tum

Tum quia illa non eſt tantùm pœna propter culpam, ſed eſt etiam conditio, ſub qua datur tale ſtipendium.

Alij verò putant hunc teneri reſtituere fructus extantes, & eos, ex quibus factus eſt ditior, non autem quos bona fide conſumpſit, & ex eis ditior factus non eſt.

At tanquam certum tenendum eſt; huiuſmodi beneficiarium eſſe à reſtitutione liberum, non ſolùm quoad fructus bona fide conſumptos, ex quibus non eſt factus ditior, verùm etiam ſimpliciter quoad omnes. Et ratio eſt, quia in foro conſcientiæ non debetur pœna, vbi culpa non eſt: atqui carentia fructuum inducta eſt in pœnam culpæ admiſſæ in recitatione diuini officij, ergo.

Et eſt concluſio definita in conſtitutione Pij V. vbi Pontifex primò dicit. *Si officium diuinum non dixerit legitimo impedimento ceſſante:* naturalis autem obliuio, vel ignorantia inuincibilis legitimum impedimentum reputatur.

Deinde ait: *Eos tanquam iniuſtè perceptos.* Vbi pondero illam particulam, *iniuſtè.* Nam præſupponit hunc non recitando peccaſſe, ac ſubinde teneri ad reſtitutionem titulo iniuſtæ acceptionis.

Demum ſubiungit: *Si vltra dictum tempus in ſimili negligentia contumaciter permanſerit.* Vbi pondero illam particulam, *ſimili.* Nam ſupponit, oportere omiſſionem eſſe ex negligentia culpabili, ergo vbi non intercedit culpa, non incurritur hęc pœna. Vnde non eſt dicendum, illam eſſe conditionem quaſi affirmatiuam, ſi dixeris, ſed negatiuam, ſi non omiſeris, ſcilicet culpabiliter. Et ideo ita

tenent Gar. to. 1. de benef. p. 3. cap. 1. num. 26. Reginal. lib. 30. nu. 44. Suar. lib. 4. cap. 29. nu. 16. Azor. lib. 10. cap. 14. q. 7. Macig. cap. 18. & 19. Leſſ. cap. 34. num. 185. Molfeſ. in ſumma tract. 5. cap. 5. num. 14. & alij communiter.

QVÆSTIO CCLXXXIII.

An qui mente vltrò diſtracta diuinum officium recitat, reſtituere fructus teneatur.

Medina C. de oratione q. 16. Petr. Nauar. lib. 2. nu. 181. & 228. Cordub. in ſuo quæſt. lib. 4. q. 13. & Tolet. lib. 2. cap. 12. nu. 6. negant. Quia pœna (inquiunt) reſtitutionis tota ſurgit, & contrahitur ex iure canonico, quod ſolùm mulctat hac pœna beneficiarium, qui diuinum officium non dicit, ſed qui animo diſtracto diuinum officium recitat, reuera dicit, quamuis malè dicat.

Dices, qui ſic diuinum officium perſoluit, lethale peccatum committit, ergo Eccleſiæ præcepto non ſatisfacit.

Reſpondent, non omne peccatum mortale, quod in recitatione horarum committitur, inducere obligationem reſtituendi, ſed illud duntaxat, quo diuinum officium non recitatúr, aliàs quicunque malè recitaret peccando mortaliter, vel ex malo fine, vel aliunde reſtituere teneretur, quod dici non poteſt. Hanc opinionem dicit eſſe probabilem Azor. lib. 10. cap. 12. q. 6.

Oppoſita tamen opinio videtur tenenda vt verior, & communior. Et ratio eſt, quia hic non ſolùm malè orat, ſed reuera ſimpliciter nõ orat, quia licèt

licèt legat, vel verba proferat, illa non eſt oratio, quæ ab Eccleſia præcipitur, cùm ergo de ſubſtantia orationis ſit attentio, ſequitur recitantem ſine attentione, non ſatisfacere præcepto quoad ſubſtantiam, conſequenter non poſſe fructus retinere.

Et confirmatur, nam pœna illa non imponitur non recitanti materialiter verba, ſed non oranti, & ſic non ſatisfacit Eccleſiæ præcepto, qui ſine vlla attentione diuinum officium recitat, & ideo non eſt ſimile de aliis peccatis, quæ non tollunt ſubſtantialem actum: at verò defectus attentionis voluntariæ ſubſtantiam orationis deſtruit. Et ideo ita tenent Nauar. de orat. cap. 13. nu. 18. Suar. lib. 4. cap. 30. nu. 14. Azor. lib. 10. c. 12. q. 6. Petr. Nauar. ſuprà nu. 140. Graff. lib. 2. c. 51. nu. 7. Vega cap. 128. Rodriq. p. 1. cap. 143. & multi alij.

Nec obſtat, horas canonicas recitari nomine Eccleſiæ quæ ſupplet defectum recitantis.

Reſpondeo, hoc verum eſſe, modò defectus ab Eccleſia ſuppleri poſſit: at Eccleſia efficere non poteſt, vt id quod non eſt oratio, ſit oratio, quidquid dicat Macignus q. 89. nu. 11.

Hinc, qui ſcienter, & ſpontè iocando, confabulando, vel alia ſimilia faciendo, diuinum officium perſoluit, peccat mortaliter, quia non recitat, vt debet, & proinde præceptum Eccleſiæ non implet, & fructus reſtituere tenetur.

QVÆSTIO CCLXXXIV.

An excommunicatus recitans officium in excommunicatione, poſſit retinere fructus beneficij.

NAVAR.

Navar. in Manual. cap. 25. nu. 124. negat, quia in cap. Paſtoralis §. fin. de app. ob excommunicationem priuatur quis beneficij fructibus. Ex quo infert, beneficiarium poſt obtentam abſolutionem ab excommunicatione, debere à Romano Pontifice indulgentiam impetrare, qua fructus quos ante perceperat, retinere poſſit.

At multò probabilius eſt poſſe. Et ratio eſt, quia hic non eſt effectus excommunicationis, nam in eo capite Paſtoralis citato tantùm dicitur, quòd meritò auferuntur fructus beneficij ab eo, cui denegatur Eccleſiæ communio: ſed non dicit quòd ipſo facto ſit priuatus illis virtute excommunicationis.

QVÆSTIO CCLXXXV.

An qui vno, vel pluribus diebus diuinum officium non recitauit, debeat fructus reſtituere pro rata omiſſi officij, hoc eſt, fructus reſpondentes tempori, in quo officium prætermiſit.

Sotvs lib. 10. q. 5. art. 6. ſentit beneficiarium, qui per vnum, aut duos dies officium omittit, non eſſe reſtitutioni obnoxium, ſi autem ampliùs dimittat, ad reſtitutionem teneri: fundat autem Sotus hanc ſuam opinionem in morali accommodatione domini temporalis, qui non priuat famulum ſtipendio, ſi vno, vel altero die non ſeruiat, quare neque Deus.

Lop. 2,

Lop. 2. p. inſtruct. conf. cap. 95. & Medina C. de oratione putant omittentem canonicas preces, paucis v. g. octo, vel decem diebus, non teneri aliquid reſtituere. Immò addit Medina, etiam ſi quis per annum integrum officium non recitauerit, non eſſe neceſſarium reſtituere totum, ſed poſſet moderatam partem retinere.

Sed certè, quia Sotus ſcripſit ante conſtitutionem Pij V. & quia putauit decretum Concilij Lateranenſis non fuiſſe vſu receptum, excuſari poteſt. At Lop. & Medina qui poſtea ſcripſerunt, nullo modo poſſunt excuſari, pugnant enim cum verbis contentis in dicta conſtitutione Pij V. & decreto Concilij Lateranenſis, quibus præcipitur, vt qui poſt ſex menſes ab obtento beneficio, per quindecim dies, non recitauerit ſaltem bis, priuetur beneficio, ergo non eſt credibile, vt per octo, vel decem dies non recitans, in illius legis pœnam non incidat.

Tum quia cùm Pius V. taxet, quid reſtituendum ſit pro qualibet hora diuini officij prætermiſſi, quis nunc dicere poteſt ex omiſſione duorum, vel plurium dierum nullam oriri obligationem.

Tum quia lex illa impedit tranſlationem dominij fructuum correſpondentium illis temporibus, diebus, aut horis, nullo ergo titulo retineri poſſunt.

Quare dicendum eſt cum communi ſententia, taxam, & diſtributionem à Pio V. factam ad vnguem ſeruandam eſſe. In ea enim in primis dicit. *Qui vno, vel pluribus diebus totum officium canonicum prætermiſerit, omnes fructus amittat*, qui illi vel

vel illis diebus correſponderent, ſi quotidie diuiderentur. Si verò non vno die integrum officium omittat, pro Matutino cum Laudibus, quæ eſt media officij pars, vult amitti dimidiam partem fructuum illi diei correſpondentium. Qui cæteras horas omnes, aliam dimidiam partem. Et quoniam illæ ſunt ſex, illas reputat æquales, & pro vniuſcuiuſque omiſſione ſextam partem fructuum eiuſdem diei amitti declarauit.

Cùm dicitur, ſextam partem eſſe reſtituendam pro ſingulis horis, intelligendum id eſt de ſexta parte fructuum dimidij diei naturalis, vel de fructibus diei attificialis, ita vt qui vno die recipit v. g. duodecim argenteos, ſi omittat horam, teneatur tantùm reddere vnum argenteum, quia illa eſt ſexta pars fructuum diei artificialis, nam alij ſex reſpondent officio Matutino.

QVÆSTIO CCLXXXVI.

An pro omiſſione minori, quàm vnius horæ integræ, ſit aliquid reſtituendum.

RESPONDEO nihil eſſe reſtituendum. Et ratio eſt, quia lex rigoroſa potius reſtringenda eſt ad terminos ſuos, quàm extendenda. Cùm ergo lex canonica definitè taxet quid pro ſingularum horarum omiſſione reſtituendum ſit, non eſt extendenda ad minorem omiſſionem. Quod licèt hoc pro ſingulis horis minoribus verum ſit, pro maioribus tamen admitti non poteſt. Vnde in Matutino ſi omttiatur ſexta pars, eſſet etiam obligatio tanquam

tanquam vnius horæ, quia totum Matutinum cum Laudibus æquiualet omnibus aliis horis: ſi verò ſit minor ſexta parte, nulla erit reſtituendi obligatio. Quare ſecundùm hanc doctrinam poterit quis peccare mortaliter, vt ſi omittat dimidiam horam, & tamen non obligari ad reſtitutionem.

Hinc, qui paucos verſiculos, aut vnum Pſalmum omittit, ad nullam reſtitutionem tenetur, etiamſi fructus reſpondentes illi parti omiſſæ, ſint magnæ quantitatis. Ita Tolet. lib. 2. cap. 12. nu. 6. Petr. Nauar. lib. 2. cap. 2. dub. 3. num. 202. & Suar. lib. 4. cap. 30. nu. 13.

Hinc ad reſtitutionem tenetur, qui eodem die in ſingulis horis paucos verſiculos omiſit, qui tamen ſimul ſumpti vnam integram horam efficiunt. Et ratio eſt, quia ſicut huiuſmodi omiſſiones continuantur in ordine ad grauem culpam, ita etiam in ordine ad reſtitutionem.

Hinc non tenetur ſub mortali ad reſtitutionem, quando pars fructuum correſpondens eſt tam exigua, vt non pertingat ad peccatum mortale in materia furti: at ſi coniungeretur moraliter cum aliis ſimilibus, cùm peruentum fuerit ad materiam notabilem, oriretur talis obligatio ſub mortali. Suar. lib. 4. cap. 30. num. 13.

QVÆSTIO CCLXXXVII.

An vniuerſaliter omnes beneficiarij horas canonicas non recitantes, teneantur reſtituere omnes fructus beneficij integrè pro rata temporis, quo horas omittunt, vel

potius

potius ſit ſatis aliquam tantùm partem reſtituere.

ET quidem, ſi beneficiarius ſit huiuſmodi, qui beneficium obtineat eccleſiaſticum, nullam aliam obligationem inducens, quàm recitandi, qualia ſunt beneficia ſimplicia, & præſtimonialia, ſi is ſcienter abſque iuſta cauſa diuinum officium omittat, vniuerſos fructus quos ex tali beneficio percipit, reſtituere pro rata temporis tenetur. Ratio eſt, quia non poteſt alia ratione fructus recipere, quàm ratione officij perſoluendi, cùm ergo hic non perſoluat officium, vt ſuppono, nullum habet titulum, cur aliquos fructus recipiat. Et in hoc omnes Doctores infrà citandi conueniunt.

QVÆSTIO CCLXXXVIII.

Sed tota difficultas verſatur de eo, qui beneficium obtinet officia alia principalia annexa habens, propter quæ exercenda ſimiliter annuales fructus recipit, vt ſi eſt Parochus qui curam animarum gerit, qui & munus celebrandi, & adminiſtrandi Sacramenta obit, & regimine Eccleſiæ fungitur. An videlicet hic teneatur ſimpliciter omnes fructus beneficij reſtituere, an verò tantùm eam partem quæ officio recitando in beneficio correſpondet.

In

IN qua re duæ extant Doctorũ opiniones. Prima docet hunc nõ teneri reſtituere niſi partem correſpondentem obligationi recitandi horas. Et ideo Parochus qui in die pro fructu v. g. recipit tres argenteos, omittens totum officiũ,tenetur reſtituere vnum argẽteum,nam alios retinet pro onere miniſtrãdi Sacramenta,&c. Et ideo ita tenent Tolet.lib. 2.c.12.n.5.Henriq. lib.13. c.13.nu.2. Lop.2.p.c.95. Emman. Sa verb.beneficium.n.58. Leſſ. lib.2. cap. 34. dub.32. Arag.2. 2.q.83.art.13.Rodrig.1.p.cap. 146.n.4. Molfeſ. in ſumma tract. 5. cap.5. n.8 Beia caſu 55. p. 1. Med.in inſt.in expoſit. præcept.§. 11. Macig.c.28.n.7.Nald verb. diuinum officium n.12. Vaſq.in opuſ.de beneficiis.c.4. §.1.ar.1.dub.7.n.38.

Secũda verò opinio ait beneficiarium eſſe huius pœnæ obnoxium, quantumcunque cætera munia ſui beneficij obierit.Nam hoc non obſtante reus eſt peccati mortalis, quod committitur omiſſione recitationis horarum,quod vnum tali priuatione punitur,tanquam ea ſufficienter dignam, non obſtante quòd quis cætera ſua onera impleat: Sicut, & ſufficienter dignus eſt æterno ſupplicio, quantumcunque in nullo alio deliquerit,iuxta illud Iacobi 1. Quicunque totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.

Tum quia lex abſolutè, & indiſtinctè loquitur, & abſque limitatione præcipit omnes fructus reſtitui cuiuſcũque beneficij, & vbi lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus. Et ideo ita ſentiunt Suar.lib.4.c.30.n.6.Valent.2.2.d.6.q.2.p.vlt.Azor. lib.10.c.14.q.5.Regin.lib.30.n.46.Petr.Nau.lib.2, c.2.n.143.Vaſq.ſibi contrarius 1.2.d.168. num.34. Vincent.Filiuc.tom.2.tract.23.cap.10.q.5.& plerique alij. Pro quo

Primò dico, primam opinionem eſſe valdè probabilem, tum ob authoritatem Doctorum, qui eam ſequuntur, tum ob rationem fundatam in æquitate, & iuſtitia, quæ vtpote in re pœnali eſt fauorabilior. Cùm enim propterea imponatur obligatio reſtituendi, quia beneficium datur propter officium, quando aliquis præſtat plura officia, & omittit vnum illorum, vt recitationem Horarum, ſatis eſt ſi reſtituat partem ſtipendij reſpondentem officio omiſſo, alioquin grauius damnum pateretur beneficiarius, qui præter officij obligationem alia onera ſuſtinet, quàm qui ſolam habet recitandi officij obligationem. Vnde quando in Bulla Pij V. dicitur, omittentem diuinum officium debere omnes fructus reſtituere, ſermo eſt de fructibus reſpondentibus recitationi diuini officij, non verò de fructibus reſpondentibus aliis oneribus.

Secundò dico, ſecundam opinionem videri magis ad mentem Pij V. abſolutè, & indiſtinctè loquentis de reſtitutione fructuum ſingulis diebus reſpondentium, facienda pro rata omiſſionis diuini officij, vt beneficiarij à tali omiſſione retrahantur, & ad illius recitationem excitentur, & quaſi cogantur. In hanc igitur ſententiam vt probabiliorem propendeo. Ideóque optimum remedium eſt, vt facta fructuum computatione Bullam compoſitionis accipiat, vel à Romano Pontifice, ſiue ab eius Commiſſario Cruciatæ diſpenſationem petat, quia hac ratione neque omnia quæ Bulla Pij V. præcipit, reſtituet, & in conſcientia tutus erit.

Hinc, non eſt audiendus Henriquez lib. 13. cap. 13. num. 2. vbi ait beneficiarium non teneri reſtituere omnes fructus, ſed poſſe aliquam eorum partem retinere, eo quòd præter horas canonicas, habet

habet onus geſtandi habitum, & tonſuram, viuendi caſtè, & obſeruandi alia quæ præſcribuntur in iure. Quia fructus eccleſiaſtici non ſolùm dantur ob horas canonicas, verùm etiam propter alia onera,& miniſteria. Non eſt, inquam, audiendus, quia beneficium non datur ad deferendum habitum, & tonſuram, ſed propter diuinum officium, aliáque onera beneficio annexa.

Tum quia geſtatio habitus,& tonſuræ compenſatur aliis commodis, vt immunitate Eccleſiæ, & cùm beneficium confertur Clerico, habitus geſtatio ſupponitur, ante beneficij collationem.

QVÆSTIO CCLXXXIX.

An penſionarius qui officium paruum Beatæ Virginis quotidie non ſoluit, fructus ſuæ penſionis reſtituere teneatur.

RESPONDEO teneri, ſi illud poſt primos ſex menſes prætermiſit: nam Pius V. in ſua conſtitutione penſionarium non recitantem officium paruum Beatæ Virginis, ad reſtitutionem obligat eadem ratione, qua beneficiatum non recitantem horas canonicas.

Hinc, ſi penſionarius totum officium vno, vel pluribus diebus prætermiſit, omnes penſionis fructus, qui illi, vel illis diebus reſpondent, reſtituere tenetur. Si verò Matutinum, tantùm dimidium, ſi horarum ſingulas, ſextam partem penſionis eiuſdem diei amittat, vt in eadem conſtitutione habetur.

QVÆSTIO CCXC.

An hac fructuum reſtitutio facienda ſit ſtatim in conſcientia, non expectata Iudicis ſententia.

SOtvs lib.10.q.5.art.6. indubitanter negat teneri ad reſtitutionem fructuum ante Iudicis condemnationem, quia credit decretum Concilij Lateranenſis non fuiſſe receptum, & ſcripſit ante Pium V. Eandem opinionem ſequitur Syluester verbo Clericus 4. quæſt.23. & 24.

Medina C. de oratione, vbi ſuprà, qui conſtitutionem Pij V. nouit, auſus eſt dicere, decretum illud eſſe pœnale, & ideò non obligare, donec Iudex præcipiat.

Sed concors eſt omnium Theologorum opinio, reſtitutionem hanc eſſe faciendam in conſcientia ante Iudicis condemnationem, licèt delictum ſit occultiſſimum. Et ratio eſt, quia Beneficiarius non recitans non facit fructus ſuos, vt dicitur in Concilio Lateranenſi, ſed nullus retinere poteſt quod ſuum non eſt: ergo Beneficiarius omittens Horas canonicas, non poteſt retinere fructus, ſed tenetur illos reſtituere ante Iudicis ſententiam.

Tum quia nemo poteſt retinere quod iniuſtè acquiſiuit, atque Beneficiarius qui diuinum Officium omiſit, retinet fructus tamquam iniuſtè acquiſitos, vt habetur in prædicto Concilio: ergo tenetur illos reſtituere ante Iudicis ſententiam.

Et confirmatur, nam Pius V. in Extrauaganti ab ipſo edita, non quaſi nouum ius condens, ſed ius prædicti Concilij declarando, euidentiùs ſtatuit, non

non recitantem diuinum Officium non facere fructus ſuos, ſed illos tamquam iniuſtè perceptos debere reſtituere: & ſic manifeſtè colligitur, quòd non ſolùm de iure prædicti Concilij, ſed etiam Pij V. non poteſt in conſcientia retinere fructus etiam ante Iudicis condemnationem, qui diuinum Officium recitare prætermiſit. Et ita eſt vſu recepta, vt teſtatur Suarez lib. 4. cap. 30. num. 2. & praxis ſacræ Pœnitentiariæ confirmat. Et ideò ita ſentiunt Nauarrus de oratione cap. 7. num. 32. & in Manuali cap. 25. num. 122. Aragon. 2. 2. quæſt. 83. art. 13. Couarruuias lib. 3. variar. cap. 13. in fine. Corduba in Summa Hiſp. quæſt. 33. Petrus Nauarrus de reſtitut. cap. 2. num. 195. Vaſquez in opuſc. de benefic. cap. 4. §. 1. dub. 7. Filiuc. cap. 10. num. 311. Leſſius lib. 2. cap. 34. dub. 39. Macig. cap. 28. Quaranta verb. Horæ canonicæ. Molfeſ. cap. 5. num. 11. Suarez vbi ſuprà, & alij communiter.

Neque obſtat, pœnam, quæ ad ſui exequutionem hominis actionem requirit, non eſſe ſubeundam ante Iudicis ſententiam. Quia hoc fallit, quando aliter conſtat de mente legiſlatoris volentis pœnam incurri ante condemnationem Iudicis, vt accidit in caſu noſtro, in quo Concilium Lateranenſe, & Pius V. obligant in conſcientia Beneficiarium in pœnam delicti ad reſtitutionem fructuum.

QVÆSTIO CCXCI.

Cui facienda ſit hæc reſtitutio.

RESpondeo, faciendam eſſe, vel in fabricam beneficij, vel in eleemoſynam pauperum. Sic

enim habetur in prædicta conſtitutione Pij V. illis verbis. *In fabricas huiuſmodi beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas erogare teneantur.* Quæ verba diſiunctiua ſunt, & ideò liberum eſſe beneficiario reſtitutionem facere pauperibus, vel fabricæ beneficij. Ita Nau. de orat. cap. 7. num. 32. & in Sum. cap. 25. num. 122.

Eſt autem hîc conſiderandum, quòd quando reſtitutio eſt diſtributionum, quas Canonici, vel beneficiarij ex munere chori recipiunt, tunc non debet fieri niſi ipſis Canonicis, vel beneficiatis, qui choro interfuerunt: inter quos ſolent tales redditus diſtribui: nam quando res habet certum dominum, non debet dari pauperibus.

QVÆSTIO CCXCII.

Quid nomine pauperum hoc loco intelligatur.

NAVAR. tract. de reddit eccleſ. monito 26. num. 2. q. 7. cenſet nòmine pauperum intelligi non ſolùm perſonas pauperes, ſed etiam Monaſteria, Xenodochia, & Eccleſias ornamentis, luminaribus, & aliis ſimilibus indigentes, aut alia pietatis opera, iuxta Medinam C. de reſtitut. q. 3. & Rebell. p. 2. de oblig. q. 11. ſect. 1.

QVÆSTIO CCXCIII.

An appellatione pauperum veniant non ſolùm mendici, ſed etiam alij, qui quamuis neceſſaria naturæ habeant, ad decentiam tamen perſonæ neceſſariis carent.

Respondeo

RESPONDEO, nomine pauperum non ſolùm intelligi eos, qui ex pane mendicato viuunt, verùm etiam alios, quibus neceſſaria ad decentem ſtatum deſunt, quales ſunt multi nobiles, qui à ſtatu deciderunt, & ægrè admodum ſuſtentantur, licèt ob verecundiam petere, vel recipere eleemoſynam non ſoleant, quibus diſtributio fieri poteſt abſque titulo eleemoſynæ, ne confundantur. Ita Rebell. p. 2. de obligat. quæſt. 11. ſect. 1. & Nauarr. de redd. mon. 26.

QVÆSTIO CCXCIV.

An hæc reſtitutio facienda ſit pauperibus illarum Eccleſiarum, vbi ſita ſunt beneficia.

RESPONDEO minimè, ſed poſſe etiam fieri pauperibus alterius loci. Ratio eſt, quia Bulla generaliter loquitur de pauperibus.

Tum quia hoc mitius eſt, & faciliorem, & ſuauiorem reddit reſtitutionem. Ita Suarez lib. 4. cap. 30. num. 20. Molfeſ. cap. 5. num. 22. Filiuc. tract. 23. cap. 10. quæſt. 6. Bonacina diſp. 1. quæſt. 5. p. 4. nu. 3. & alij communiter. Vbi aduerte, quòd eleemoſynæ omnes, quas ex fructibus beneficij fecit toto eo tempore, in quo diuinum officium prætermiſit, poterit computare in partem reſtitutionis.

QVÆSTIO CCXCV.

An ſi beneficiarius pauper ſit, aut eius mater, fratres, aut ſorores, poſſit ſibi, aut eis hanc reſtitutionem facere.

Respondeo poſſe, modò iſti verè pauperes ſint. Ratio eſt, quia non videntur deterioris cõditionis aliis pauperibus, quamuis enim peccauerit officium omittendo, tamen cùm reſtitutio facienda ſit pauperibus, & ipſę aut eius conſanguinei paupertate laborent, negandum non videtur, quin gaudere poſſint fructu eleemoſynæ, quæ pauperibus tribuitur.

Tum quia iura eos non excludunt, & hæc eſt eleemoſyna, quam non tam ipſe ſibi, vel ſuis, quàm ſummus Pontifex per eum facit, vt ad multorum conſolationem. Nauar. in ſumma cap. 25. num. 122. Tolet. lib. 2. cap. 12. num. 5. & Suar. tom. 2. de Religione cap. 30. num. 21. Quod intellige, modò ex cõſuetudine, vel ſtatuto particulari non ſit facienda reſtitutio alicui certo pio operi, aut aliis canonicis, vt accidit in diſtributionibus quotidianis, quia in tali caſu beneficiarius pauper non poterit ſibi, vel ſuis fructus reſtitutioni obnoxios applicare titulo paupertatis. Ita Rodr. 1. p. c. 146. n. 3. Nald. verb. officium n. 13. Arag. 2. 2. q. 83. art. 13. Suar. Tolet. & alij plerique vbi ſuprà.

Quam doctrinam arbitror veriſſimam, modò id faciat ex conſilio prudentis confeſſarij, vel viri docti; ne in re propria decipiatur: & dummodo iſte occaſionem non ſumat vacandi ab officio.

QVÆSTIO CCXCVI.

Vtrùm beneficiarius qui horas canonicas prætermiſit, poſſit ſibi retinere fructus, quos titulo remiſſionis recepit à pauperibus.

Respondeo

RESPONDEO non poſſe,ſi remiſſionem à pauperibus obtineat, quibus fructus nondum tradiderat. Ratio eſt,quia hic non dicitur reſtitutionem feciſſe iuxta Romani Pontificis intentionem.

Tum quia pauperes, quibus fructus non traditi ſunt,nullum ius habent ad illos, ergo non poſſunt illos remittere, cùm remiſſio fieri debeat ab eo,qui ius verum,& proprium habet. Secus ſi fructus recipiat ab iis, quibus ipſe tradiderat, quia tunc poſſet eos ſibi retinere,cùm id nullo iure prohibeatur,nec vllum inde incommodum ſequatur.

Tum demum, quia retineri poſſunt diſtributiones,ſi poſtquam ſine fraude,& dolo traditæ fuerunt canonicis,qui interfuerunt choro, iterum ab iiſdem reſtituantur.Nec obſtat Conc. Trid.ſeſſ.24.c.12.de reformat.quia ibi ſolùm interdicitur colluſio,& remiſſio, non autem donatio, poſtquam res accepta fuit.Ita Henriq.lib.13.c.36.n.3.Nau.de orat.Miſcel. 19.n.4.Suar.lib.4.c.30.n.17.Azor.2.p.lib.7.q.9. & multi alij.

QVÆSTIO CCXCVII.

An hæc reſtitutio fieri poſſit pro celebrandis Miſſis, vel in alius ſuffragiis offerendis pro defunctis.

RESPONDEO poſſe, niſi Eccleſiæ illius ſtatutum, aut mos poſtulet, vt fructus amiſſi ob hanc,vel aliam cauſam,applicentur certis operibus. Et ratio eſt,quia etiam ipſi defuncti pauperes ſunt, valdéque indigentes tali ſuffragio. Ita Nauarr.in ſum.cap.25.n.122.& de orat.cap.7.n.32. Suar.lib. 4.c.30.n.18.& Bonac.d.1.q.5.p.4.

QVÆSTIO CCXCVIII.

An hæc reſtitutio facienda ſit fabricæ illius Eccleſiæ, vbi ſitum eſt beneficium.

TOLETVS lib.2.cap.12.nu.6. Graff.lib.2. deciſ. cap.51.n.3.& plerique alij affirmant.

Sed cæteri communi conſenſu negant. Quia in textu non habetur illa particula *Eccleſiarum*, ſed *beneficiorum*. Vnde poterunt huiuſmodi fructus inſumi in vtilitatem fabricæ domus beneficij, in qua beneficiarius habitat, vel alterius domus ipſius beneficij pro fructibus colligendis,& cōſeruandis,aut etiam in vtilitatem agrorum ipſiuſmet beneficij, vt eius fructus in perpetuum augeantur. Hæc enim,& ſimilia ſub fabricis beneficiorum comprehendũtur. Ita Vaſq.in opuſc.de benef.c.4.§.1.ar.1.dub.9.Suar. li.4.c.30.n.19.Molſ.c.5.n.24 & Bonac.d.1.q.5.p.4.

Ex quo infertur,beneficiariũ qui diuinũ officium non recitauit,non poſſe reſtitutionem facere in vtilitatem alterius loci pij.Ratio eſt,quia cōſtitutio Pij V.ſolùm mentionẽ facit pauperum,& fabricæ beneficij,non verò alterius loci,niſi iſta reſtitutio redundet in vtilitatẽ pauperum,qui in eo loco v.g.alũtur; tunc enim reſtitutio fieri cenſetur pauperibus,iuxta mentem dictæ Bullæ.Ita Suar. & alij ſuprà.

QVÆSTIO CCXCIX.

Vtrùm penſionarius non recitans officium par uum B. Virginis, teneatur inſumere penſionem in fabricis,vel pauperibus, vel potius non accipere à beneficiario ſoluente illam.

NONNVLLI putant penſionarium non debere accipere penſionem à beneficiato,quia non recitando fit incapax illius,& beneficiarius non tenetur ſoluere penſionem niſi perſonæ capaci.

Contrarium tamen eſt proculdubio affirmādum. Ducor,quia Pius V.in ſua extrauaganti ſtatuit abſolutè penſionarium paruum beatiſſimæ Virginis officium prætermittentem , debere reſtituere fructus penſionis eo modo quo beneficiarius obligatur.

Tum quia in hoc caſu ſolet penſionarius compoſitionem fructuum à Romano Pontifice poſtulare ob omiſſam officij recitationẽ, & de facto conceditur,quod proculdubio non faceret Pontifex in præiudicium beneficiarij,ſi ei fructus penſionis deberentur , non enim compoſitio conceditur de reſtitutione,quæ certæ perſonæ facienda eſt. vt patet ex dictis à nobis in ſpeculo confeſſariorum. Et ideo ita ſentiunt Garz. 3. p. de benef. cap.1.n.37.Suar. lib.4.c.30.n.22.Bonac.diſp.1.q.5.p.4.& alij.

Ex quo ſequitur,beneficiariũ qui nouit penſionariũ non recitaſſe ſuũ officium,non poſſe pẽſiones denegare penſionario,vt ſibi retineat, quia Pius V. vult fructus pẽſionis ob omiſsũ officiũ deberi fabricæ beneficij,vel pauperibus,nõ autem beneficiario.

Dices,beneficiarius non tenetur fructus penſionis ſoluere penſionario excommunicato, ſed poteſt eos ſibi retinere, ergo poteſt etiam illos retinere ob omiſſam officij recitationem.

Reſpondeo non eſſe eandem rationem,nam excommunicatus eſt omnino incapax , & quaſi pro mortuo reputatur , & de fructibus eius nihil aliud in particulari diſpoſuit lex : hic autem qui diuinum officium prætermittit , non eſt ſimpliciter incapax , ſed ſolùm lege impeditur, ne tunc acqui-

rat fructus, ſed eos fabricæ, vel pauperibus tradat.

QVÆSTIO CCC.

An paruum Beatæ Virginis officium ad horas canonicas pertineat.

NAVAR. de orat, c.10. n.3. affirmat, pertinere. Sed cæteri communi conſenſu negant, & meritò quidẽ, quia horæ canonicæ multò ante huiuſmodi officium fuerunt inſtitutæ, nam vt D. Ant. 2. p. tit. 16. c. 1. §. 23. & Durant. in Rationali diui. off. li. 6. c. 2. teſtantur, Vrbanus II. in Concil. Claramontano in Aruernis anno ſalutis noſtræ 1096. cùm decretum fuit bellum ſacrũ, quo recuperata fuit terra Sancta, paruum B. Virginis officium inſtituit, ac præcepit, vt clerici illud quotidie recitarent.

Tũ quia probabilius mihi eſt, quod docet Azor. lib. 10. c. 16. qu. 3. & 4. nimirum, huiuſmodi officium B. Virginis non iure ſcripto, ſed vſu tantùm, & conſuetudine vim legis habente, recitari, quod expreſsè colligitur ex illis verbis conſtitutionis Pij V. Hoc autem concedimus ſine præiudicio ſanctæ conſuetudinis illarum Eccleſiarum, in quibus officium B. Mariæ Virginis in choro dici conſueuerat, ita vt in ipſis ſeruetur ipſa laudabilis conſuetudo celebrãdi more ſolito. Vbi Pontifex, ſolùm hanc conſuetudinem vocat, ac proinde in iure de tali præcepto non conſtat: ſed vbi etiam de eo conſtaret, adhuc dici poteſt, fuiſſe temporale, donec nimirum illud bellum perduraret.

QVÆSTIO CCCI.

An qui debet horas canonicas recitare, teneatur quoque perſoluere preces B. Virginis.

Respon

RESPONDEO, eos qui iure coguntur horas canonicas recitare iuxta Breuiarium Romanum Pij V, non teneri officium paruum B. Virginis perſoluere, vt expreſsè habetur in ipſa Bulla Pij V. Si tamen in Eccleſia iam erat conſuetudo, vt officium B. Virginis in choro diceretur, vult Pontifex hanc conſuetudinem in ſuo vigore permanere. Vnde ſi alicubi talis cōſuetudo erat recepta inſtar legis ſub mortali obligantis, etiam nunc poſt nouum Breuiarium obligabit. Et canonici, aliíque collegiatarum Eccleſiarum clerici debebunt illi quoque intereſſe, ſi maioris officij diſtributiones lucrifacere volunt. Qui verò Breuiario veteri vtuntur, hi quoque tenentur ſub mortali officium paruum B. Virginis iuxta morem, & vſum ſuæ Eccleſiæ perſoluere: ſed non puto hanc conſuetudinem apud omnes tam ſtrictè receptam, ſatis enim conſtat pluribus in locis id non fuiſſe ſeruatum. [*Nota.*]

QVÆSTIO CCCII.

An clerici certis hebdomadæ diebus teneantur officium mortuorum perſoluere.

RESPONDEO eos qui non vtuntur Breuiario Pij V. ſed retinent antiquum morem recitandi, teneri ſeruare conſuetudinem ſui loci, & Eccleſiæ, eo modo quo conſuetudo recepta eſt. Itaque ſi priùs ex conſuetudine tenebatur recitare tale officium ſub mortali, eodem modo nunc tenentur. [*Nota.*] Illi verò qui Romano Breuiario vtuntur, ab hac obligatione tam in choro, quàm extra chorum eximuntur, vt expreſsè decernitur in Bulla Pij V. & Clement. VIII. quæ in principio Breuiarij Romani continentur. Eximuntur etiam ab onere recitandi

pſalmos

pſalmos pœnitentiales,graduales, & litanias, quæ olim cani,ac recitari quotidie conſueuerant,vt etiã habetur ex dicta Bulla.Quando autem in Breuiario præcipitur, vt eiuſmodi officia dicantur etiam extra chorum,vtique dicenda ſunt ab omnibus,vt officiũ defunctorum in anniuerſario eorum,& litanię cum precibus in die S.Marci,& tribus Rogationum,pro his qui non adſunt proceſſioni. Qui autem nunc vtuntur Breuiario diuerſo,ſi priùs ex conſuetudine tenebantur ad prædicta officia, modò etiam tenentur,quia tales non gaudent remiſſione Pij V. cùm non aſſumpſerint onus nempe recitandi officium ab eo inſtitutum. Et ideo ita tenent Nau.de orat.c.10. n.3.Azor.lib.10.c.7.q.vlt.& c.16.q.3.& 4. Rodr.p. 1.c.142.n.1. Arag.2.2.q.83.ar.12. Suar.to.2.de Relig.lib.4.c.23.n.6.Filiuc.tract.23.c.6.q.10. & c.7.q. 8.& alij communiter.

QVÆSTIO CCCIII.

An Canonicus eius Eccleſiæ, in cuius choro cani ſolent prædicta parua officia, recitare debeat eadem, cùm priuatim extra chorum horas canonicas perſoluit.

NONNVLLI affirmant eum ad id teneri, quia obligatur diuinum officium recitare more ſuæ Eccleſiæ, ſed ſuæ Eccleſiæ vſu prædicta officia vnà cum horis canonicis ſoluuntur, ergo tenetur ea priuatim recitare.

Alij verò rectiùs docent eum non eſſe ad id cogendum, ſi Breuiario Romano à Pio V. edito vtatur, eo quòd Pius V.immunes,ac liberos ab his paruis

uis officiis b n ficiarios, & clericos reddit, quando priuatim ex ra chorum horas canonicas perſoluit. Et ideò ita ſentiunt Nauar. lib.3. de celebr. Miſſar. conſ.17. Sotus lib.10. q.5. art.4. & alij.

QVÆSTIO CCCIV.

Sed dubitabit aliquis hoc loco. Quóſnam comprehendat, ſiue aſtringat hæc obligatio in choro recitandi prædicta officia, ſingulos in particulari, an communitatem, an denique ad ſolum Prælatum extendatur.

QVIDAM affirmant omnes exiſtentes in choro, dum prædicta officia dicuntur, comprehendere. Quia cùm obliget chorum, conſequenter videtur omnes etiam exiſtentes in choro obligare.

Alij dicunt prædicta officia obligare in choro totam communitatem, neminem verò in particulari: ſicut in ſimili caſu de illo præcepto Geneſ. 1. Creſcite, & multiplicamini, D. Tho. 2.2. q.152. art.2. ad primum cenſet, vbi ait, hoc præceptum Domini non obligaſſe omnes, & ſingulos homines, ſed tantùm ipſam multitudinem. Vnde ſicut prædictum præceptum; Creſcite, & multiplicamini, licèt neminem determinatè obliget, obligat tamen indeterminatè omnes, ita vt tempore neceſſitatis tenerentur illud homines adimplere. Ita ſimili modo ſaltem tempore, quo pauci choro aſſiſtunt; omnes ad illa attentè recitanda tenebuntur, aliàs periculum eſſet vt officia diuina in choro omitterentur.

Ego verò probabilius arbitror illam obligationem

nem recitandi prædicta officia in choro non comprehendere ſingulos, nec communionem, ſed tantùm ipſum Prælatum, vt faciat dicta officia publicè in choro recitari, qui ſi in hoc fuerit negligens, tūc tenerentur ſinguli curare non omitti prædicta officia in choro, ſed de hoc latè ſuprà diximus.

QVÆSTIO CCCV.

An clerici, & beneficiarij, qui proceſſionibus dum litaniæ decantantur, non interſunt, teneantur ſub mortali priuatim eas recitare.

Carolvs Macignus tract. de horis can. c.29. n.18. negat ex eo fundamento, quia putat huiuſmodi litanias non eſſe priuatim recitandas ex præcepto.

Sed veriùs, & probabiliùs alij affirmant, quia hæ ſunt pars diuini officij eo die recitandi, vt patet ex Rubricis & Kalendariis.

Tum quia de ipſis extat conſtitutio cap. Rogationes. de conſecrat. diſt.3. & ideo ita tenent Filiuc. tract.23. cap.7. n.24. & plerique alij.

Ex quo ſequitur, eos, qui ſcienter huiuſmodi litanias prætermittunt, teneri ad reſtitutionem fructuum, pro rata diuini officij, ſuppoſito quòd æquipolleant vni horæ canonicæ. Sed de hoc infrà ampliùs dicemus.

Hæc ſunt, quæ de Horis canonicis mihi viſum eſt eſſe dicenda.

LIBER

LIBER TERTIVS
DE
QVOTIDIANIS
DISTRIBVTIONIBVS.

DISSERVIMVS *hactenus pro ingenii noſtri tenuitate de oratione, & horis canonicis, nunc ſupereſt ad huius operis complementum, vt in hoc libro de quotidianis diſtributionibus agamus. De quibus diſputant Doctores in cap. licèt. de præbendis, & in cap. de cætero. de Cler. non reſid. Nauar. tract. de redd. & de orat. miſcell.* 59. *Couar. lib.* 3. *var. rèſol. cap.* 13. *Azor.* 2. *p. lib.* 7. *cap.* 7. *Graff. p.* 2. *lib.* 3. *cap.* 14. *Petr. Moneta de diſtrib. per totum. Garz.* 3. *p. de benef. cap.* 2. *Macig. de horis can. cap.* 71. *Suar. tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 10. *& plerique alij.*

Qvæstio I.

Quid nomine diſtributionum in iure intelligatur.

Respondeo, intelligi eas portiones prouentuum, qui tribui, & diuidi debent per ſingulas horas inter eos qui in choro diuinis officiis interſunt, vt poſt, & ante multos alios monet Couar. lib. 3. variar. reſolut. cap. 13. num. 1. Et dicuntur *diſtributiones*, à verbo *diſtribuo*, quia iuxta cuiuſque merita,& qualitates, quotidianúmque laborem in Eccleſia ſuſceptum, aliáque munia exercenda, clericis tanquam merces, denariúſque diurnus tribuuntur: eſt enim *diſtribuere* ſuum cuique tribuere. Vnde *iuſtitia diſtributiua* dicitur,quia iuxta vniuſcuiuſque qualitates & merita diſtribuit, vt egregiè tradit Diuus Thom. 2. 2. q. 61. ferè per totum. Dicuntur autem *quotidianæ*, quia diſtribuuntur iis, qui quotidiano miniſterio in celebrandis officiis diuinis Eccleſiæ inſeruiunt.

Qvæstio II.

Quid ſint diſtributiones quotidianæ.

Respondeo, quod ſunt ſtipendium diurnum, quod Eccleſiarum collegiatarum, vel cathedralium beneficiariis exhibetur, quatenus verè,

verè, vel iuris fictione diuinis officiis in choro, pro ſui muneris qualitate inſeruientes, interſint.

In qua definitione ſex ſunt particulæ. Prima eſt, *ſtipendium*, quæ ponitur pro genere, ad inſinuandum quotidianas diſtributiones eſſe veluti ſalarium diurnum, quod canonicis, aliíſve Eccleſiarum collegiatarum clericis, ratione laboris, & ſeruitij impenſi in Domini vinea, ideſt Eccleſia circa diuinum officium debetur, & redditur.

Secunda eſt, *diurnum*, quæ ponitur non ſolùm, quia diſtributiones dietim diſtribuuntur, verùm etiam, quia iis conferuntur, qui quotidie ſingulis horis Eccleſiæ, & choro aſſiſtunt, nam diſtributiones quotidianæ ſunt, licèt ſtatim non ſoluantur, ſed poſt longum tempus, modò in ſolutione habeatur reſpectus ad ſingulas dies. Non addimus, *& nocturnum*, licèt diſtributiones dentur etiam pro nocturnis horis, ſiue quia plures ſunt horæ diurnæ, quàm nocturnæ, & denominatio fieri debet à maiori parte, ſiue quia denominari poteſt à die non artificiali, ſed naturali, qui, vt omnes Doctores tradunt, noctem quoque comprehendit, iuxta illud Prophetæ Pſal. 118. Septies in die laudem dixi tibi. Vnde ſeptem horæ canonicæ promanarunt.

Tertia eſt, *quod Eccleſiarum collegiatarum, vel cathedralium beneficiariis exhibetur.* Quæ ponitur ad explicandum genus perſonarum, quibus diſtributiones conferuntur. Et ad differentiam earum diſtributionum, quæ clericis Eccleſiarum non collegiatarum, puta Rectoribus parochialium,

Capellanis, & ſimilibus ratione ſepulturæ, celebrationis Miſſarum, &c. tribuuntur, cùm tamen hæ diſtributiones ſolùm dentur clericis Eccleſiarum collegiatarum, vel cathedralium.

Quarta eſt, *quatenus diuinis officiis interſint.* Quæ ponitur ad oſtendendam rationem, & cauſam formalem, ob quam hæ diſtributiones clericis Eccleſiarum collegiatarum conferuntur, nimirum vt diuinis officiis in Eccleſia interſint. Dixi verò, *diuinis officiis*, non autem *horis canonicis*, quoniam horarum canonicarum nomine, Miſſarum ſolemnia non comprehenduntur, vt rectè monet Nauar. de oratione cap. 3. num. 29. quibus tamen certa diſtributionum portio aſſignatur, vt conſtat: at verò appellatione diuinorum officiorum ſatis continentur, tam ipſa Miſſarum ſolemnia, quàm etiam horæ canonicę, vt apertè colligitur ex cap. Dolentes. de celeb. Miſſarum, vbi Innoc. III. cùm duplicem exceſſum clericorum poſuiſſet circa horas, & ſolemnia Miſſarum, diſtrictè præcipit, vt diuina officia ſtudiosè, pariter & deuotè celebrent.

Dixi, *interſint*, non autem *reſideant*, vt admonerem non poſſe beneficiarios diſtributiones percipere, ſi in loco, vbi ſitum eſt beneficium, aſſiduè reſideant, niſi etiam diuinis officiis interſint, Eccleſiæ inſeruientes.

Quinta eſt, *verè, vel iuris fictione.* Quæ ponitur ad ſignificandum, quòd non ſolùm dantur diſtributiones beneficiariis, qui verè, realiter, & perſonaliter diuinis officiis interſunt, ſed etiam qui à iure habentur, ac ſi verè intereſſent, quales ſunt infirmi, vel ſenio confecti, vel abſentes ob iuſtam, & rationabi

rationabilem corporis neceſſitatem, aut propter Eccleſiæ vtilitatem, vt habetur in cap. vnico de cler. non reſid. & nos fuſiùs inferiùs oſtendemus.

Sexta, & vltima particula eſt, *pro ſui muneris qualitate inſeruientes.* Quæ ponitur ad inſinuandum primò, quòd qui in Eccleſia collegiata, vel cathedrali maiorem habet dignitatem, maiores quoque debet habere diſtributiones, vt optimè Abbas communiter receptus in cap. Cùm olim. in 6. de ſent. & re iud. annotauit. Idque ex quibuſdam ſacrę Congregationis reſponſionibus colligit Garz. de benef. p. 3. cap. 2. nu. 460. ſic explicans verbum illud, *proportionabiliter*, poſitum in ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 21. cap. 3. de reformatione.

Secundò ad ſignificandum, quòd ad lucrandum diſtributiones, non ſufficit diuinis officiis intereſſe, ſeu choro perſonalem corporis præſentiam exhibere, ſed debent etiam in celebrandis diuinis officiis eccleſiæ inſeruire, ac miniſterium eorum celebrationi, & altari exhibere.

QVÆSTIO III.

An appellatione fructuum beneficij diſtributiones quotidianæ comprehendantur.

NALDVS verb. diſtributiones nu. 1. affirmat, comprehendi.

Sed contraria ſententia eſt veriſſima, vt conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reformat. §. præterea, vbi cùm conſtituiſſet ſancta Synodus, eos qui obtinét canonicatũ, dignitates, prębendas,

aut portiones in Eccleſiis collegiatis, ſi vltra tres menſes ab iiſdem Eccleſiis abfuerint, primo anno priuari dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ, ac reſidentiæ fecerunt ſuos, & ſi iterum eadem vſi fuerint negligentia, priuari omnibus fructibus, quos eodem anno lucrati fuerint. Subdit, diſtributiones verò, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant. Dictio enim illa aduerſatiua, *verò*, poſita inter fructus, & diſtributiones, apertè oſtendit, ea inter ſe potius aduerſari, quàm quòd alterum alterius appellatione contineri poſſit. Et ratio huius eſt, quia fructus qui ex beneficio percipiuntur, ſunt annui redditus, qui ex certis Eccleſiæ bonis colligi ſolent. At diſtributiones ſunt portio conflata ex prouentibus beneficij, quæ pro rata proportione iuxta cuiuſque merita confertur quotidie inſeruientibus diuinis officiis.

Tum quia fructus rei alicuius, eſt qui ex re ipſa prouenit, at verò quamuis ex beneficio clericus ius habeat lucrandi diſtributiones, id tamen habet non immediatè, & per ſe ratione beneficij, ſed ratione laboris, & ſeruitij Eccleſiæ præſtiti, cuius duntaxat intuitu dantur diſtributiones: fructus autem beneficij, eo ipſo beneficiario competunt, quòd beneficium ex titulo canonico, & legitimo obtineat, modò tamen diuinum officium priuatim recitet. Et ideo ita tenent Couar. lib. 3. var. reſolut. cap. 13. nu. 1. Rodr. tom. 2. de Regul. q. 74. ar. 4. Azor. 2. p. lib. 7. cap. 7. q. 7. Vaſq. de benef. cap. 10. §. 3. Macig. de diſt. cap. 71. nu. 4. & alij.

Hinc, qui ob perpetratum crimen priuatur fructibus beneficij, non ob id cenſetur priuatus diſtri

diſtributionibus. Et ratio eſt, quia niſi aliud exprimatur, propriè loquendo appellatione fructuum, non veniunt diſtributiones, niſi beneficium in ſolis diſtributionibus conſiſtat, quia tunc ne ſententia ſit eluſoria, priuatus fructibus cenſetur priuatus diſtributionibus.

Hinc, qui habet priuilegium à Papa, vt abſens poſſit integrè percipere fructus beneficij ſui, ac ſi præſens, & reſidens eſſet, non poteſt diſtributiones tempore abſentiæ reſpondentes recipere. Ratio eſt, quia diſtributiones non eo ipſo, quo clerici in Eccleſia reſident, ſibi lucrantur, ſed quo præſentes in choro diuinis officiis ſtatis horis interſunt, vt habetur in cap. vnico. de cler. non reſid. & tradit Couar. lib. 2. var. cap. 13. num. 2.

Hinc, cùm penſio alicui beneficio imponitur, non intelligitur in diſtributionibus impoſita, cùm beneficium fructus reddat à diſtributionibus ſeparatos, niſi beneficium in ſolis diſtributionibus conſiſtat, aut niſi Papa aliud exprimat. Ratio eſt, quia penſio conſtitui ſolet ſuper fructibus beneficij, diſtributiones autem non intelliguntur nomine fructuum, ſed ab ipſis diſtinguuntur.

Hinc licèt petens beneficium, teneatur ſecundùm regulas Cancellariæ pretium illius fructuum manifeſtare Prælato, non tenetur tamen valorem diſtributionum dicere. Et ratio eſt, quia diſtributiones incertæ ſunt, nec ad certam ſummam reduci poſſunt, quia incertum eſt, num quis intereſſe poſſit, ſed ſufficit principale exprimere, cùm diſtributiones non comprehendantur nomine fructuum beneficij, nec in eius valore computari ſoleant.

Qvæstio IV.

An appellatione redditu um, ſeu prouentuum beneficij, quotidianæ diſtributiones comprehendantur.

Respondeo non comprehendi, vt conſtat ex cap. licèt. de præbendis, vbi ſic dicitur. *Prouentus ſuos eccleſiaſticos faceretis integrè miniſtrari, nolumus tamen, vt quotidianas diſtributiones percipiant.* Et cap. 2. de priuilegiis lib. 6. in fine, vbi de abſentibus cauſa ſtudij dicitur. *Recipiant integrè prouentus ſuos eccleſiaſticos, ſicut illi,* cùm tamen abſentes cauſa ſtudij non percipiant diſtributiones. Et ratio huius eſt, quia redditus dicuntur, eo quòd reddunt ſingulis annis: at quotidianę diſtributiones non reddunt ſingulis annis, ſed dietim, aut per ſingulos menſes, aut ſæpe ſaltem in anno diſtribuuntur. Et ideo ita tenet Rodriq. tom. 2. de Regular. q. 74. art. 4. & plerique alij.

Qvæstio V.

Quo iure introductæ ſint diſtributiones.

Petrvs Moneta 1. p. de diſtributionibus q. 5. num. 19. putat eſſe de iure naturali, & diuino. Sed non placet, quia in nullo ſacræ ſcripturæ loco, vel Eccleſiæ traditione, vel Patrũ authoritate habemus

habemus de quotidianis diſtributionibus,ergo diſtributionum vſus de iure naturali & diuino non eſt,cùm Deus ius ſuum poſitiuum aliquo ſcripturæ teſtimonio, vel Apoſtolica, & Eccleſiaſtica, vel Patrum authoritate indicare conſueuerit.

Tum quia ius naturale ſemper, & vbique idem eſt, ſed ante Concilium Tridentinum vſus diſtributionum non erat in omnibus Eccleſiis,vt conſtat ex illis verbis Concilij ſeſſ.21. cap.3. *Statuit ſancta Synodus in Eccleſiis,in quibus nullæ ſunt diſtributiones*, &c. Ergo diſtributiones non ſunt de iure naturali.

Tum demum, quia ſequeretur, quòd ſummus Pontifex non poſſet cum abſente diſpenſare,vt diſtributiones tempore abſentiæ ſumere poſſet, ac proinde,ſi diſpenſaret,nulla eſſet diſpenſatio, cùm Romanus Pontifex in iure naturali, & diuino diſpenſare nequeat. Quare dicendum eſt,iure tantùm poſitiuo Eccleſiaſtico, diſtributionum vſum eſſe introductum,vt apertè colligitur ex cap. Licèt de præbendis. cap. fin. de conceſſ. præben.cap.de cætero. cap. vnico de cler. non reſid.& ex Concilio Tridentino citato.

QVÆSTIO VI.

Qua de cauſa introductæ ſint quòtidianæ diſtributiones.

RESPONDEO ad manutenendum,& augendum cultum diuinum,vt conſtat tum ex conſtit.55. Pij V. in principio ibi. *Volentes igitur quantum in*

nobis eſt, diuino cultui conſulere. Tum ex ſacro Concilio Trident ſeſſ. 21. cap. 3. in illis verbis. *Cùm beneficia ad diuinum cultum, atque Eccleſiaſtica munia obeunda ſint inſtituta, ne qua in parte minuatur diuinus cultus, ſancta Synodus ſtatuit,* &c. Vnde ſicut homines amore præmij faciliùs trahuntur ad obſequium aliquod præſtandum, ita beneficiarij ſpe lucrandi diſtributiones ad intereſſendum diuinis officiis in Eccleſia alliciuntur. Nauar. tract. de orat. cap. 18. n. 10.

QVÆSTIO VII.

Quibuſnam diſtributiones quotidianæ debeantur.

RESPONDEO canonicis, aliiſque collegiatarum, ſeu cathedralium Eccleſiarum clericis, qui in choro diuinis officiis interſunt, & inſeruiunt, vt conſtat ex cap. vnico. de cler. non reſid. in 6. vbi Pontifex conſuetudinem damnat, qua diſtributiones quotidianæ dantur beneficiariis reſidentibus, quámuis diuinis officiis, quibus debent horis non interſunt. Vbi perſpicitur, magnum eſſe diſcrimen inter reſidentiam, & intereſſentiam. Nam reſidentia eſt illa, per quam quis in Eccleſia ſua corporalem præſentiam, licèt non continuam, exhibet, intereſſentia verò eſt, cùm choro addictus, continuè adeſt diuinis officiis, in iiſque Eccleſiæ inſeruit. Azor. p. 2. lib. 7. c. 7. q. 5.

Ex quo colligitur, canonicum qui choro non intereſt, non poſſe diſtributiones percipere, quia diſtri-

diſtributiones ſolùm intereſſentibus, & recitantibus debentur. Quod procedit primò etiam in tribus illis menſibus, qui in Concilio Trid. ſeſſ. 24. c. 12. permittuntur. Licèt enim Canonici eo tempore abſentes non priuentur fructibus beneficij, diſtributiones tamen non lucrantur, vt teſte Bonac. d. 2. q 1. Sacra Congregatio Concilij declarauit.

Secundò procedit, etiamſi pro primis ſex menſibus non interſit. Quia quamuis beneficiarius qui primis ſex menſibus à die poſſeſſionis beneficij officium non perſoluit, lucretur fructus ex Bulla Pij V. diſtributiones tamen non acquirit, quia Pontifex de iis non loquitur, cùm fructus à diſtributionibus diſtinguantur, & diſtributiones ſolùm intereſſentibus competant. Quod puto veriſſimum, etiamſi beneficium in ſolis conſiſtat diſtributionibus, vt teſte Garz. 5. p. cap. 2. n. 250. Sacra Congregatio, quæ interpretationibus ſacri Concilij preeſt, declarauit.

QVÆSTIO VIII.

An conſuetudine introduci poſſit, vt in abſentia quis percipiat diſtributiones.

RESPONDEO non poſſe. Et ratio eſt, quia Bonifacius VIII. damnat in vniuerſum quamuis conſuetudinem, qua diſtributiones conferuntur beneficiariis choro non intereſſentibus: nam cùm tres cauſas excipiat, reliquas omnes reprobaſſe cẽſetur. Quam conſtitutionem Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. c. 11. innouauit his verbis. Diſtributiones verò, qui ſtatis horis interfuerint, recipiant, reliqui

reliqui verò careāt iuxta Bonifacij VIII.decretum, quod incipit, *Conſuetudinem*,&c. Quod ſanctà Synodus in vſum reuocat, non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis,& conſuetudinibus.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm Canonici teneantur diuinum officium canendo recitare.

RESPONDEO teneri, vt conſtat ex cap. fin. d. 92. vbi habetur clericos choro deſtinatos debere ad Eccleſiam conuenire ad quotidianum pſallendi officium,is autem,qui ſubmiſsè diuinum officium perſoluit,non dicitur pſallere.

Tum quia quilibet tenetur munus ſuum obire, munus autē Canonici eſt canere,ideſt alta voce recitare.Ita Sotus lib.10.de iuſt.& iure q.5.ar.4.Macig.de horis canonicis cap.66.& Bonac.d.2.q.1.p.3. & alij communiter.

Hinc, qui in choro diuinum officium perſoluit ſed ſecretè illud pronunciat,muneri chori non ſatisfacit,ac proinde diſtributiones quotidianas non lucratur. Et ratio eſt, quia hic de numero chori non cenſetur,cùm teneatur illum adiuuare, taliter vt ſeipſos audiant adinuicem.

Hinc, qui in choro intelligibili voce, ſed non alternatim cum aliis diuinum officium recitat, ſuæ obligationi non ſatisfacit. Et ratio eſt, quia diſtributiones dantur peculiariter ad hoc, vt alternatim cum aliis cantet, & pſallat in choro, & ſi id non efficit, reſtituere diſtributiones tenetur,

ſiquidem

ſiquidem munus ſuum non implet. Vaſq. de benef. c.4.dub.4.§.3.

QVÆSTIO X.

An qui in choro ſuos verſus alta voce cantat, alios verò qui ab alio choro cantantur, ſubmiſsè recitat, obligationi diuini officij, & debito chori ſatisfaciat.

RESPONDEO ſatisfacere. Et ratio eſt, quia ex vi præcepti obligatur ad recitandum totum officium integrè in choro, ſiue totum dicendo, ſiue partim dicendo, partim audiendo: id autem præſtat, qui ſic facit, ergo. Ita Bonacina de diſtrib. diſp.1.q.3.p.2.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm Canonicus poſſit alium in ſui locum ſubſtituere, & diſtributiones capere.

RESPONDEO non poſſe, vt conſtat ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 12. de reformat. vbi decernitur, vt omnes canonici, aliíque choro deputatí teneantur diuina per ſe, & non per ſubſtitutos obire officia. Et ratio huius eſt, quia recitatio diuini officij in choro perſoluendi eſt perſonalis, obligatio autem perſonalis non poteſt ab alio adimpleri, vt patet in ieiunio, vel auditione Miſſæ debita

debita ex præcepto, &c. Et ideo ita tenent Nauar. Bonacina,& alij communiter.

QVÆSTIO XII.

An canonici aſſiſtentes tantùm perſonaliter choro,& ibi non recitantes, ſed domi, eos fructus ſibi acquirant, quos quotidianas diſtributiones appellant.

IN qua re certum eſt in primis, quòd ſi canonici domi diuinum officium perſoluant,ſi tamen ſui præſentiam corporalem in choro non exhibent, non lucrantur diſtributiones in foro conſcientiæ, vt optimè reſoluit Concilium Tridentin. ſeſſ. 24. cap.12.

Secundò etiam eſt certum,quòd ſi Canonici capellanos,ſeu Manſionarios non habent, vel ſi eos habent,non adſunt, tenentur ipſi horas canonicas pſallere ſub onere reſtitutionis. Nam tunc nec per ſe,nec per alios officium ſuum adimplent,& Eccleſiam defraudant debito ſeruitio horarum canonicarum, ob quod ſicut ob cauſam totalem, vel ſaltem principalem,dantur illis in ſtipendium diſtributiones.

Tertiò etiam eſt certum, non teneri Canonicos canere,quando officium in choro dicitur cantu figurato,aut firmo, ſed ſatis eſſe, quòd habeant capellanos, aut Manſionarios, qui id muneris exequantur,vnde quamuis tunc taceant, nec peccant,

nec

nec reſtituere tenentur,vt patet ex communi conſuetudine totius orbis recepta, tolerata, & approbata,Papa cæteríſque Prælatis videntibus,& tacentibus. cùm non deceat eorum grauitatem, illo genere cantus vti.

Tum quia nullus canon, nulla conſtitutio, nulla ratio cogit Canonicos eo genere cantus canere, cùm nullum de eo præceptum reperiatur.

Quartò, & vltimò, etiam eſt certum, quòd ſi ſubſit aliqua cauſa iuſta non cantandi in choro vt infirmitas, vel aliquid huiuſmodi, tunc Canonici non cantantes nec peccabunt, nec diſtributiones amittent,vt habetur in c.vnic. de cler.non reſid.& tradit Petr.Nau.lib.2.de reſtit.cap.2. dub.3. numero 207.

Hinc, qui ob defectum vocis non canit, non peccat,ſed poteſt diſtributiones percipere. Nauar. de orat.cap.11.nu.41.

Hinc,qui non canit,quia eſt occupatus in quærendo pſalmos,antiphonas, in præuidendo lectionem,aut reſponſorium à ſe canendum, deferendo candelabrum, aut thus, vel prunas ad thurificandum,& huiuſmodi,non peccat,ſed lucrifacit diſtributiones quotidianas, quamuis poſtea teneatur priuatim ſupplere quod omiſit,ſecundùm Nauarr. de oratione capit. 10. numero 69. & 70. qui id temperat capit. 11. numero 36. modò commodè id ante, vel poſt tempus horarum fieri non potuerit

QVÆSTIO XIII.

Totum igitur controuerſiæ diſſidium verſatur, An canonici aſsiſtentes, & non canentes ſine iuſta cauſa, poſsint diſtributiones lucrari.

PETR. Nauar.lib.2.de reſtit.cap.2.dub.3. n.217. Aragona 2.2.q.83.ar.13. Leſſ.lib.2.de iuſt. cap. 34.dub.33.& Garz.p.3.cap.2.n.514.affirmant poſſe, dummodo Manſionarios, aut Capellanos habeant,qui officium in Eccleſia cantent, & ipſi illud domi recitent,præſentéſque ſint choro, attendentes ſaltem ad verba,vel attentione quadam ſaltem externa corporis ſint aſſiſtentes.

Sed cæteri communi conſenſu negant, & meritò quidem, quia diſtributiones canonicis conferuntur, vt choro inſeruiant: ſed ſi non canunt, non inſeruiunt choro, nec ſatis eſt, vt aſſiſtant, quia aſſiſtentia non per ſe intenditur, niſi in ordine ad pſallendum in choro, ſicut operarius non conducitur vt vineæ aſſiſtat, ſed vt operetur.

Tum quia beneficium datur propter officium, cap.fin.de reſcrip. in 6. Sed officium canonici eſt, vt in choro cum aliis alternatim diuinum officium perſoluat,ergo niſi in choro pſallat,non poteſt diſtributiones percipere.

Tum quia, licèt canonici ſatisfecerint domi obligationi recitandi horas, in quantum clerici

in

in ſacris, non ſatisfaciunt, tamen in quantum ſunt Canonici quia ſic tenentur ire ad Eccleſiam,& aſſiſtere choro perſonaliter recitantes officium diuinum,non verò aſſiſtere loquendo inuicem, & perturbantes communitatem,ita vt videatur magis domus conuerſationis,quàm orationis,

Tum quia, vt ait Caietanus in ſumma verb. horæ, non ſatisfacit præcepto dicendi diuinum officium, qui eſt in choro, & partem dimidiam non canit, etiam ſi illam recitet ſubmiſsè, & aliam dimidiam partem audiat, ergo multò minùs ſuæ obligationi ſatisfaciet, ſi nullam partem ibi cum aliis recitet. Nam ratio chori conſiſtit in communicatione vnius cum alio, ita vt quidquid diuini officij ibi dicitur,ſit commune alteri, ſed non poteſt eſſe commune alteri, quando dicit ſibi ſoli, quia vt ſic, eſt ſibi proprium. Quare recitans per ſe, & non cum aliis, non ſatisfacit obligationi annexæ choro, atque adeò nec diſtributiones huic coniunctas lucrabitur.

Tum quia in Concilio Tridentino ſeſſ.24. cap. 12.de reformat.decernitur, vt omnes Canonici per ſe diuina,& non per ſubſtitutos compellantur obire officia, atque in choro ad pſallendum inſtituto hymnis, & Canticis Dei nomen reuerenter, diſtinctè,deuotéque laudare.Et in Conſtit. Pij V.quæ incipit. *Ex proximo Lateranenſi Concilio*, &c. Romanus Pontifex decernit,vt Canonicus, qui non pſallit in choro, licèt præſens adſit,diſtributiones amittat,quas alioqui lucrifeciſſet, ſi cantaſſet.

Ex quo colligitur, debere Canonicos ad diſtributiones lucrandas, perſoluere horas canonicas in choro cum aliis, tenerique ad pſallendum,

& recitandum partem ſuam, non qualitercunque, ſed vt communem ſibi,& aliis, quia debet eſſe vt pars chori, & per conſequens vt per audibilitatem communicabilis aliis,ac ideo ſubmiſsè dicẽdo,cùm vt ſic,non ſit pars communis officij, quia non participatur ab aliis per audibilitatẽ,non ſatisfacere ſuæ obligationi,nec poſſe diſtributiones accipere,immò ad eaſdem reſtituendas aliis Canonicis obligari, quòd ſi non præſtiterit, non poſſe abſolui. Et ideo ita tenent Nauar.de orat.cap.10.num.47. & cap.11. nu.41.cap.13.nu.17. & Miſcell.79. Caieta.tom.1. opuſc.tract.3. reſp.8. Sot.lib.10. de iuſt. q.5. art.4. Couar.lib.3. var.cap.13. in principio. Azor.lib.10. cap.11. q.5. Rodr.1.p.cap.147. concluſ.5. Suar.lib. 4.cap.12. num.8.9. & 10. & Paulus Comitol. reſp. mor. lib. 1.q. 62. num.2. vbi etiam teſtatur ſacram Congregationem declaraſſe Canonicos muneri ſuo non ſatisfacere,niſi in choro pſallant.

QVÆSTIO XIV.

An conſuetudine introduci poſſit, vt Canonici choro intereſſentes, & per alios canentes poſint diſtributiones acquirere.

RODRIQ. 1.p.cap.145.nu.5. Graff.lib.2.deciſ. cap.52. nu.22. Moneta de diſtrib. 2.p. q.2.nu. 31.& multi alij negant, ducti eo fundamento, quia conſtitutio Pij V. non ſolùm quamuis conſuetudinem in contrarium improbat, verùm etiam decernit huiuſmodi conſuetudinem eſſe irrationabilem, & iniquam: nulla autem conſuetudine introduci

troduci poteſt, vt id quod eſt ex ſe iniquum, licitè fieri queat.

Sed quamuis ſententia hæc ſit valdè probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum vbi viget conſuetudo, vt Canonici non pſallant in choro, niſi per Manſionarios, vel Capellanos, poſſe ſibi acquirere diſtributiones. Et ratio eſt, quia vt Canonici per ſe ipſos in choro diuinum officium perſoluant, eſt ſolùm de iure poſitiuo: conſuetudo autem induci poteſt contra ius poſitiuum, vt conſtat, ergo.

Tum quia illud per conſuetudinem introduci poteſt, quod poteſt priuilegio concedi, priuilegio autem ſummi Pontificis concedi poteſt, vt quis in choro per alium officium diuinum perſoluat, ergo.

Tum quia valet conſuetudo, quæ paruum, aut nullum præiudicium affert Eccleſiæ, vt ex cap. cùm omnes, de conſt. cum Curtio, Panor. & aliis reſoluit Moneta 2. p. q. 3. nu. 44. Hæc autem conſuetudo eſt huiuſmodi, vt conſtat, cùm alij ſint, qui loco canonicorum diuinum officium perſoluunt, ergo.

Tum demum, quia conſuetudo legem abrogare poteſt, quoties à iure non reprobatur. A iure autem non reprobatur conſuetudo, vt quis per alium inſeruiat. Et ideo ita tenēt Caiet. in ſum. verb. Horæ in fine. Petr. Nau. de reſt. lib. 2. c. 2. n. 217. Arag. 2. 2. q. 83. art. 13. Leſſ. lib. 2. c. 34. dub. 33. Garz. 3. p. c. 2. nu. 517. Azor. li. 10. c. 11. q. 6. & Suar. li. 4. c. 12. n. 13.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpondeo, conſtitutionem Pij V. non loqui de aſſiſtentibus choro, & per alios recitantibus ex præſcripta conſuetudine, quæ non cenſetur reprobari, niſi exprimatur.

QVÆSTIO XV.

An hæc conſuetudo poſt Concilium Tridentinum, & prædictam Pij V. conſtitutionem valeat.

Respondeo valere, vbi moribus vtentium fuerit recepta, ſiue continuata poſt Concilium Tridentinum, quoniam in hac etiam parte Concilio Tridentino, & conſtitutioni Pij V. conſuetudo poteſt derogare.

QVÆSTIO XVI.

Quantum temporis requiratur, vt huiſmodi conſuetudo legitimè introducta cenſeatur.

Navar. vt refert Suar. lib. 4. cap. 12. num. 13. requirit tempus immemorabile.

At verò Azor. lib. 10. cap. 11. quæſt. 6. & Suarez loco citato docent ſufficere ſpatium quadraginta annorum.

QVÆSTIO XVII.

An qui ſponte animo diſtracto diuinum officium perſoluit, vel ad ſocios recitantes non attendit, diſtributiones quotidianas lucretur.

Petrvs

PETRVS Moneta de diſtrib.p.3.q.7.nu.75. & Garzias 3.p.de benef.cap.2.nu.514. affirmat lucrari,nec ad illarum reſtitutionem teneri.

Contrarium tamen eſt proculdubio affirmandum. Ducor, quia diſtributiones non conferuntur ob ſolam corporalem, & materialem præſentiam, ſed ob formalem,& humanam, quæ neceſſariò requiritur ad orandum, vel participandum in oratione, nec dicitur præſens, modo ab Eccleſia præſcripto,qui non attendit.

Hinc qui,dum horæ canonicæ in choro recitantur, ſubſcribunt epiſtolis, ſcripta legunt,confabulantur, aut etiam aliud officium perſoluunt, aut quid ſimile faciunt,quod ad id quod recitatur, non pertinet, ſuo muneri non ſatisfaciunt, nec lucrifaciunt diſtributiones.Nauar.de orat.c.10.n.12.

QVÆSTIO XVIII.

An qui alternatim diuinum officium perſoluunt, ad vtrumque chorum canentem attendere teneantur.

RESPONDEO teneri. Et ratio eſt, quia ex vi præcepti tenentur hi integrum officium diuinum audire: at qui non attendunt, eo ipſo neque audiunt eo modo, quo debent, neque concurrunt ad partem illam,ergo perinde eſt, ac ſi omitterent. Nec ſatisfaciunt dicendo eam priuatim,quia tenentur ſatisfacere non modò orationi priuatæ, ſed publicæ totius chori, & totam quodammodo ſuam facere,Ita Filiuc. tract.23.cap.6.

QVÆSTIO XIX.

An Canonicus ſuæ obligationi recitandi officium ſatisfaciat, qui ſuos verſiculos ad ſe pertinentes recitat, ſed alios quos alter chorus dicit, non percipit, quamuis attendat.

EMMANVEL Sà vel horæ Canonicæ num.9.tenet eum ſatisfacere.

Ego verò contrarium verius puto, cum Suarez lib.4. cap.30. num.15. & Bonacina diſp.1.q.3.p.2. num.20. Ducor, quia ille non ſatisfacit percepto, qui non recitat diuinum officium, vel non communicat in illis verſiculis, qui ab altero choro canuntur: hic autem qua parte non audit canentes, non recitat, nec communicat in illa parte, quæ à ſociis canitur, ergo non ſatisfacit præcepto, ac proinde tenetur priuatim ſupplere.

Exiſtimat tamen Suarez lib.4. cap.30. hunc poſtquam ſuppleuit, poſſe diſtributiones percipere.. Et ratio eſt, quia hic verè dicitur aſtitiſſe choro, & communicaſſe ſuam partem aliis, neque per ipſum ſtetiſſe, quin partem ab aliis recitatam audiret: conditio enim cenſetur adimpleta, quando non ſtat per eum, qui eam adimplere debet.

QVÆ

QVÆSTIO XX.

An qui ob mortalem finem diuinum officium perſoluit, ſuo muneri ſatisfaciat.

RESPONDEO ſatisfacere, quoad ſubſtantiam præcepti, nec teneri ad reſtitutionem, modò cum debita attentione, & intentione orandi illud recitet. Quia hic verè orat, nec prauus finis tollit ſubſtantiam operis. Et ideo ita tenent Nauarr. de orat. cap.20.nu.29. & Suar.tom.2. de Relig. lib.4. cap.3.num.5.

QVÆSTIO XXI.

An qui in eadem Eccleſia licitè duas habet præbendas, vt ſi ſimul ſit Archidiaconus, & Canonicus, vna intereſſentia diſtributiones duplices acquirat?

COVAR.lib.3.var.c.13.n.6. Vaſq.de benef.c.4. dub.1. §.3.& Naldus verb.Canonicus n.1.docet hunc duplices diſtributiones lucrari.

Sed verius,ac probabilius multò eſt, quod tenent Azor.p.2.lib.7.cap.7.q.13.Garz.3.p. de benef. cap.2.n.185.& Bonac.diſp.2.q.6.p.3. nimirum obtinentē duas præbendas nō poſſe duplicatas habere diſtributiones. Et ratio eſt, quia diſtributiones non debentur,aut dantur ratione beneficij, ſed præſentiæ, muneris, & officij, quod quis in Eccleſia facit,

vt patet ex textu dicti cap. vnic. de cler. non reſid. & nos latius explicauimus in definitione diſtributionum quæſt. 2. At vnus, & idem, licèt duo beneficia in eadem Eccleſia ſimul obtineat, duo tamen munera, & officia ſimul non obit, ergo par non eſt, vt duas capiat diſtributiones.

Nec valet reſponſio Abbatis cap. cùm olim. in 6. nimirum hunc intereſſe, & vt Canonicum, & vt Archidiaconum, quia adhuc non poteſt niſi ſemel intereſſe, & vnico tempore vnicum Eccleſiæ ſeruitium exhibere.

Nec etiã valet reſponſio Felini loco citato, quod vtramque repræſentat perſonam, vnde cum nõ poſſit aſſignari ratio, cur magis dentur quotidianæ diſtributiones ratione Archidiaconatus, quàm Canonicatus, debentur ex vtraque ratione. Quia dici poteſt, deberi vel vnicam diſtributionem ex vtraque parte, vel eam, quæ reſpondet Archidiaconatui tanquam digniori, vel ſi vtraque beneficia ſint æqualia, ex altero indeterminatè, vel ex eo quòd maluerit is eligere, qui vtramque obtinet.

Obiicies, ſi duo officia vniantur, debentur duo ſalaria vtrumque habenti.

Reſpondeo id eſſe verum, quia duplicato labori, duplex merces debetur, at verò in caſu noſtro vnicus eſt labor, & vna intereſſentia, propter quàm dantur quotidianæ diſtributiones.

Dices, poteſt quis duplici officio fungi, ergo & emolumentum vtrique officio aſſignatum percipere.

Reſpondeo, antecedens eſſe verum, quãdo exercitium vnius alterum non impedit, at in caſu noſtro non ſolùm duæ intereſſentiæ ſe impediunt in

vnica perſona, ſed etiam implicat, vt ſimul ſint eodem tempore.

Dices, qui Archidiaconus ſimul & Canonicus eſt, habet duas voces in Capitulo, ergo.

Reſpondeo negando conſequentiam. Et ratio negationis eſt, quia habere duas voces, ei competit in conſequentiam dignitatis: & quia ad hoc vt clericus habeat vocem, ſolùm ſufficit quòd habeat ius canoniæ; at verò vt habeat diſtributiones, requiritur etiam realis intereſſentia: quæ duplicari non poteſt.

Dices, qui plura beneficia obtinet, vna recitatione fructus omnium acquirit, ergo etiam diſtributiones omnium vnica intereſſentia lucratur.

Reſpondeo negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt, quia illud legitima conſuetudine, & moribus omnium plura beneficia habentium, comprobatum eſt, ſciente, & permittente ſummo Pontifice: circa diſtributiones verò non extat huiuſmodi conſuetudo, vel permiſſio.

Tandem eſt concluſio definita à Sacra Congregatione, quæ teſte Garz. loco citato bis declarauit, obtinentem legitimè duas dignitates, debere in digniore reſidere, & poſſe fructus præbendæ alterius dignitatis percipere, non tamen quotidianas diſtributiones, quæ illi reſponderent. Quam doctrinam cenſeo eſſe veriſſimam, ſi eodem tempore diuina officia recitentur, quia cùm in aliqua ex iis Eccleſiis, diuinis officiis non interſit, illius diſtributionibus carere debebit. Secus ſi ex diſpenſatione Apoſtolica Canonicus quis ſit in pluribus Eccleſiis, quia tunc pro tempore, quo in eiſdem diuinis intereſt, lucrari poterit vbique diſtributio-

nes, cùm id faciat, ad quod illæ tribuuntur, & alioqui iuſtè retineat vtrumque canonicatum, cuius ratione capax quis eſt diſtributionum. cap. Dilectus. At verò iure communi ad lucrandas diſtributiones omninò requiritur intereſſentia, quæ regulariter multiplicari non poteſt.

QVÆSTIO XXII.

An per conſuetudinem fieri poſſit, vt habens dignitatem, & canonicatum, vel duos canonicatus, vna intereſſentia, vtriuſque canonicatus diſtributiones capiat.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia quod poteſt fieri per diſpenſationem, poteſt etiam per conſuetudinem iuſta de cauſa introduci; Sed hoc poteſt fieri per diſpenſationem Pontificis, vt conſtat, ergo etiam per conſuetudinem.

¶ Tum quia conſuetudine receptum eſt, vt obtinens plura beneficia, vnica diuini officij recitatione omnibus beneficiis ſatisfaciat, & fructus omnium acquirat, ergo etiam conſuetudine induci poteſt vt habens plures canonicatus in eadem Eccleſia, vnica intereſſentia binas diſtributiones capiat. Ita Couaruu. lib. 3. var. capit. 13. numer. 6.

QVÆSTIO XXIII.

Sed quæres, quantum temporis ſufficiat ad hanc conſuetudinem legitimè introducendam.

RESPONDEO, ſufficere ſpatium quadraginta annorum. Et ratio eſt, quia hæc conſuetudo eſt contra ius commune. At quando conſuetudo eſt contra ius commune, quadraginta annorum ſpatium requiritur, vt in materia de legibus communiter Doctores tradunt, & nos latiùs diximus in Speculo confeſſariorum.

QVÆSTIO XXIV.

Ex quibus cauſis Canonici abſentes licitè poſsint diſtributiones quotidianas acquirere.

RESPONDEO ex tribus duntaxat, expreſſis in cap. vnico. de clericis nō reſid. in 6. Videlicet ſi infirmitas Canonici, aut iuſta, & rationabilis corporis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſet. Dum enim Romanus Pontifex ab illis abſentibus, ſeu diuinis non intereſſentibus, quos non vult de quotidianis diſtributionibus participare excipit hos tres caſus, apertè decidit iſtos ad earum participationem eſſe admittendos.

QVÆ

QVÆSTIO XXVI.

An quælibet infirmitas excuſet ab obligatione intereſſendi, vt diſtributiones lucretur.

RESPONDEO minimè, ſed ea ſolùm excuſat, quæ impedit quominus Canonicus choro intereſſe poſſit.

Tum quia non quælibet infirmitas excuſat ab obligatione recitandi diuinum officium, ergo nec quælibet infirmitas excuſat ab obligatione intereſſendi, vt diſtributiones lucretur.

Ex quo infert Nauar. de orat. cap. 19. num. 82. neque ſurditatem, neque cæcitatem eſſe infirmitatem ſufficientem ad lucrandas diſtributiones quotidianas, non eundo ad chorum.

Et per grauem infirmitatem hoc loco intelligitur, non ſolùm illa, quæ abſolutè grauis eſt, verùm etiam, quæ abſolutè leuis eſt, ſed acceſſu ad chorum grauis efficeretur. Quæ autem infirmitas ſit leuis, aut grauis, medici, aut viri prudentis conſilio iudicandum relinquitur.

QVÆSTIO XXVII.

An infirmus qui ante infirmitatem choro aſſiſtere non ſolebat, poſſit nunc tempore infirmitatis diſtributiones lucrari.

PETRVS Nauarra lib. 2. de reſtit. cap. 2. dub.3. affirmat poſſe.

Contrarium tamen verius, & probabilius videtur, nempe eum qui cùm bene valet, diuinis officiis in choro intereſſe non ſolet, non poſſe diſtributiones lucrari. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe ob infirmitatem, cùm infirmitas per accidens ſe habeat ad abſentiam, nec poteſt dici cauſa, cur in Eccleſia ſuum officium non præſtet, quia quo tempore bene valet, in Eccleſia inſeruire non ſolet: at in cap. vnico citato, excipitur abſens cauſa infirmitatis. Et ideo ita tenent Sylueſt. verb. beneficium 5. q.3. Couar.lib.3. var. cap. 13. nu.8. Azor.lib.7.q.11, Macig. cap.71. nu. 56. & Vaſq. de beneficiis cap.4. dub.3.

Poſſet tamen opinio Petri Nauarr. amplecti, vt iſte infirmus lucrari poſſit diſtributiones tempore infirmitatis, ſi pœnitentia ductus in ipſa infirmitate efficaciter vellet choro aſſiſtere, tunc enim dicitur abeſſe ob infirmitatem, cùm reuera propter infirmitatem ſtet, quominus choro aſſiſtat.

QVÆSTIO XXVII.

An qui choro intereſſe ſolebat, ſed concepto propoſito non intereſſendi, incidit in morbum, poſſit diſtributiones percipere.

RESPONDEO non poſſe, ſi infirmus vi huius propoſiti de facto, choro non interfuiſſet.

Quia

Quia tunc non dicitur abeſſe ob infirmitatem. Ita Macignus cap. 71. num. 56.

Hinc infirmus qui aliquoties intereſſe ſolebat, poteſt diſtributiones percipere, habita ratione temporis, quo intereſſe conſueuerat, & diſtributionum, quas ſanus veriſimiliter lucratus fuiſſet: nam infirmitas hac in parte præſumitur cauſa abſentiæ, ergo diſtributiones illas lucrari poteſt.

QVÆSTIO XXVIII.

An qui aliàs, cùm bene valebat, diuinis officiis tempore ſtatuto intereſſe conſueuerat, ſua culpa in morbum incidit, vt quia intemperanter vixit, aut quia altercando, vulnus accepit, poſſit tuta conſcientia diſtributiones acquirere.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia infirmitas etiam ex culpa contracta, impedit quominus præſens in Eccleſia ſit, ac proinde iuſtam habet abſentiæ excuſationem.

Tum quia hîc reuera dicitur abeſſe ob infirmitatem, & cùm lex non diſtinguat de infirmitate ex culpa, vel ſine culpa, non eſt cur nos diſtinguamus, præſertim quia ex hac diſtinctione facilè ſuboriretur ſcrupulorum copia, omnes enim infirmi dubitarent, an in morbum ex propria culpa incidiſſent. Et ideò ita tenent Nauarrus conſil. 13. de celebratione Miſſarum, Couarruuias lib. 3. variar. cap. 13. num. 8. Azorius lib. 7. cap. 7. quæſt. 11. Petrus

11. Petrus Nauarrus lib. 2. cap. 2. dubio 4. num. 239. Macig. cap. 71. num. 58. Garzia de beneficiis part. 3. cap. 2. num. 363. Moneta part. 2. quæſt. 6. num. 12. & Naldus verbo Diſtributiones, num. 11. vbi ait, ita per ſacram Congregationem declaratum fuiſſe.

QVÆSTIO XXIX.

Sed quid de eo, qui data opera in morbum incidit, vt morbo impeditus perſonaliter intereſſe nequiret, an hic poſſit diſtributiones lucrari.

MONECA 2. p. quæſt. 6. num. 11. & Couar. lib. 3. var. cap. 13. num. 8. negant.

Alij verò vt Bonacina diſputat. 2. quæſt. 5. p. 11. affirmant hunc poſſe diſtributiones lucrari, quia ius non reſpexit intentionem, ſed ipſammet infirmitatem.

QVÆSTIO XXX.

An diſtributiones debeantur ei, qui cauſa acquirendæ ſanitatis, de conſilio phyſici vrbe egreditur ad balnea, vel ad celeberrimum medicum, vel vt ſalubriore aëre perfruatur, & viribus roboretur.

RESPONDEO

RESPONDEO deberi. Et ratio eſt, quia hîc omnino abeſſe dicitur cauſa infirmitatis.

Hinc, qui tuendæ valetudinis cauſa de conſilio medici medicinam ſumit, vel ſanguine minuitur, & ob id impeditus non poteſt perſonaliter ad Eccleſiam conuenire, iuſtè poteſt diſtributiones percipere. Et ratio eſt, quia hîc omnino dicitur cauſa infirmitatis abeſſe. Ita Azor. lib. 7. cap.7. q.10. & Graff.2.p.lib.3.cap.15.num.10.

Hinc, qui podagra, vel pedum valetudine ita eſt afflictus, vt ad Eccleſiam accedere non poſſit, iuſtè poteſt diſtributiones acquirere. Et ratio eſt, quia hîc omnino dicitur cauſa infirmitatis abeſſe. Qua etiam ratione idem dici poteſt de eo, qui articulari morbo, hoc eſt arthetica ita torquetur: vt debilitatus maneat, per textum in l. 2. Cod. eod. vbi iſte à muneribus perſonalibus vacationem habet.

Hinc, qui ex negligentia, vel tædio choro non aſſiſtit, non poteſt diſtributiones acquirere. Et ratio eſt, quia non dicitur abeſſe ob infirmitatem, quæ acceſſum ad Eccleſiam impedit.

Hinc, qui tanquam morboſus, ſeu infectus; morbo aliquo contagioſo, puta lepra, peſte, & huiuſmodi à Ciuitate abeſſe iubetur, iuſtè poteſt diſtributiones percipere. Quia inuitus ſine culpa abeſt.

QVÆSTIO XXXI.

Vtrùm abſens à choro ob iuſtam & rationabilem corporis neceſſitatem, poſſit diſtributiones recipere.

RESPONDEO poſſe, vt clarè conſtat ex cap. vnico. de cler. non reſid. vbi poſtquam Pótifex dixerat abſentibus diſtributiones denegãdas eſſe, ſubiungit. *Qui verò aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit, (exceptis illis quos infirmitas, ſeu iuſta & rationabilis corporis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſauerit) rerum ſic receptarum dominium non acquirat, nec faciat eas ſuas.* Dum enim ibi Pontifex à Regula eorum, qui propter abſentiam, ſeu non intereſſentiam percipere non poſſunt quotidianas diſtributiones, excipit eos, qui corporali neceſſitate detinentur, liquidò conſtat eum velle, hos priuari nõ debere huiuſmodi diſtributionibus, nam exceptio vitiat Regulam. l. 1. ff. de Reg. iuris.

Hinc, qui ita eſt debilis in cruribus, ſeu tibiis, ita vt non poſſit in Eccleſiam conuenire, poteſt diſtributiones percipere. Et ratio eſt, quia hic omnino dicitur ob iuſtam, & rationabilem corporis neceſſitatem abeſſe.

Hinc, qui de conſilio medici domo nõ egreditur ob valetudinis periculum, iuſtè poteſt diſtributiones ſumere. Et ratio eſt, quia hic dicitur abeſſe ob iuſtam & rationabilem corporis neceſſitatem.

Hinc, qui ob cantum nimium fatigatus ali-

quantulum ab aſſiſtentia diuini officij ſe retrahit, vt ſpiritus aſſumat, ac recreet, poteſt eadem ratione diſtributiones percipere, ſecundùm Petrum Monetam 2. p. q. 5. num 50.

Hinc, qui ob graues inimicitias, vel factiones intereſſe diuinis officiis non valet, modò per ipſum non ſtet, quominus huiuſmodi inimicitiæ è medio tollantur, poteſt tuta conſcientia diſtributiones percipere. Et ratio eſt, quia hic dicitur abeſſe ob rationabilem corporis neceſſitatem.

Hinc, qui iniuſtè in exilium mittitur, aut ab hoſtibus capitur, aut alio modo detinetur, quominùs ad Eccleſiam ſe conferat, quandiu ibi commoratur, aut apud hoſtes detinetur, nec per ipſum ſtat, quominus redeat, poteſt diſtributiones percipere. Et ratio eſt, quia hic iniuſtè detinetur, ne poſſit ad Eccleſiam accedere, vt officio ſuo fungatur. Ita Azor. lib. 7. cap. 7. q. 10. Macig. cap. 71. num. 66. Graff. 2. p. cap. 15. num. 10. & plerique alij.

Idem dicendum eſt, ſi is non ab hoſtibus, vel ab inimico aliquo priuato capiatur, & detineatur, ſiue vt ſoluat aliquid, ſi liberari vult; ſiue vt retineatur, donec fiat pax.

QVÆSTIO XXXII.

An Canonicus qui fuit in carcerem coniectus, poſſit pro tempore, quo in vinculis detinetur, diſtributiones percipere.

RESPONDEO non poſſe, ſi iuſtè eſt in carcerem miſſus ob crimen patratum, etiã ſi poſtea falſis

ſis teſtibus crimen purgauerit, & in ſui fauorem ſententiam obtinuerit. Et ratio eſt, quia hic ſua culpa abeſſe dicitur. Secus verò ſi contrarius eſt in carcerem traditus, & aliàs antea choro adeſſe ſolebat, quia tunc poteſt tuta cõſcientia diſtributiones obtinere, etiam ſi is iuſtè fuerit captus, carceratus & tortus ex parte Iudicis, quia nimirum ad id habuerit ſufficientia indicia. Et ratio eſt, quia per ipſum non ſtat, quominus choro interſit, ſed iniuſtè detinetur, ne ad Eccleſiam ſe conferat. Ita Couar. lib. 3. var. cap. 13. nu. 8. Nauar. conſ. 10. & 11. de cler. non reſid. Macig. cap. 71. num. 66. Moneta 2. p. q. 5. nu. 8. Garz. 3. p. cap. 2. n. 363. & Nald. verb. diſtributiones. nu. 10. qui duo vltimi aiunt ſic per Sacram Congregationem declaratum fuiſſe.

Dixi notanter, *aliàs ante à choro*, &c. quia ſi diuinis antea intereſſe non conſueuerat, non præſumitur diſtributionum iacturam feciſſe ob iniuſtam in vinculis detentionem, ſed potiùs ob ſuam culpam.

QVÆSTIO XXXIII.

An huiuſmodi Canonico iniuſtè in carcerem coniecto debeantur etiam mortoria, ſeu funerales portiones, & anniuerſaria, quæ diſtribuuntur inter intereſſentes officio funeris.

STEPHANVS Quaranta verb. diſtributiones affirmat deberi.

Sed profectò contrarium verius, & rationi

conformius mihi videtur. Ducor, quia huiuſmodi funerales portiones, ſimpliciter non comprehenduntur ſub nomine diſtributionum de quibus loquitur Pontifex in cap. vnico. de cler. non reſid.

Tum quia ex mente fundatorum conferri ſolùm debent intereſſentibus, & actualiter inſeruientibus.

Tum quia non ſolent conferri infirmis, ergo neque in carcerem miſſis. Et ideò ita tenet Nald. verb. diſtributiones num. 8. vbi ait, ſic per Illuſtriſſimos Cardinales interpretationi Concilij Tridentini Præfectos, declaratum fuiſſe.

QVÆSTIO XXXIV.

An qui ob ſenectutem diuinis officiis, prout debet, intereſſe nequit, poſſit diſtributiones acquirere.

SVnt qui affirmant, ſenes, vt ſenes niſi alio ſe iure tueantur, non poſſe in abſentia diſtributiones percipere, quia ſenes verè infirmi non dicuntur, vt conſtat ex capite 1. §. ſin autem Epiſcopus. de cler. ægrot. vel debilibus in 6. vbi ponitur copula, *&*, inter ſenes, & infirmos, quæ quidem copula ponitur inter diuerſa, vt in materia de legibus Doctores tradunt.

At verò Azor. 2. p. lib. 7. cap. 7. q. 13. & Macig. cap. 71. num. 51. docent ſenes ob ſenectutem poſſe iuſtè diſtributiones percipere, quia ſenectus ipſa per ſe morbus eſt.

Poſſunt autem hæ duæ opiniones conciliari, vt prior

prior ſit vera, vbi ſenex commodè poteſt ad Eccleſiam adire. Poſterior verò, quando ſenex eſt adeò ſenio confectus, & grauatus, vt ſine graui ſalutis incommodo in Eccleſiam conuenire, & diuinis intereſſe non poſſit, modò reliquo ſuæ ætatis tempore choro aſſiſtere conſueuerit. Et ratio eſt, quia quamuis ſenex propriè, & ſtrictè loquendo non ſit infirmus, ſaltem ob iuſtam, & rationabilem corporis neceſſitatem poteſt diſtributiones percipere, qualis eſt frequenter ſeptuagenarius, vt plurimum verò octuagenarius, iuxta illud Dauidis pſalm. 89. Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus, hoc eſt, robuſtioribus, octuaginta anni, & ampliùs eorum labor, & dolor, id eſt, quidquid vitæ vltra hos annos relinquitur, laborioſum eſt, & doloris plenum.

QVÆSTIO XXXV.

An qui metu peſtis contrahendæ ab Eccleſia recedit, aut abſens ad eam non redit, paratus alioquin redire ſemoto peſtis periculo, poſſit diſtributiones percipere.

PETR. Moneta de diſtribut. q. 5. num, 75. & Couar. libro 3. variarum reſolutionum cap. 13. nu. 8. negant.

At verior ſententia eſt, hũc poſſe diſtributiones ſumere. Et ratio eſt, quia hic verè abeſſe dicitur ob rationabilem corporis neceſſitatem, eſt enim peſtis acerrima contagio, & periculoſa omnium labes.

Hinc, qui cùm velit ad vrbem redire, vt diuinis officiis interſit, tanquam ſuſpectus de peſte, ab ea repellitur, iuſtè poteſt diſtributiones percipere, quia ob iuſtam corporis neceſſitatem abeſſe dicitur.

Hinc, qui ob bellum vel ciuile, vel externum, tutè nequit in vrbe, vbi beneficium obtinet, commorari, aut ob grauis incommodi periculum ab ea recedit, poteſt eadem ratione diſtributiones ſumere. Moneta de diſtributionibus quæſtio. 5. numero 69.

Opinio tamen Couar. poteſt recipi in Canonico habente curam animarum, qui cùm pro earum ſalute teneatur vitam ſuam ponere, iuxta illud Ioan. 10. Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis: non cenſetur abeſſe ob iuſtam, & rationabilem cauſam, ac proinde non poteſt diſtributiones ſuæ abſentiæ reſpondentes recipere. Ita Bonacina de horis Canonicis diſp. 2. q. 5. p. 2.

QVÆSTIO XXXVI.

Vtrùm excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus quotidianas diſtributiones acquirat.

Et quidem certum eſt, eum qui iniuſtè, ſeu inualidè eſt excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus, non amittere diſtributiones. Et ratio eſt, quia hic dicitur abeſſe ob iuſtam & rationabilem corporis neceſſitatem.

Tum quia per eum non ſtat quominus diuinis officiis interſit.

Tum

Tum etiam,quia vbi non eſt culpa, ibi non debet eſſe pœna, priuatio autem diſtributionum eſt pœna vt conſtat,ergo.

QVÆSTIO XXXVII.

Sed dubium eſt de iuſtè, ſeu validè excommunicato, ſuſpenſo, & interdicto.

ET quidem loquendo de iuſtè excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto vitãdo, hoc eſt, denominatim denunciato, vel publico percuſſore clerici; certum eſt hunc qui ob huiuſmodi cenſuras diuinis officiis non aſſiſtit, non poſſe diſtributiones acquirere. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe ex iuſta, & rationabili cauſa, ſed ob delictum, ob quod excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus eſt, & diuinis priuatus.

Tum quia hic nec quoad Deum, nec quoad Eccleſiam ſatisfacit, cùm ab ea non toleretur, ergo licèt diuinis officiis interſit, diſtributiones non acquirit.

QVÆSTIO XXXVIII.

Tota igitur lis eſt de excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto tolerato, qui diuinis officiis cum aliis intereſt, ſuóque munere fungitur, quamuis cum peccato.

PETR. Moneta 2.p.q. 15. & multi alij quos citat Bonacina, negãt eum acquirere diſtributiones.

Ego verò contrarium verius puto cum Bonacina diſp.2.q.5.p.2.Ducor, quia beneficium datur propter officium,cap. fin. de reſcriptis in 6. hic autem officium ſuum præſtat, & licèt quoad Deum non ritè præſtet, nihilominus quoad Eccleſiam facit quòd ab ipſa præcipitur.

Tum quia hic cùm toleretur ab Eccleſia, eius miniſterium, vt pendet à meritis Eccleſię, ita eſt Eccleſiæ vtile, ac ſi exhiberetur à miniſtro non excommunicato, ſuſpenſo, vel interdicto, vt ante, & poſt alios docet Bonacina loco citato.

Dices, paria ſunt, non fieri, & non ritè fieri, ſed excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus toleratus non ritè facit, cùm licitè diuinis non interſit, ergo perinde eſt, ac ſi non intereſſet, ergo non poteſt diſtributiones lucrari.

Reſpondeo quoad Deum paria eſſe non fieri, & non ritè fieri, non verò quoad Eccleſiam, alioquin ſequeretur quemlibet cum peccato mortali recitantem diuinum officium priuari diſtributionibus, cùm non dicatur diuinum officium ritè recitare.

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrùm Canonici qui tempore ceſſationis nequeunt diuinis officiis intereſſe, diſtributiones acquirant.

Respondeo, non acquirere. Et ratio eſt, quia illis diſtributiones debentur, qui diuina officia in Eccleſia alternanter recitant: Canonici autem

tempore ceſſationis diuina officia in Eccleſia alternatim non canunt, cùm non liceat officia recitare tempore ceſſationis, ergo.

Tum quia ſic fuit declaratum à Gregorio X. in cap. ſi Canonici §. ſcituri. de off. ordin. in 6. Et ideò ita ſentiunt Couar. cap. Alma mater. §. 4. num. 7. Moneta quæſt. 16. num. 36. & Bonac. de horis Canonicis d. 2. q. 5. p. 2.

Dices, Canonici tempore interdicti diſtributiones non amittunt, ergo etiam tempore ceſſationis non debent amittere.

Reſpondeo, canonicos tempore interdicti generalis diſtributiones non amittere, quia eo tempore non prohibentur diuina officia recitare. Tempore verò interdicti ſpecialis non amittunt, quia per ipſos non ſtat, quominùs diuinis officiis interſint, nec vllo iure diſtributiones ipſis ſubtrahuntur, tempore verò ceſſationis ſubtrahuntur, vt habetur cap. ſi canonici citato.

QVÆSTIO XL.

Vtrùm Canonici diſtributiones amittant, quando Eccleſia, in qua diuina officia celebrantur, eſt polluta.

RESPONDEO non amittere. Et ratio eſt, quia per ipſos non ſtat quominus diuina officia in Eccleſia celebrentur, cùm ipſi aliàs diuinis officiis intereſſe ſoliti fuerint, ſed modò ſine ſua culpa nō poſſunt, quia in Eccleſia violata diuina officia perſolui prohibentur. Moneta 2. p. q. 16. nu. 29.

QVÆSTIO XLI.

Dices, quotnam ſint caſus, in quibus Eccleſia polluitur, ita vt in ea diuina officia perſolui nequeant.

Respondeo ſex. Primus eſt, quando in Eccleſiá ſemen humanum voluntariè effunditur.

Secundus eſt, quando intra eam ſanguis huma- nus iniurioſè effunditur.

Tertius, quando Eccleſia per Epiſcopum publi- cè excommunicatum conſecratur, aut benedi- citur.

Quartus, quando in ea aliquis excommunicatus vitandus ſepelitur.

Quintus, quando in ea aliquis paganus, aut infi- delis ſepelitur. Et in hoc caſu oportet omnes Ec- cleſiæ parietes radere.

Sextus, & vltimus caſus eſt, quando omnes pa- rietes Eccleſiæ, aut maior earum pars ſimul deii- ciuntur.

Illud tamen eſt hîc aduertendum, quòd in his caſibus non cenſetur Eccleſia polluta, nec indige- re reconciliatione, niſi delictum ſit publicum. Vi- de Nauar. in Man. cap. 27. numer. 256. Tolet. lib. 5. capite 8. numero 11. & alios ſummiſtas verb. Ec- cleſia.

QVÆ

QVÆSTIO XLII.

Vtrùm Canonicus qui eſt irregularis, ob irregularitatem diſtributiones amittat.

RESPONDEO nõ amittere. Et ratio eſt, quia irregularis poteſt licitè in Eccleſia diuina officia celebrare: irregularitas enim non prohibet diuinorum officiorum celebrationem, ſed ſuſceptionem ordinum, & illorum exequutionem. Quod intellige de irregularitate contracta poſt beneficij poſſeſſionem, nam ſi irregularitas contracta ſit ante beneficij poſſeſſionem, certum eſt, beneficiarium amittere diſtributiones, quia collatio beneficij irregulari facta eſt irrita & nulla.

QVÆSTIO XLIII.

An realiter degradatus diſtributionibus priuetur.

RESPONDEO priuari. Et ratio eſt, quia diſtributiones dantur ratione canonicatus, vel beneficij, ſed realiter degradatus eo ipſo eſt omni beneficio priuatus, ergo & diſtributionibus, quæ ratione beneficij conferuntur. Et idem dicendum eſt de degradato verbaliter, vt rectè docent Henriq. lib. 13. cap. 55. Couar. lib. 2. var. reſol. cap. 13. num. 8. & Moneta q. 17. num. 27.

QVÆ

QVÆSTIO XLIV.

An realiter degradatus alendus ſit ex diſtributionibus, ſi aliunde non habet quo alatur.

MONETA q. 17. nu. 27. affirmat, ne cum dedecore ſtatus eccleſiaſtici victum oſtiatim quærere compellatur.

Sed probabiliùs, & veriùs alij negant. Quia cùm huiuſmodi degradatus actualiter, omni beneficio, officio, habitu, & priuilegio clericali in perpetuum ſit priuatus, nullum clericali ſtatui dedecus ex victu mendicato prouenire poteſt.

QVÆSTIO XLV.

An degradatus verbaliter alendus ſit ex diſtributionibus, quoties aliunde non habet, vnde viuat.

HVGOLINVS tab. 1. de cenſuris cap. 12. nu. 1. & plerique alij affirmant, ne cum dedecore ſtatus Eccleſiaſtici victum mendicando quærere cogatur. Quæ ratio maiorem vim habet in degradato verbaliter quàm in degradato actualiter, cùm hic habitu & omni priuilegio clericali priuetur, ille verò non. Verùm ad hoc dici poſſet, dedecus, quòd inde ſtatui eccleſiaſtico peruenire poſſet, licitè permitti, & compenſari terrore pœnæ, & exemplo alio

liorum, qui à delictis perpetrandis grauitate pœnæ faciliùs retrahuntur.

QVÆSTIO XLVI.

Vtrùm Canonicus, qui eſt beneficio priuatus, poſſit diſtributiones percipere.

RESPONDEO non poſſe. Et ratio eſt, quia qui eſt beneficio priuatus, non habet ius ad diſtributiones, nam ſublato principali, corruit acceſſorium: principale autem eſt beneficium, ex quo ius ad diſtributiones conſurgit.

QVÆSTIO XLVII.

An beneficiarius qui eſt in peccato mortali, quotidianas diſtributiones amittat.

ADRIAN. in 4.q.14.col.9.& Angel. verb. clericus.8 §.5. affirmant ob eam rationem, quia putant eum qui eſt in peccato mortali notorio eſſe à diuinis ſuſpenſum.

Sed cæteri communi conſenſu negant, & meritò quidem, quia quamuis peccator etiam notorius ſit ſuſpenſus quoad ſe, non tamen eſt, quoad alios.

Tum quia licèt notorius peccator non rectè obeat diuina officia prout Deus ordinauit, tamen rectè deſeruit Eccleſiæ, quantum ad id quod Eccleſia ordinauit quoad ſubſtantiam præcepti, hoc eſt, celebrando officia, & orando vt Eccleſia ſtatuit,

tuit, ob quod illi aſſignatur ſtipendium. Sic Sylu. verb. clericus 4. q. 24. Nau. de orat. cap. 21. nu. 65. & in Man. cap. 25. num. 123. & Petr. Nauar. lib. 2. de reſt. cap. 2. num. 206.

QVÆSTIO XLVIII.

Vtrùm abſens in Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, poſſit diſtributiones percipere.

Respondeo poſſe, ſi aliàs choro intereſſe ſolebat, & abeſt in euidentem ſuæ Eccleſiæ vtilitatem, vt cóſtat ex cap. vnico. de cler. non reſid. nam cùm ibi à Regula quam præmiſit Romanus Pontifex de quotidianis diſtributionibus minimè dandis iis, qui diuinis officiis non adfuerint, excipiat eos, quos euidens Eccleſiæ vtilitas excuſaret, ſatis manifeſtè vult, abſentes ob huiuſmodi Eccleſiæ vtilitatem iure percipere quotidianas diſtributiones: exceptio enim vitiat Regulam in caſibus exceptis, & in eis quaſi Regulã facit. Et ratio huius eſt, quia qui abeſt pro ſeruitio ſuæ Eccleſiæ, cenſetur reſidens in choro. Tum quia officium non debet alicui eſſe damnoſum. Quod intelligitur, niſi ille qui proſequitur Eccleſiæ vtilitatem, ad id habeat congruum ſalarium ab ipſa Eccleſia, quia tũc officium non eſt amplius illi damnoſum, & ſic ceſſat præcipua ratio, ob quam huiuſmodi abſentes, propter Eccleſiæ vtilitatem percipiunt quotidianas diſtributiones, ideóque ceſſare etiam debet diſpoſitio.

Dixi notanter, *ſi aliàs choro intereſſe ſolebat*, quia

ſi

ſi aliàs intereſſe non conſueuerat,non poteſt diſtributiones lucrari,quia non dicitur abeſſe ob abſentiam in Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, cùm id per accidens ſe habeat.

Dixi, *in euidentem*, hoc eſt, manifeſtam, quia cùm diſtributiones ſint certæ, requiri etiam videtur cauſa certa, & euidens ad ipſas lucrandas.

Hinc,qui ab Eccleſia ſua abeſt, ob negotium de quo dubitat, an vtile futurum ſit Eccleſiæ,non poteſt diſtributiones lucrari. Ratio eſt, quia non eſt euidens Eccleſiæ vtilitas.

Hinc, qui diu tẽpore diuini officij aliò ſe transfert ob res leuis momenti, non poteſt licitè diſtributiones percipere.Et ratio eſt,quia res leuis momenti pro nihilo reputatur, ergo diuturna ſua abſentia non poteſt excuſari in re parui momenti titulo euidentis vtilitatis, iuxta Monetam 2.p.q.11, nu.33.& Macignum cap.71.num.99.

Dixi etiam, *Eccleſiæ ſuæ*,quia ob ſolam abſentiam in propriæ Eccleſiæ, cui adſcriptus eſt, vtilitatem, lucratur diſtributiones, vt conſtat ex textu dicti cap. vnico. de cler. non reſid,& cap. ad aud. eod. titulo.

Hinc,qui abeſt propter vtilitatem Eccleſiæ vniuerſalis, pùta in legatione nomine ſummi Pontificis, aut propter vtilitatem Eccleſiæ ſpecialis, putà Mediolanenſis, aut Bononienſis, cauſa viſitationis, examinis, vel ſimilis, quod continet vtilitatem Eccleſiæ ſuæ ciuitatis, vel diœceſis, non poteſt iuſtè diſtributiones percipere.

QVÆSTIO XLIX.

An qui tempore diuini officij detinetur in confeſſione ſuorum peccatorum, poſſit diſtributiones lucrari.

RESPONDEO, non poſſe. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe ob euidentem ſuæ Eccleſiæ vtilitatem, vel infirmitatem, aut iuſtam, & rationabilem corporis neceſſitatem.

Tum quia non eſt eo tempore neceſſitas, cùm vel antè, vel poſt confiteri poſſit.

Dices, abſens ob infirmitatem corporis poteſt diſtributiones lucrari, ergo à fortiori eas poterit obtinere ob infirmitatem ſpiritualem, & ſalutem animæ, cùm anima præſtantior ſit corpore.

Reſpondeo in cap. vnico. citato, ſolùm excipi infirmitatem, & neceſſitatem corporalem, non ſalutem animæ. Et in exorbitantibus à Regulis iuris, quale eſt, quòd non intereſſentibus diuinis officiis dentur diſtributiones, nec ipſa admittitur maioritas rationis.

QVÆSTIO L.

An qui tempore diuinorum officiorum abeſt cauſa peregrinationis, poſſit diſtributiones percipere.

RESPONDEO, non poſſe. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe ob euidentem ſuæ Eccleſiæ vtili

vtilitatem. Ita Garz. p. 3. cap. 2. num. 394. Moneta p. 2. q. 5. n. 51. & Macignus ca. 71. nu. 129. qui in huius rei probationem duplicem adducunt ſacræ Congregationis declarationem. Quod arbitror veriſſimum non modò de eo, qui peregrinatur ex deuotione, ſed etiam de illo, qui ex voto. Tum quia Sacra Congregatio abſolutè loquitur. Tum quia in c. Conſult. de off. deleg. abſolutè æquiparantur abſentia cauſa peregrinationis, & cauſa ſtudiorum, abſentes autem cauſa ſtudiorum non lucrantur diſtributiones, cap. licèt. de præben. ergo neque cauſa peregrinationis.

QVÆSTIO LI.

An qui abeſt propter euidentem neceſsitatem ſuæ Eccleſiæ, quotidianas diſtributiones accipere poſsit.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia euidens vtilitas, & neceſſitas Eccleſiæ, æquiparantur. Tum quia neceſſitas legi non ſubiacet, & facit licitum, quod aliàs non eſſet licitum. Et ideo ita tenet Graff. p. 2. aurear. deciſ. lib. 2. cap. 15. num. 10.

Hinc, ſi Epiſcopus præcipiat alicui Canonico, vt pro euidenti neceſſitate Eccleſiæ ſuæ, vadat ad Curiam Romanam, vel alium locum, quod quidem præcipere poteſt, & ob id non valet diuinis officiis intereſſe, non debet diſtributionibus carere. Et ratio eſt, quia tunc Eccleſiæ ſuæ deſeruire intelligitur, & eſſe reſidens in eadem. Tum quia non debet alicui officium eſſe damnoſum.

QVÆSTIO LII.

Vtrùm abſenti ad tuenda Capituli iura, diſtributiones debeantur.

RESPONDEO deberi. Et ratio eſt, quia ſatis cenſetur Eccleſiæ ſuæ vtilitatem proſequi, dum illius iura in iudicio, vel extra tuetur.

Hinc, qui ex mandato ſui Capituli vadit ad iuriſdictionem aliquam ſuæ Eccleſiæ exercendam, vel ad aliquem Principem legationis titulo, etiamſi hæc legatio gratulationis cauſa inſtituatur, poteſt tempore abſentiæ diſtributiones percipere. Ratio eſt, quia hic dicitur abeſſe ſuæ Eccleſiæ cauſa, & rem illi vtilem facere.

Hinc, qui vt Theologus, vel Canoniſta, vel Procurator mittitur à Capitulo ad Concilium generale, vel prouinciale, poteſt pro tempore abſentiæ diſtributiones lucrari. Et ratio eſt, quia hic Eccleſiæ ſuæ, cui adſcriptus eſt, rem vtilem agit, ſi aliàs conſueuerat intereſſe. Ita Moneta ſuprà quæſtio. 11. num. 91.

Hinc, qui ab Epiſcopo ad Apoſtolorum limina mittuntur, vel ipſum ad eadem limina comitantur, iuxta conſtitutionem 25. Sixti V. lucrantur non ſolùm fructus beneficiorum, ſed etiam diſtributiones. Et ratio eſt, quia hi dicuntur abeſſe non ſolùm in vtilitatem Epiſcopi, verùm etiam Capituli, cùm ad ſummum Pontificem relaturi ſint ſtatum non ſolùm aliarum Eccleſiarum, verùm etiam propriæ Eccleſiæ, vt eius vtilitati conſulatur. Ita

Garz.

Garz. 3. p. cap. 2. num. 349. & Riccius deciſ. 498. nu. 3. qui aiunt ita declaratum fuiſſe à Sacra Congregatione.

Idem dicendum eſt de illis duobus Canonicis, quos ex Tridentini decreto adhibet Epiſcopus in iis ſtatuendis, quæ ad diuinum cultum, diuináque officia, & Eccleſiæ miniſtros pertinent, modò de Eccleſia etiam propria directè, ac principaliter agatur, certum eſt enim eos rem vtilem facere ſuæ Eccleſiæ, cui adſcripti ſunt.

QVÆSTIO LIII.

Vtrùm Canonici, quibus locorum piorum, aut collegiorum, vel hoſpitalium cura, vel adminiſtratio aliqua commiſſa eſt, poſſint diſtributiones percipere pro eo tempore, quo vt piis illis locis, aut collegiis rem aliquam vtilem faciant, à diuinis officiis abſunt.

ET quidem loquendo de Præfectis, ſeu adminiſtratoribus fabricæ, vel ſacriſtiæ propriæ Eccleſiæ, cui tanquam Canonici adſcripti ſunt, certum eſt, eos poſſe diſtributiones percipere. Et ratio eſt, quia iſti dicuntur abeſſe in vtilitatem propriæ Eccleſiæ.

QVÆSTIO LIV.

Sed quod in dubium vertitur eſt, An adminiſtratores collegiorum, hoſpitalium, aliorúmque piorum locorum, aut fabricæ aliarum Eccleſiarum, qui dum huiuſmodi adminiſtrationi tempore diuinorum officiorum operam dant, poſſint diſtributiones lucrari.

RESPONDEO non poſſe. Et ratio eſt, quia iſti licèt rem vtilem Eccleſiæ ſuæ ciuitatis facere videantur, tamen id non ſufficit ad acquirendas in abſentia diſtributiones, ſed requiritur, quòd proſequantur vtilitatem illius Eccleſiæ in ſpecie, cui adſcripti ſunt Garz. p. 3. cap. 2, nu. 354.

Hinc canonicus, qui cauſa examinis, aut viſitationis, tempore diuinorum officiorum à choro abeſt, non poteſt ſecluſo priuilegio, quotidianas diſtributiones percipere. Et ratio eſt, quia hic non Eccleſiæ ſuæ, cui adſcriptus eſt, ſed duntaxat Eccleſiæ ſuæ ciuitatis, ac diœceſis, ſeu Epiſcopo ſuo deſeruit. Secus ſi cum Epiſcopo, aut eius Vicario Generali, aut de illorum alterius mandato Eccleſiam propriam viſitaret, tunc enim eidem rem vtilem faceret, ac proinde non deberet diſtributionibus priuari. Ita Garz. 3. p. c. 2. n. 354.

QVÆSTIO LV.

An qui ſponte procurauit ſibi à capitulo munus demandari ad peragenda Eccleſiæ negotia tempore diuinorum officiorum, poſsit tempore abſentiæ diſtributiones lucrari.

MONETA 2. p. de diſtribut. q. 5. nu. 25. & 28. negat, quia impedimentum affectatum non tribuit iuſtam abſentiæ cauſam.

Sed oppoſitum mihi magis probatur, quia vt quis poſſit diſtributiones lucrari, non eſt attendendum quo pacto quis licentiam recedēdi acceperit, ſed cauſa finalis abſentiæ ſpectanda eſt, quæ cùm ſit euidens Eccleſiæ vtilitas, poterit tuta conſcientia diſtributiones percipere.

QVÆSTIO LVI.

An Canonicus qui à Capitulo munus accepit ad negotia Eccleſiæ peragenda, quæ extra tempus diuini officij expedire poterat, diſtributiones lucretur, ſi ea tempore diuini officij expediat.

RESPONDEO lucrari, ſi ex capituli mandato non tenebatur negotia illa extra tempus diui-

norum officiorum peragere. Ratio eſt, quia hic videtur abeſſe ob vtilitatem Eccleſiæ.

Tum quia iure ſuo vtį videtur, dum illius negotiorum expeditionem ad tempus vſque diuinorum officiorum differt. Ita Bonacina de horis canon. diſp. 2. q. 5. p. 3.

QVÆSTIO LVII.

An qui ad peragenda Eccleſiæ negotia citius diſceſſit, quàm par eſt, aut regreſſum diutiùs diſtulit, quàm opus eſt, poſsit diſtributiones percipere pro eo tempore, quo citiùs diſceſsit, aut diutiùs regreſsũ diſtulit.

RESPONDEO non poſſe, ſi ſcienter hoc fecit. Et ratio eſt, quia tunc non dicitur abeſſe in euidentem Eccleſiæ vtilitatem. Secus ſi bona fide diſceſſit, putans negotium tunc temporis tractandum eſſe. Quia vbi non eſt culpa, par eſt, vt neque ſit pœna amiſſionis diſtributionum.

QVÆSTIO LVIII.

Vtrùm Canonicus qui à Capitulo mandatum habuit expediendi negotium aliquod in euidentem Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, poſsit diſtributiones lucrari, ſi hic aliquod temporis ſpatium in prophanis recreationibus inſumpſit, in quo cæteri Canonici diuinis officiis aſsiſtunt.

RESPON

RESPONDEO poſſe, modò illę recreationes non fuerint in cauſa, vt citius ſuſcepta negotia non expediret. Ratio eſt, quia hic ſubſiſtit cauſa abſentiæ: dicitur enim abeſſe in euidentem Eccleſiæ vtilitatem, cuius prætextu diſtributiones percipit.

Tum quia iſtæ recreationes accidentaliter ſe habent ad cauſam, propter quam data eſt ei facultas recedendi.

Dixi notanter, *modò illæ recreationes*, &c. quia tunc illæ recreationes non ſe haberent accidentaliter ad principalem cauſam abſentiæ, ſed ipſæ eſſent abſentiæ cauſa, vnde pro illius temporis ſpatio, quo diuinis officiis interfuiſſet, diſtributiones lucrari non poterit.

QVÆSTIO LIX.

An qui ob negotium ſuæ Eccleſiæ commodo conductis, ſine licentia Epiſcopi abeſt, poſſit diſtributiones percipere.

NONNVLLI negant, quibus fauet Conc. Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 1. vbi decernitur, non licere abeſſe abſque licentia Epiſcopi, & cauſa priùs cognita, & probata.

Sed mihi dicendum videtur ad lucrandas diſtributiones, non opus eſſe licentia Epiſcopi. Et ratio eſt, quia in cap. vnico. de cler. non reſid. abſolutè conceduntur diſtributiones abſenti in euidentem Eccleſiæ vtilitatem,

Neque obſtat Concilium Tridentinum, quia non loquitur de Canonicis, ſed de Epiſcopis, & animarum curatoribus, vt rectè monet Carolus Macignus cap.68.num.14.

QVÆSTIO LX.

An qui abſunt ab officio chori, quia ſunt in obſequio Epiſcopi, vt ſi illum comitentur, dum diœceſim viſitat, poſſint diſtributiones percipere.

IN qua re certum eſt inprimis, eos qui in ſeruitio Epiſcopi exiſtunt, poſſe fructus beneficiorum acquirere, vt conſtat ex cap. de cætero. de cler. non reſid. & ex cap. ad aud. eod. titulo, vbi abſentibus in ſeruitio Epiſcopi conceduntur fructus.

Secundò etiam eſt certum, ſolos Canonicos non autem alios Clericos collegiatarum Eccleſiarum, puta Manſionarios huiuſmodi prærogatiua gaudere, vt Epiſcopo ſeruientes, licèt abſint ab Eccleſia, beneficiorum ſuorum fructus percipiant, vt conſtat ex capit. de cætero; & cap. ad audientiam, citatis, vbi præcisè fit mentio de Canonicis, quorum appellatione in odioſis non veniunt alij Clerici. Quòd autem ſimus in odioſis, conſtat, nam agitur de diminutione cultus diuini, qui tamen potius debet augeri.

QVÆST.

QVÆSTIO LXI.

Sed tota difficultas conſiſtit de quotidianis diſtributionibus.

SED reſpondeo, Canonicos abſentes in ſeruitio Epiſcopi, non poſſe quotidianas diſtributiones lucrari, vt clarè conſtat ex textu cap. de cætero. & ex cap. ad aud. vbi abſentibus in ſeruitio Epiſcopi, ſolùm conceduntur fructus: conſtat autem ex dictis appellatione fructuum beneficiorum, non comprehendi quotidianas diſtributiones. Et ratio huius eſt, quia iſti non dicuntur abeſſe in euidentem Eccleſiæ ſuæ vtilitatem. Et ideo ita ſentiunt Nauar. conſ. 2. de cler. non reſid. Couar. lib. 3. var. cap. 3. num. 2. Garz. 3. p. cap. 2. num. 347. Macig. cap. 71. num. 123. & Quaranta verb. diſtributiones.

Hinc, qui Epiſcopum comitantur, dum Miſſam auditurus eſt extra propriam Eccleſiam, non poſſunt iuſtè diſtributiones percipere, vt teſte Petro Moneta p. 2. q. 8. nu. 14. Sacra Congregatio declarauit. Cuius verba ſunt: Non poſſe Canonicos duos, aut plures aſſociantes eorum Prçlatum, quandoque volentem audire Miſſam, non in cathedrali, ſed in alia Eccleſia ciuitatis participes fieri diſtributionum quotidianarum, quæ non niſi præſentibus, & inſeruientibus dantur. Quod procedit, niſi canonicatus conſiſteret in ſolis diſtributionibus quotidianis, quia tunc ne priuilegium eſſet inutile, lucrarentur duas partes earum, amiſſa

tertia, quæ accreſcit intereſſentibus, vt teſte Naldo, verbo diſtributiones, Sacra Congregatio declarauit.

QVÆSTIO LXII.

Vtrùm abſens in ſeruitio Principis ſecularis poſſit diſtributiones percipere.

Respondeo non poſſe. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe ſaltem principaliter propter vtilitatem ſuæ Eccleſiæ. Immò nec poſſe percipere in abſentia fructus beneficij ſui, quia iſte non dicitur reſidere: non reſidens autem non poteſt fructus lucrari, ergo. Ita Moneta p. 2. q. 9. num. 15.

QVÆSTIO LXIII.

Vtrùm abſens in ſeruitio Cardinalis poſſit diſtributiones quotidianas lucrari.

Et quidem certum eſt, eum qui abeſt in ſeruitio ſimplicis Cardinalis, nec fructus beneficij, nec quotidianas diſtributiones lucrari, niſi ex ſpeciali diſpenſatione, vt Ioannes Andreas, Abbas, & cæteri in cap. Cum dilectus, reſoluunt.

QVÆSTIO LXIV.

Sed tota difficultas verſatur, de Cardinali Legato.

IN qua re etiam eſt certum, eum qui abeſt ab Eccleſia in ſeruitio Cardinalis Legati percipere poſſe fructus beneficij ſui. Ratio eſt, quia qui ſeruit legato, inſeruit Papæ, qui autem inſeruit Papæ, percipit in abſentia fructus ſui beneficij.

Tum quia idem dicendum eſt de legato quoad ſuam Prouinciam, quod de Epiſcopo quoad Diœceſim, vt conſtat ex cap. 2. de off. legati in 6. Sed qui abeſt in ſeruitio Epiſcopi, poteſt fructus percipere, ergo & qui abeſt in ſeruitio legati. Ita Garz. p. 3. cap. 2. nu. 382.

QVÆSTIO LXV.

Totum igitur controuerſiæ diſſidium verſatur, an abſens in ſeruitio Cardinalis Legati, debeat diſtributiones percipere.

RESPONDEO non poſſe. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe ob vtilitatem propriæ Eccleſiæ.

Tum quia, qui exiſtit in ſeruitio Papæ, non poteſt diſtributiones lucrari, ergo neque qui manet in ſeruitio Cardinalis Legati, cùm maiorem

prærogа

prærogatiuam cæteris paribus non debeat habere, qui membro inſeruit, quàm qui capiti, Cardinalis autem legatus membrum eſt, Romanus verò Pontifex caput.

QVÆSTIO LXVI.

Vtrùm abſens in ſeruitio Papæ, poſſit quotidianas diſtributiones lucrari.

ET quidem certum eſt, hunc poſſe fructus ſui beneficij lucrari, vt apertè conſtat ex textu cap. Cùm dilectus. de cler. non reſid. ibi, *fructus prabendæ ſuæ aſſignetis eidem in noſtro ſeruitio commoranti.* Dicuntur autem eſſe in ſeruitio Papæ, ad effectum lucrandi fructus beneficij, qui in curia morantur de illius præcepto. Secus verò ſi voluntate propria, quia tunc propriam potius, quàm Reipublicæ, vel vniuerſalis Eccleſiæ vtilitatem proſequuntur. Ita Garz. p. 3. c. 2. nu. 383.

QVÆSTIO LXVII.

Tota igitur difficultas conſiſtit, an poſſit quotidianas diſtributiones percipere.

RESPONDEO non poſſe, niſi ex ſpeciali priuilegio. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe in vtilitatem propriæ Eccleſiæ, nec vllo iure conſtat huic diſtributiones concedi, immò oppoſitum colligitur ex dicto cap. Cùm dilectus, dum enim duntaxat præcepit ibi Pontifex, vt dentur

huiuſmodi abſenti in ſeruitio Papæ fructus beneficij, ſi eidem iure debitæ fuiſſent diſtributiones, aut Papa de illis intellexiſſet, mandaſſet vtique vt ei darentur.

QVÆSTIO LXVIII.

Vtrùm ei qui ſimul eſt canonicus, & Vicarius capituli, diſtributiones debeantur, dum ſede vacante tempore diuinõrum officiorum Vicarij munus exercet.

RESPONDEO deberi. Et ratio eſt, quia hic dicitur abeſſe ob euidentem vtilitatem ſui capituli, cuius iuriſdictionem exercet, cùm Epiſcopi iuriſdictio ad capitulum deuoluatur, dum ſedes Epiſcopalis vacat per mortem, vel abſentiam Epiſcopi.

QVÆSTIO LXIX.

An qui ſimul eſt canonicus, & Vicarius Epiſcopi, poſſit quotidianas diſtributiones percipere, dum tempore diuinorum officiorum, Vicarij munere fungitur.

ET quidem certum eſt, hunc qui ſimul Vicarius eſt, & canonicus, dum Epiſcopo ſuo in Vicariatus munere inſeruit, haberi pro reſidente, & poſſe percipere fructus ſui canonicatus, vt expreſsè

expreſsè conſtat ex cap. de cætero, & cap. ad aud. de cler. non reſid.

QVÆSTIO LXX.

Sed dubium eſt de diſtributionibus.

SED reſpondeo hunc non poſſe diſtributiones lucrari. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe ob vtilitatem capituli, ſeu ſuæ Eccleſiæ cui adſcriptus eſt, & cuius Canonicus eſt, ſed illius, cuius eſt Vicarius, & in vtilitatem Eccleſiæ ſpecialis, & non particularis.

QVÆSTIO LXXI.

An Canonicus qui abeſt ad tuenda ſui beneficij iura, poſsit diſtributiones lucrari.

MONETA 2. p. de diſtrib. q. 11. nu. 44. negat. Mihi autem ſic reſpondendũ videtur, vnde dico primò, quòd ſi Canonicus abeſt, vt tueatur ius, quod ipſe in beneficio habere prætendit, contra alterum, cum quo litigat, non poteſt diſtributiones lucrari. Ratio eſt, quia non dicitur abeſſe in euidentem Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, parum enim Eccleſiæ refert, vt hic potiùs, quàm alter beneficium obtineat.

Secundò dico, quòd ſi abeſt, vt tueatur iura ipſa beneficij, poteſt diſtributiones lucrari. Et ratio eſt, quia iura beneficij ſunt bona Eccleſiæ, ſicut eſt

ipſum beneficium, ergo qui iura beneficij tuetur, cenſetur in euidentem vtilitatem Eccleſiæ ſuæ agere.

QVÆSTIO LXXII.

Vtrùm Canonicus qui eſt etiam Capellanus, percipere poſsit diſtributiones, qui celebrat in Eccleſia collegiata, vel cathedrali cui eſt adſcriptus, dum diuina officia celebrantur.

Respondeo non poſſe. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe in euidentem ſuæ Eccleſiæ vtilitatem.

Tum quia iſte Canonicus celebrans in Eccleſia, celebrat duntaxat vt Capellanus, & reſpectu Capellaniæ, quam obtinet, non autem vt Canonicus, ſeu reſpectu canonicatus, ac proinde pro eo tempore percipere ſolùm debet ſalarium, quod reſpondet Capellaniæ, non autem canonicatui.

Et confirmatur, nam cùm iſte celebrans ad id congruum habeat ſtipendium, quod indirectè, ac minùs principaliter in Eccleſiæ ſuæ commodum redundat, huiuſmodi ſtipendio contentus eſſe debet, neque ęas diſtributiones quęrere, quæ vel choro aſſiduè, ac perſonaliter inſeruientibus, vel rem euidenter Eccleſiæ vtilem, idque directè, ac principaliter, gratíſque, aut ſine congruo, ac ſufficienti ſtipendio facientibus tribuuntur. Et ideo

ita

ita tenent Vaſq. de benef. cap. 10. §. 3. Emm, Sà verb. beneficium.nu. 55. Macig. cap. 71. nu. 177. Garz. 3. p. c.2.dub.21.nu.398. & Steph.Quaranta verb. diſtributiones,qui ait ita Sacram Congregationem Cardinalium declaraſſe.

Quam doctrinam cenſeo eſſe veriſſimam,etiamſi canonicus id faciat de conſenſu ſui ſuperioris inferioris Romano Pontifici, nam inferior non poteſt in iure ſuperioris diſpenſare.

QVÆSTIO LXXIII.

An canonicus qui de mandato ſui ſuperioris celebrat tempore diuini officij, poſſit diſtributiones percipere.

RESPONDEO poſſe, vt teſte Bonacina diſp. 2. quæſt. 5. p. 3. Sacra Congregatio declarauit in hunc modum. *Canonici qui extra chorum celebrantes, licèt etiam ex cauſa deuotionis celebrent in eadem Eccleſia, non cenſentur præſentes. Si autem celebrent ex iuſſu ſuperioris, habentur pro præſentibus.*

QVÆSTIO LXXIV.

An pœnitentiarius qui tempore diuini officij confeſſiones audit, poſsit diſtributiones percipere.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia in Conc. Tridentino ſeſſ. 24. cap. 8. decretum eſt, vt

Pœnitentiarius dum confeſſiones in Eccleſia audit, præſens in choro cenſeatur,& per conſequens diſtributiones, quę intereſſentibus conferuntur, lucrari poſſit.Quod procedit etiamſi tunc non audiat confeſſiones niſi venialium, provt teſte Moneta p. 2. q. 11. nu. 66. Sacra Congregatio Cardinalium declarauit.

Hinc Pœnitentiarius qui tempore diuini officij confeſſiones domi, aut alibi audit, diſtributiones non lucratur. Ratio eſt, quia ex Conc. Trid. citato Pœnitentiarius præſens in choro cenſetur, dum confeſſiones in Eccleſia audit.

Hinc Pœnitentiarius,qui tempore diuini officij priuatim horas canonicas perſoluit in confeſſionali, aut alibi, aut etiam celebrat,vel confabulatur, non poteſt diſtributiones percipere. Ratio eſt,quia ex Concilio citato, eas lucratur, dum confeſſiones in Eccleſia audit. Hoc tamen non eſt ita intelligendum, quin Pœnitentiarius vrbanitatis, aut conſilij gratia, poſſit quantum prudens occaſio tulerit, cum aliquo detineri, præſertim ſi de rebus ad confeſſionem pertinentibus agatur.

QVÆSTIO LXXV.

Vtrùm alij Canonici, qui tempore diuinorum officiorum confeſſiones in Eccleſia audiunt, diſtributiones percipere poſſint.

RESPONDEO, ſi iſti de licentia ſuperioris confeſſiones audiunt in defectum Pœnitentiarij mortui,vel abſentis, poſſunt diſtributiones perci-

pere, quia vices Pœnitentiarij ſuſtinent, ergo par eſt, vt ipſius priuilegio gaudeant. Secus ſi audiunt, præſente Pœnitentiario, quia tunc non poſſunt diſtributiones percipere, quia nullum ius hoc eis priuilegium conceſſit, cùm Tridentinum loquatur de Pœnitentiario.

QVÆSTIO LXXVI.

Vtrùm Canonicus qui ſimul habet curam animarum in alia Eccleſia, poſſit diſtributiones lucrari, dum tempore diuini officij abeſt, vt curæ animarum inſeruiat.

RESPONDEO non poſſe. Et ratio eſt, quia cùm non Eccleſiæ, cui adſcriptus eſt, deſeruiat, ſed Eccleſiæ tantùm ſuæ ciuitatis, aut diœceſis, habere non debet diſtributiones, tempore quo à choro abeſt, vt curam animarũ exerceat. Et eſt concluſio definita à Pio V. in Conſtit. 64. quæ incipit. *Cupientes.* vbi Pontifex decernit vt Rectores Parochialium, qui obtinent canonicatus vel dignitates in cathedralibus, aut collegiatis Eccleſiis, ſi reſideant in Eccleſiis Parochialibus, lucrentur omnes, & ſingulos fructus, redditus, & prouentus ſui canonicatus, vel dignitatis, exceptis quotidianis diſtributionibus. Quod procedit modò beneficium reddat fructus, & diſtributiones, quia ſi non habet alios redditus præter diſtributiones, dum abeſt à choro occaſione muneris Parochialis, omnes diſtributiones lucratur, vt teſte Garz. 3. p. cap. 2. num.

num. 343. Sacra Congregatio declarauit.

Hoc tamen limita, modò non adſit priuilegium ſummi Pontificis, vel legitima conſuetudo in contrarium, nam multis in locis in more poſitum eſt, vt Canonici habentes curam animarum in eadem Eccleſia ſui canonicatus lucrentur diſtributiones, dum muneri Parochiali incumbunt. Sicut à Sacra Congregatione abſolutè decretum eſt, vt Archipresbyter habens curam animarum, in choro præſens cenſeatur, dum abeſt occaſione muneris parochialis. Ita Petr. Moneta p. 2. q. 11. nu. 71. & Bonacina de horis canonicis diſput. 2. q. 5. p. 3.

QVÆSTIO LXXVII.

Vtrùm abſens cauſa ſtudij, poſſit diſtributiones percipere.

ET quidem certum eſt, occaſionem ſtudiorum eſſe iuſtam cauſam, ob quam beneficiarius poteſt à loco vbi ſitum eſt beneficium abeſſe, vt conſtat ex cap. fin. de magiſt.

QVÆSTIO LXXVIII.

Sed dubium eſt, An ſit iuſta cauſa ad effectum, vt ob eam abſens poſſit diſtributiones lucrari.

IN qua re etiam eſt certum, abſentem cauſa ſtudij in Sacra Theologia iuſtè poſſe in abſentia

fructus beneficij percipere, vt expreſsè definitur in cap. licèt. de præbendis. Et in cap. fin. de magiſt. & in Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 1.

QVÆSTIO LXXIX.

Sed tota difficultas conſiſtit, An hic poſſit diſtributiones quotidianas lucrari.

RESPONDEO non poſſe. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe in euidentem Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, cùm non conſtet, an beneficio ſit inſeruiturus ob mortis periculum, vel ob beneficij reſignationem, vel permutationem.

Et eſt concluſio definita in dicto cap. licèt. de præbendis, nam cùm ibi mandaſſet ſummus Pontifex, vt Eboracenſi Archidiacono in ſacra Scriptura ſtudere volenti, prouentus ſui Eccleſiaſtici, hoc eſt fructus præbendæ miniſtrarentur, ſtatim ſubiungit. *Nolumus tamen, vt quotidianas diſtributiones, quæ tantùm reſidentibus in Eccleſiis, & his qui interſunt horis canonicis, exhibentur, ei tribui faciatis.* Et ideò ita tenet Couar. lib. 3. var. cap. 13. num. 2. & Petr. Moneta p. 2. q. 10. num. 23. qui ait, per Sacram Congregationem ſic declaratum fuiſſe.

Hoc tamen limita, modò non adſit legitima conſuetudo in contrarium, & modò beneficium in ſolis diſtributionibus non conſiſtat, quia tunc beneficiarius cauſa ſtudij abſens, poterit diſtributiones percipere. Ratio eſt, quia diſtributiones ſuccedunt in locum fructuum, cùm beneficium nullos

alios

alios habeat redditus, præter diſtributiones, vt rectè monet Azor. lib. 7. c. 7. q. 2.

Dices, abſens cauſa ſtudij habetur præſens, l. quæſitum. ff. de fund. inſtruct. Sed præſens non ſolùm lucratur fructus, verùm etiam diſtributiones, ergo abſens cauſa ſtudij lucratur diſtributiones.

Reſpondeo, abſentem cauſa ſtudij haberi pro præſente, & per conſequens lucrari fructus beneficij, non verò haberi pro intereſſente, ac proinde non poſſe diſtributiones percipere, quæ ſolùm intereſſentibus conferuntur. Aliud enim eſt præſentem eſſe, ideſt, reſidere in loco beneficij, aliud intereſſe diuinis officiis in choro, diſtributiones non conferuntur præſentibus, niſi etiam interſint diuinis officiis.

QVÆSTIO LXXX.

Vtrùm Theologus Eccleſiæ cathedralis, aut collegiatæ poſſit diſtributiones lucrari, ſi tempore diuini officij à choro abſit prætextu lectionis, aut concionis parandæ.

RESPONDEO non poſſe. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe in euidentem ſuæ Eccleſiæ vtilitatem, cui adſcriptus eſt, ſed potiùs in vtilitatem Eccleſiæ ſuę ciuitatis, aut diœceſis.

Tum quia, vt conſtat ex ſacro Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 1, in fine, & ex cap. fin. de magiſt. docentes, & ſtudentes in ſacra Theologia, æquiparantur quantū ad perceptionem fructuum ſuorum

beneficiorum, & quotidianas diſtributiones, ergo neque docentes poſſunt diſtributiones lucrari, dum cauſa huius lecturæ abſunt à choro. Ita Moneta p. 2. q. 10. nu. 77. qui ait ſic declaraſſe Sacram Congregationem. Quod procedit niſi ipſius beneficium in ſolis diſtributionibus conſiſtat, quia tunc vt teſte Garz. 3. p. cap. 2. num. 118. Sacra Congregatio declarauit, Theologus dum abeſt ſui muneris cauſa, poteſt diſtributiones percipere, quia tunc diſtributiones ſuccedunt, & ſubrogantur loco fructuum, atque adeò eorum naturam ſortiri debent, alioquin eius priuilegium de percipiendis fructibus beneficij eſſet eluſorium.

QVÆSTIO LXXXI.

Sed quid, ſi Theologus iſte, vel ſolis, vel principaliter Canonicis, aliiſve Eccleſiæ ſuæ clericis Theologiam legeret, poſſet abſque ſpeciali priuilegio quotidianas diſtributiones percipere.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia tunc Eccleſiæ propriæ cui adſcriptus eſt, ſeruiret, rémque vtilem facere cenſeretur, & hac fortaſſis ratione Sacra Congregatio declaraſſe fertur, quòd docentes, & Lectores Sacræ Theologiæ, quando legunt, & illis diebus, quibus habetur huiuſmodi lectio, licèt ſint abſentes, habentur tamen pro

præſenti

præſentibus, etiam quoad quotidianas diſtributiones.

QVÆSTIO LXXXII.

Vtrùm abſens à choro poſſit ex priuilegio diſtributiones percipere.

ET quidem certum eſt, Epiſcopum non poſſe priuilegium concedere, vt abſens diſtributiones conſequatur. Ratio eſt, quia Epiſcopus non poteſt in iure communi Pontificio diſpenſare: ſed in iure communi Pontificio diſtributiones abſentibus conferri non debent, cap. vnico. de cler. non reſid. ergo.

QVÆSTIO LXXXIII.

Sed tota difficultas conſiſtit de Romano Pontifice, An videlicet poſſit diſpenſare, vt abſens valeat diſtributiones lucrari.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia Romanus Pontifex poteſt diſpenſare in iis quæ ſunt de iure humano, ſed diſtributiones iure humano introductæ ſunt, ergo Romanus Pontifex diſpenſare poteſt circa diſtributiones, ac proinde poteſt alicui concedere priuilegium vt abſens diſtributiones lucretur.

Tum quia ex priuilegio Conc. Trident. poſſunt Canonici tribus menſibus ab Eccleſia abeſſe abſque iactura fructuum, ergo poſſunt etiam ex priuilegio, non intereſſe, & diſtributiones lucrari, cùm vtriuſque eadem ſit ratio, & ideo ita tenet Couar. lib. 3. var. c. 13. nu. 5.

QVÆSTIO LXXXIV.

An conſuetudine induci poſſit, vt abſentes diſtributiones quotidianas percipiant.

ET quidem certum eſt, poſſe conſuetudinem introduci, qua quis in abſentia, ſeu non reſidens, poſſit fructus ſui beneficij percipere, vt conſtat ex cap. Cùm omnes. de Conſt. & tradit Moneta p. 2. quæſt. 12. num. 31. Et locum habet etiam poſt Concilium Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. modò ea conſuetudo ſit legitimè præſcripta, hoc eſt, per quadraginta annos obſeruata poſt illud decretum Concilij.

QVÆSTIO LXXXV.

Quæſtio ergo quam hîc inquirimus eſt; An conſuetudine introduci poſſit, vt Canonicus, aliúſve Cathedralis, vel collegiatæ Eccleſiæ Clericus in abſentia quotidianas diſtributiones percipiat.

RESPONDEO

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia ſicut conſuetudine induci poteſt, vt quis in abſentia fructus ſui beneficij acquirat, ita etiam induci poteſt, vt quis in abſentia diſtributiones lucretur.

Tum quia illud per conſuetudinem introduci poteſt, quod poteſt per priuilegium concedi. Priuilegio autem Summi Pontificis concedi poteſt, vt quis à choro abſens diſtributiones lucretur, vt quæſtione præcedente oſtendimus, ergo & per conſuetudinem. Quantum autem temporis ſufficiat ad hanc conſuetudinem legitimè introducendam, conſtat ex dictis à nobis in hoc libro, vbi oſtendimus quadraginta annorum ſpatium ſufficere.

QVÆSTIO LXXXVI.

An valeat conſuetudo, qua Canonicus de foris veniens, per duas, vel tres dies domi manere poſſit, ad res ſuas commodandas, antequam ad Eccleſiam adeat, & tamen pro eo tempore diſtributiones percipiat.

RESPONDEO, aut enim Canonicus abfuit propter Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, aut ob priuata ſua commoda. Si primum, valet conſuetudo, qua diſtributiones lucratur abſens per biduum, vel triduum, poſtquam redierit, quoniam cùm labor tantus ſit, vt quiete indigeat, Eccleſiæ negotia ad-

 huc

ita tenent Vaſq. de benef. cap. 10. §. 3. Emm, Sà verb. beneficium.nu. 55. Macig. cap. 71. nu. 177. Garz. 3. p. c.2.dub.21.nu.398. & Steph.Quaranta verb. diſtributiones,qui ait ita Sacram Congregationem Cardinalium declaraſſe.

Quam doctrinam cenſeo eſſe veriſſimam,etiamſi canonicus id faciat de conſenſu ſui ſuperioris inferioris Romano Pontifici, nam inferior non poteſt in iure ſuperioris diſpenſare.

QVÆSTIO LXXIII.

An canonicus qui de mandato ſui ſuperioris celebrat tempore diuini officij, poſſit diſtributiones percipere.

RESPONDEO poſſe, vt teſte Bonacina diſp. 2. quæſt. 5. p. 3. Sacra Congregatio declarauit in hunc modum. *Canonici qui extra chorum celebrantes, licèt etiam ex cauſa deuotionis celebrent in eadem Eccleſia, non cenſentur præſentes. Si autem celebrent ex iuſſu ſuperioris, habentur pro præſentibus.*

QVÆSTIO LXXIV.

An pœnitentiarius qui tempore diuini officij confeſſiones audit, poſsit diſtributiones percipere.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia in Conc. Tridentino ſeſſ. 24. cap. 8. decretum eſt, vt

Pœnitentiarius dum confeſſiones in Eccleſia audit, præſens in choro cenſeatur,& per conſequens diſtributiones, quę intereſſentibus conferuntur, lucrari poſſit. Quod procedit etiamſi tunc non audiat confeſſiones niſi venialium, prout teſte Moneta p. 2. q. 11. nu. 66. Sacra Congregatio Cardinalium declarauit.

Hinc Pœnitentiarius qui tempore diuini officij confeſſiones domi, aut alibi audit, diſtributiones non lucratur. Ratio eſt, quia ex Conc. Trid. citato Pœnitentiarius præſens in choro cenſetur, dum confeſſiones in Eccleſia audit.

Hinc Pœnitentiarius, qui tempore diuini officij priuatim horas canonicas perſoluit in confeſſionali, aut alibi, aut etiam celebrat, vel confabulatur, non poteſt diſtributiones percipere. Ratio eſt, quia ex Concilio citato, eas lucratur, dum confeſſiones in Eccleſia audit. Hoc tamen non eſt ita intelligendum, quin Pœnitentiarius vrbanitatis, aut conſilij gratia, poſſit quantum prudens occaſio tulerit, cum aliquo detineri, præſertim ſi de rebus ad confeſſionem pertinentibus agatur.

QVÆSTIO LXXV.

Vtrùm alij Canonici, qui tempore diuinorum officiorum confeſſiones in Eccleſia audiunt, diſtributiones percipere poſſint.

RESPONDEO, ſi iſti de licentia ſuperioris confeſſiones audiunt in defectum Pœnitentiarij mortui, vel abſentis, poſſunt diſtributiones perci-

pere, quia vices Pœnitentiarij ſuſtinent, ergo par eſt, vt ipſius priuilegio gaudeant. Secus ſi audiunt, præſente Pœnitentiario, quia tunc non poſſunt diſtributiones percipere, quia nullum ius hoc eis priuilegium conceſſit, cùm Tridentinum loquatur de Pœnitentiario.

QVÆSTIO LXXVI.

Vtrùm Canonicus qui ſimul habet curam animarum in alia Eccleſia, poſſit diſtributiones lucrari, dum tempore diuini officij abeſt, vt curæ animarum inſeruiat.

RESPONDEO non poſſe. Et ratio eſt, quia cùm non Eccleſiæ, cui adſcriptus eſt, deſeruiat, ſed Eccleſiæ tantùm ſuæ ciuitatis, aut diœceſis, habere non debet diſtributiones, tempore quo à choro abeſt, vt curam animarũ exerceat. Et eſt concluſio definita à Pio V. in Conſtit. 64. quæ incipit. *Cupientes.* ybi Pontifex decernit vt Rectores Parochialium, qui obtinent canonicatus vel dignitates in cathedralibus, aut collegiatis Eccleſiis, ſi reſideant in Eccleſiis Parochialibus, lucrentur omnes, & ſingulos fructus, redditus, & prouentus ſui canonicatus, vel dignitatis, exceptis quotidianis diſtributionibus. Quod procedit modò beneficium reddat fructus, & diſtributiones, quia ſi non habet alios redditus præter diſtributiones, dum abeſt à choro occaſione muneris Parochialis, omnes diſtributiones lucratur, vt teſte Garz. 3. p. cap. 2. num.

num. 343. Sacra Congregatio declarauit.

Hoc tamen limita, modò non adſit priuilegium ſummi Pontificis, vel legitima conſuetudo in contrarium, nam multis in locis in more poſitum eſt, vt Canonici habentes curam animarum in eadem Eccleſia ſui canonicatus lucrentur diſtributiones, dum muneri Parochiali incumbunt. Sicut à Sacra Congregatione abſolutè decretum eſt, vt Archipresbyter habens curam animarum, in choro præſens cenſeatur, dum abeſt occaſione muneris parochialis. Ita Petr. Moneta p. 2. q. 11. nu. 71. & Bonacina de horis canonicis diſput. 2. q. 5. p. 3.

QVÆSTIO LXXVII.

Vtrùm abſens cauſa ſtudij, poſſit diſtributiones percipere.

ET quidem certum eſt, occaſionem ſtudiorum eſſe iuſtam cauſam, ob quam beneficiarius poteſt à loco vbi ſitum eſt beneficium abeſſe, vt conſtat ex cap. fin. de magiſt.

QVÆSTIO LXXVIII.

Sed dubium eſt, An ſit iuſta cauſa ad effe-ctum, vt ob eam abſens poſſit diſtributiones lucrari.

IN qua re etiam eſt certum, abſentem cauſa ſtudij in Sacra Theologia iuſtè poſſe in abſentia

fructus beneficij percipere, vt expreſsè definitur in cap. licèt. de præbendis. Et in cap. fin. de magiſt. & in Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 1.

QVÆSTIO LXXIX.

Sed tota difficultas conſiſtit, An hic poſſit diſtributiones quotidianas lucrari.

RESPONDEO non poſſe. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe in euidentem Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, cùm non conſtet, an beneficio ſit inſeruiturus ob mortis periculum, vel ob beneficij reſignationem, vel permutationem.

Et eſt concluſio definita in dicto cap. licèt. de præbendis, nam cùm ibi mandaſſet ſummus Pontifex, vt Eboracenſi Archidiacono in ſacra Scriptura ſtudere volenti, prouentus ſui Eccleſiaſtici, hoc eſt fructus præbendæ miniſtrarentur, ſtatim ſubiungit. *Nolumus tamen, vt quotidianas diſtributiones, quæ tantùm reſidentibus in Eccleſiis, & his qui interſunt horis canonicis, exhibentur, ei tribui faciatis.* Et ideò ita tenet Couar. lib. 3. var. cap. 13. num. 2. & Petr. Moneta p. 2. q. 10. num. 23. qui ait, per Sacram Congregationem ſic declaratum fuiſſe.

Hoc tamen limita, modò non adſit legitima conſuetudo in contrarium, & modò beneficium in ſolis diſtributionibus non conſiſtat, quia tunc beneficiarius cauſa ſtudij abſens, poterit diſtributiones percipere. Ratio eſt, quia diſtributiones ſuccedunt in locum fructuum, cùm beneficium nullos alios

alios habeat redditus, præter diſtributiones, vt rectè monet Azor. lib. 7. c. 7. q. 2.

Dices, abſens cauſa ſtudij habetur præſens, l. quæſitum.ff.de fund. inſtruct.Sed præſens non ſolùm lucratur fructus, verùm etiam diſtributiones, ergo abſens cauſa ſtudij lucratur diſtributiones.

Reſpondeo, abſentem cauſa ſtudij haberi pro præſente,& per conſequens lucrari fructus beneficij,non verò haberi pro intereſſente, ac proinde non poſſe diſtributiones percipere, quæ ſolùm intereſſentibus conferuntur. Aliud enim eſt præſentem eſſe, ideſt, reſidere in loco beneficij, aliud intereſſe diuinis officiis in choro, diſtributiones non conferuntur præſentibus, niſi etiam interſint diuinis officiis.

QVÆSTIO LXXX.

Vtrùm Theologus Eccleſiæ cathedralis, aut collegiatæ poſſit diſtributiones lucrari, ſi tempore diuini officij à choro abſit prætextu lectionis, aut concionis parandæ.

RESPONDEO non poſſe. Et ratio eſt, quia hic non dicitur abeſſe in euidentem ſuæ Eccleſiæ vtilitatem, cui adſcriptus eſt, ſed potiùs in vtilitatem Eccleſiæ ſuę ciuitatis, aut diœceſis.

Tum quia, vt conſtat ex ſacro Conc. Trid. ſeſſ. 5. cap. 1, in fine, & ex cap. fin. de magiſt. docentes, & ſtudentes in ſacra Theologia, æquiparantur quantū ad perceptionem fructuum ſuorum

beneficiorum, & quotidianas diſtributiones, ergo neque docentes poſſunt diſtributiones lucrari, dum cauſa huius lecturæ abſunt à choro. Ita Moneta p. 2. q. 10. nu. 77. qui ait ſic declaraſſe Sacram Congregationem. Quod procedit niſi ipſius beneficium in ſolis diſtributionibus conſiſtat, quia tunc vt teſte Garz. 3. p. cap. 2. num. 118. Sacra Congregatio declarauit, Theologus dum abeſt ſui muneris cauſa, poteſt diſtributiones percipere, quia tunc diſtributiones ſuccedunt, & ſubrogantur loco fructuum, atque adeò eorum naturam ſortiri debent, alioquin eius priuilegium de percipiendis fructibus beneficij eſſet eluſorium.

QVÆSTIO LXXXI.

Sed quid, ſi Theologus iſte, vel ſolis, vel principaliter Canonicis, aliiſve Eccleſiæ ſuæ clericis Theologiam legeret, poſſet abſque ſpeciali priuilegio quotidianas diſtributiones percipere.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia tunc Eccleſiæ propriæ cui adſcriptus eſt, ſeruiret, rémque vtilem facere cenſeretur, & hac fortaſſis ratione Sacra Congregatio declaraſſe fertur, quòd docentes, & Lectores Sacræ Theologiæ, quando legunt, & illis diebus, quibus habetur huiuſmodi lectio, licèt ſint abſentes, habentur tamen pro

præſenti

præſentibus, etiam quoad quotidianas diſtributiones.

QVÆSTIO LXXXII.

Vtrùm abſens à choro poſſit ex priuilegio diſtributiones percipere.

ET quidem certum eſt, Epiſcopum non poſſe priuilegium concedere, vt abſens diſtributiones conſequatur. Ratio eſt, quia Epiſcopus non poteſt in iure communi Pontificio diſpenſare: ſed in iure communi Pontificio diſtributiones abſentibus conferri non debent, cap. vnico. de cler. non reſid. ergo.

QVÆSTIO LXXXIII.

Sed tota difficultas conſiſtit de Romano Pontifice, An videlicet poſſit diſpenſare, vt abſens valeat diſtributiones lucrari.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia Romanus Pontifex poteſt diſpenſare in iis quæ ſunt de iure humano, ſed diſtributiones iure humano introductæ ſunt, ergo Romanus Pontifex diſpenſare poteſt circa diſtributiones, ac proinde poteſt alicui concedere priuilegium vt abſens diſtributiones lucretur.

Tum quia ex priuilegio Conc. Trident. poſſunt Canonici tribus menſibus ab Eccleſia abeſſe abſque iactura fructuum, ergo poſſunt etiam ex priuilegio, non intereſſe, & diſtributiones lucrari, cùm vtriuſque eadem ſit ratio, & ideo ita tenet Couar. lib. 3. var. c. 13. nu. 5.

QVÆSTIO LXXXIV.

An conſuetudine induci poſſit, vt abſentes diſtributiones quotidianas percipiant.

ET quidem certum eſt, poſſe conſuetudinem introduci, qua quis in abſentia, ſeu non reſidens, poſſit fructus ſui beneficij percipere, vt conſtat ex cap. Cùm omnes. de Conſt. & tradit Moneta p. 2. quæſt. 12. num. 31. Et locum habet etiam poſt Concilium Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. modò ea conſuetudo ſit legitimè præſcripta, hoc eſt, per quadraginta annos obſeruata poſt illud decretum Concilij.

QVÆSTIO LXXXV.

Quæſtio ergo quam hîc inquirimus eſt; An conſuetudine introduci poſſit, vt Canonicus, aliúſve Cathedralis, vel collegiatæ Eccleſiæ Clericus in abſentia quotidianas diſtributiones percipiat.

Respondeo

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia ſicut conſuetudine induci poteſt, vt quis in abſentia fructus ſui beneficij acquirat, ita etiam induci poteſt, vt quis in abſentia diſtributiones lucretur.

Tum quia illud per conſuetudinem introduci poteſt, quod poteſt per priuilegium concedi. Priuilegio autem Summi Pontificis concedi poteſt, vt quis à choro abſens diſtributiones lucretur, vt quæſtione præcedente oſtendimus, ergo & per conſuetudinem. Quantum autem temporis ſufficiat ad hanc conſuetudinem legitimè introducendam, conſtat ex dictis à nobis in hoc libro, vbi oſtendimus quadraginta annorum ſpatium ſufficere.

QVÆSTIO LXXXVI.

An valeat conſuetudo, qua Canonicus de foris veniens, per duas, vel tres dies domi manere poſſit, ad res ſuas commodandas, antequam ad Eccleſiam adeat, & tamen pro eo tempore diſtributiones percipiat.

RESPONDEO, aut enim Canonicus abfuit propter Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, aut ob priuata ſua commoda. Si primum, valet conſuetudo, qua diſtributiones lucratur abſens per biduum, vel triduum, poſtquam redierit, quoniam cùm labor tantus ſit, vt quiete indigeat, Eccleſiæ negotia ad-

huc agere videtur, qui laſſus ex itinere per duos, vel tres dies quieſcit. Si ſecundum, non valet conſuetudo, quia ob ſua commoda iter ſuſcepit. Et ideo ita tenent Azor. lib. 7. cap. 7. q. 5. & Graff. p. 2. lib. 3. cap. 14. nu. 18.

QVÆSTIO LXXXVII.

Vtrùm diſtributiones quas Canonici amittunt, ob abſentiam à diuinis officiis, intereſſentibus accreſcant.

RESPONDEO quòd diſtributiones quotidianæ ordinariæ, & propriè ſumptæ, quę conſtituuntur ex communibus beneficiorum fructibus, lucrifaciendæ ab iis qui ſtatis horis ſunt in Eccleſia pręſentes, accreſcunt aliis Canonicis, qui diuinis officiis interſunt, vt conſtat ex ca. vnico. de cler. non reſid. vbi dicitur: His ſolis diſtributiones deberi, qui diuinis interſunt, nec diſtributiones abſentium aliis applicari, quàm intereſſentibus. Et ex Conc. Tridentino ſeſſ. 21. cap. 3. vbi dicitur. Diſtributiones inter ipſos intereſſentes diuidendas eſſe. Et ſeſſ. 24. cap. 12. vbi decernitur, abſentes non poſſe diſtributiones lucrari ob remiſſionem ſibi factā ab aliis, qui diuinis officiis interfuerunt, ſed remiſſio pertinet ad eos, quibus accreſcūt, ergo diſtributiones propriè ſumptæ abſentium accreſcunt intereſſentibus.

Dixi notanter, *diſtributiones ordinariæ, & propriè ſumptæ*, quia ſunt quædam diſtributiones extraordi-

traordinariæ, & impropriæ, de quibus eſt ſermo in Concilio Tridentin. ſeſſion. 22. cap. 3. quæ non ſumuntur de communi maſſa, ſed de fructibus particularibus dignitatum, perſonatuum, & officiorum lucrifaciendæ ab eis ſolis, qui habent ea, implendo officia dicta eis per Epiſcopos deſignata, vt quando verbi gratia. Decano dentur ſex, Archidiacono quatuor, Theſaurario duo, ei qui ſtatutis diebus ſacrum faciet, vnum, &c. Et hæ diſtributiones extraordinariæ cùm amittuntur ob canonicorum abſentiam, non debent accreſcere aliis, ſed verti debent in vſus fabricæ Eccleſiæ, vel in alios vſus pios. Ita Philiarch. tom. 1. cap. 14. Naldus verb. diuinum officium numero 13. & alij.

Couarr. lib. 3. var. cap. 13. num. 7. & *Azor.* lib. 7. cap. 7. quæſt. 8. putant caput tertium Conc. ſeſſ. 22. habere locum, quando nullus ex Eccleſiæ miniſtris diuinis officiis intereſt, quia tunc omnes diſtributiones quæ eis dandæ forent, ſi præſentes fuiſſent, ad Eccleſiam pertinere debent, eíque applicantur, quæ debito ſeruitio fraudata eſt. At diſtributiones quas amittunt Canonici, quia non interſunt hac, vel illa hora diuinis officiis, iuxta capit. 3. ſeſſion. 21. eiuſdem Concilij, accreſcunt aliis, qui interſunt illis eiſdem horis.

Eſt autem hoc loco aduertendum, quòd iſtæ diſtributiones extraordinariæ amiſſæ non ſunt ipſo iure applicatæ fabricæ Eccleſiæ, ſed in poteſtate ordinarij eſt, illas fabricæ, vel alteri pio loco applicare.

QVÆST.

QVÆSTIO LXXXVIII.

Vtrùm diſtributiones abſentium debeantur non ſolùm actu intereſſentibus, verùm etiam aliis qui iuris fictione cenſentur intereſſentes, vt qui abſunt ex cauſa infirmitatis, vel in Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, vel ob iuſtam, & rationabilem corporis neceſſitatem.

Respondeo, ſolùm deberi actu intereſſentibus, vt conſtat ex c. vnico. §. ſtatuimus, vbi Bonifacius VIII. indiſtinctè mandat, ac ſtatuit, vt quotidianæ diſtributiones iis Canonicis, & clericis collegiatarum Eccleſiarum tribuantur, qui diuinis officiis adfuerint, atque adeò, cùm eas quoque diſtributiones complectantur, quas ij, qui non interſunt, acquirerent, ſi intereſſent, neceſſarium eſt, eas acquiri, & accreſcere iis qui interſunt. Hoc idem colligitur ex Concilio Trid. ſeſſ. 21. c. 3. vbi decernitur, quotidianas diſtributiones diuidendas eſſe inter obtinentes dignitates, & cæteros diuinis intereſſentes. Et clarius ex ſeſſ 24. cap. 12. vbi Pontifex ſtatuit, vt diſtributiones ij qui ſtatis horis interfuerint, recipiant, reliqui verò quauis colluſione, aut remiſſione excluſa his careant. Remiſſio enim hæc diſtributionum fieri non poteſt, niſi ab iis, quibus accreſcunt, & quorum lucro cedunt, vt per ſe patet.

Tum

Tum quia vt Garz. 3.p.de benef.c.2.n.465.teſtatur, Sacra Congregatio declarauit diſtributiones abſentium applicandas eſſe deſeruientibus. At qui ob infirmitatem, vel Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, &c. abeſt, choro non deſeruit, licèt iuriſdictione intereſſe cenſeatur, ergo.

Tum quia cùm maiorem laborem ſubeant reliqui Canonici, cùm aliquis eorum abeſt, meritò maioris mercedis loco illis debentur huiuſmodi diſtributiones iure accreſcendi.

Tum demum, quia priuilegium alicui conceſſum, vt abſens diſtributiones acquirat, eſt odioſum, non ſolùm quia aduerſatur iuri communi, quo cauetur abſentibus diſtributiones non conferri, & facit ad diminutionem diuini cultus, verùm etiam, quia repugnat iuri aliorum Canonicorum, quibus portio abſentis accreſcit, ergo ſtrictè eſt explicandum pro ſolis actu intereſſentibus, & perſonaliter inſeruientibus.

QVÆSTIO LXXXIX.

An vetita ſit diſtributionum remiſsio.

ANTEQVAM ad huius quæſtionis reſolutionem deſcendamus, præmittendum eſt primò, magnam eſſe differentiam inter remiſſionem, donationem, & colluſionem.

Nam remiſſio eſt ſimplex condonatio eorum, quæ nobis debentur, ſed non ſunt in poteſtate, & dominio noſtro, ſed potiùs adhuc ſunt penes debitorem, vt ſi tu debes mihi centum, & ego illa tibi condono.

Donatio

Donatio eſt ſpontanea, & voluntaria datio eorum, quæ poſſidemus, vt ſi ipſe dem tibi centum, abſque onere reſtitutionis.

Colluſio verò eſt conuentio inter duos importans mutuam condonationem ſeu remiſſionem mulctæ. Vt ſi tu hoc pacto mecum conuenias, ſi ego abſuero, diſtributiones mihi condonabis, ſi tu abſueris, ipſe tibi condonabo. Quo poſito

Gloſſa in cap. 1. de verb. ſignificat. & cap. 1. de cler. non reſid. affirmat remiſſionem non eſſe vetitam.

In contrarium tamen eſt vetus, & communis, & vera ſententia. Pro qua dico primò, quòd non eſt licita remiſſio facta abſenti ab aliis, quibus ob aſſiſtentiam in choro diſtributiones accreſcunt. Et ratio eſt, quia per eam derogatur diuino cultui, & legi canonicæ, qua huiuſmodi remiſſio vetatur, vt conſtat ex textu cap. vnico. de cler. non reſid. & ex Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. ibi: *Reliqui, quauis colluſione, aut remiſſione excluſa his careant.*

Secundò dico, quòd huiuſmodi remiſſio, non ſolùm eſt illicita, verùm etiam eſt nullius valoris. Ratio eſt, quia Concilium Tridentinum loco citato abſolutè excludit quamlibet remiſſionem, & diſtributionibus priuat quoſcunque non intereſſentes.

Tum quia ſic fertur per Sacram Congregationem declaratum. Et ideo ita tenet Garz. de benef. p. 3. cap. 2. num. 432.

Ex quo ſequitur, abſentem qui hoc modo diſtributiones accipit, non eſſe tutum in conſcientia, ſed teneri illas reſtituere. Ratio eſt, quia nullus retinere poteſt id, ad quod acquirendum incapax,

capax, & inhabilis effectus eſt, abſens autem videtur effectus incapax ad acquirendas diſtributiones, ex decreto Concil. Trident. ſuprà citato, ergo.

Tum quia hic non retinet diſtributiones, niſi titulo remiſſionis, hæc autem irrita declaratur à Sacro Concilio Tridentino, ibi. *Quauis remiſſione excluſa.*

Tum demum, quia Sacra Congregatio apertè aſſerit, abſentes non poſſe diſtributiones accipere, & acceptas ſuas non facere. Quam doctrinam arbitror eſſe veriſſimam loquendo de remiſſione de futuro.

QVÆSTIO XC.

Sed dubiæ quæſtionis eſt, An idem dicendum ſit, quando remiſsio fit de præterito, vt ſi quis dicat, condono tibi diſtributiones, quæ mihi de iure, ob tuam abſentiam accreuerunt.

RODRIQ. in Sum. 1. p. cap. 33. num. 3. ante, & poſt alios negat, modò hoc non fiat in fraudem legis, ſeu modò nulla præceſſerit conuentio.

Cæterum quamuis hæc ſententia ſit ſatis probabilis, probabiliorem tamen iudico contrariam, nimirum non ſolùm eſſe nullius valoris remiſſionem de futuro, verùm etiam de præterito. Tum quia hæc opinio communior eſt. Tum quia tutior

ea eſt in foro conſcientiæ. Tum quia cultui diuino fauorabilior. Tum quia congruentior verbis Tridentini Concilij, quamuis remiſſionem excludentis, ac prohibentis per verbum vniuerſale, ac generale, quod omnes ſui ſpecies includit, atque adeò tam remiſſionem doli præteriti, quàm futuri complectitur.

Tum denique, quia ſic per Illuſtriſſimos Cardinales interpretationi Concilij Tridentini Præfectos declaratum eſſe fatetur Moneta p. 3. quæſt. 3. num. 12.

QVÆSTIO XCI.

An vetita ſit diſtributionum donatio.

RIccivs verbo praxis diſtributionum. deciſ. 494. nu. 4. & Garz. de benef. 3. p. cap. 2. nu. 431. putant eſſe vetitam, & probant ex declaratione Sacræ Congregationis aſſerentis non licere capitulo aliquo prætextu diſtributiones donare, relinquere, aut quauis colluſione remittere.

Hoc tamen non obſtante, eſt contrarium dicendum, nimirum non eſſe vetitam, aut inualidam diſtributionum donationem factam ab eo, qui eas iam accepit per ſe, vel per alium à ſe electum, & poſtea liberè ſine dolo, metu, & alia coactione, ex charitate & beneficentia redderet eas reſtituenti. Et ratio eſt, quia in Concilio citato ſolùm prohibetur remiſſio, & non donatio rei propriæ ſibi iam reſtitutæ: nam licèt largo modo paria ſint *remittere* & *donare*, propriè tamen differunt,

quia

quia *remittere* eſt condonare illud quod ſperamus, ſed nondum habemus:at *donare* eſt ſpontaneè, & voluntariè dare illud quod poſſidemus.

Tum quia faciliùs quis remittit,quàm donat, & remiſſio faciliùs præſumitur fraudulenter fieri, quàm donatio.

Nec obſtat reſponſum Sacræ Congregationis, quia intelligitur de donatione quæ fit antequam diſtributiones per abſentiam amiſſæ traditę ſint donanti quam nos remiſſionem propriè appellamus: non verò de donatione, quæ fit poſtquam diſtributiones traditæ ſunt donanti, quæ propriè donatio dicitur.

Hinc non eſt tutus in conſcientia, qui diſtributiones amiſſas propter abſentiam tradit intereſſentibus, cum hoc pacto, vt ſibi reſtituantur, & poſtea reipſa ſibi reſtituuntur. Ratio eſt, quia hoc fit in fraudem legis prohibentis remiſſionem.

Tum quia reſtitutio prorſus eſt ficta, & ſimulata.

Tum quia non cenſetur ſolutum,quod cum hac præuia conuentione poſtea recuperatur. Vnde ſicut non licet remittere diſtributiones nondum ſolutas intereſſentibus, ita neque licet eas remittere tradenti hoc pacto vt reſtituantur.

Hinc non eſt audiendus Nauar. de orat. Miſcel. 59. qui putat hoc eſſe verum, etiam in illis diſtributionibus, quæ nondum applicatæ ſunt donantibus, neque ad ipſorum manus deuenerunt, vt quia ſunt adhuc penes theſaurarium, aliúmve qui paratus eſt eas tradere. Quia hæc non eſt donatio: donatur enim id, cuius

dominium quis habet: Canonicus autem in hoc caſu nondum habet dominium illarum diſtributionum, cùm eas nondum acceperit, non eſt igitur donatio, ſed potiùs remiſſio diſtributionum, quæ à Concilio Tridentino expreſsè vetatur.

QVÆSTIO XCII.

An colluſio circa diſtributiones ſit licita aut valida.

Respondeo non eſſe licitam, neque validam. Ratio eſt, quia expreſsè prohibetur, & excluditur à Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. 12. de reformat.

QVÆSTIO XCIII.

An qui diuinis officiis non interfuit, teneatur non ſolùm diſtributiones non recipere, verùm etiam, & perceptas reſtituere ante vllam Iudicis ſententiam.

Respondeo teneri, vt clarè conſtat ex cap. vnico. de cler. non reſid. vbi ſic habetur. Clerici Collegiatarum Eccleſiarum, qui aliter de diſtributionibus ipſis receperint, quàm intereſſendo diuinis officiis in eiſdem Eccleſiis, vſum ſic receptarum non acquirant, nec faciant eas ſuas, immò ad omnium reſtitutionem, quæ contra huiuſmodi

con

conſtitutionem receperint, teneantur. Et ex Concil. Trident. ſeſſ. 27. capite 12. vbi non ſolùm aſſeritur diſtributiones intereſſentibus deberi, verùm etiam abſentes non poſſe diſtributiones lucrari ob remiſſionem ſibi factam ab aliis videlicet Canonicis.

Tum quia, datum ob cauſam retineri non poteſt cauſa non ſubſequuta, ſed diſtributiones dantur ob intereſſentiam, ergo ea non ſubſequuta, retineri non poſſunt.

Tum demum, quia pœna ipſo iure lata, quæ ad ſui exequutionem nullam hominis actionem requirit, ſubeunda eſt ante vllam Iudicis ſententiam. ſed pœna amiſſionis diſtributionum nondum acquiſitarum, non requirit hominis actionem, cùm dictæ diſtributiones non reperiantur apud Canonicum, qui diuinis officiis non interfuit.

Ex quo ſequitur primò intereſſentes acquirere diſtributiones abſentium ante Iudicis ſententiam. Et ratio eſt, quia abſentes ipſo iure ante vllam Iudicis ſententiam priuantur.

Secundò ſequitur diſtributiones abſentium, Canonicis choro inſeruientibus deberi ab eo tempore, quo canonici abſunt. Et ratio eſt, quia tunc temporis deficit conditio, ob quam diſtributiones tribuuntur.

Dices, pœna etiam ipſo iure impoſita, nunquam incurritur niſi declarante eo ad cuius fauorem inducta eſt, pœna verò amiſſionis diſtributionum inducta videtur ad fauorem aliorum de collegio, quibus accreuerunt, atque adeò videtur expectanda declaratio ipſorum de collegio, quòd velint locum eſſe pœnæ.

Reſpondeo diſtributiones, & earum perditionem principaliter inductas eſſe in fauorem cultus diuini, vt ſatis patet ex dicto. Cap. vnico de cleric.non reſid. & annotauit Nauar.de orat.Miſcell. 59. Ex quo fit, vt ſi ab aliquo malè perceptæ, ſeu quæſitæ fuerint, non poſſint remitti, vt ſuprà dictum eſt.

Dices, multæ ſunt conſtitutiones Pontificiæ,in quibus pœna ipſo facto iniungitur, & tamen ea non incurritur ante declarationem criminis commiſſi.

Reſpondeo, in iis non adeſſe circunſtantias illas, & coniecturas, quæ adſunt in conſtitutionibus, quæ loquuntur de fructibus, & quotidianis diſtributionibus, ex quibus clarè conſtat velle Romanos Pontifices obligare tranſgreſſores ad eorum amiſſionem ante declarationem criminis.

Deinde loquuntur de iis rebus, quæ non procedunt ex liberalitate, neque directè ſunt in poteſtate illius, qui legem pœnalem tulit, prout ſunt bona eccleſiaſtica, quæ ex liberalitate Romanorum Pontificum procedunt, & in quibus pleniſſimam habent poteſtatem, & à quibus etiam, mediatè, vel immediatè conferuntur clericis beneficia, ſub ea tacita conditione, vt eorum fructus, vel diſtributiones eo ipſo amittant, ſi munera ſibi ab eorundem Pontificum decretis conſtituta non impleuerint. Ita Lop. de contract. libro 2.capite 30.

QVÆ

QVÆSTIO XCIV.

Vtrùm beneficiarij ſint verè, & propriè vſuarij fructuum, & reddituum eccleſiaſticorum.

RESPONDEO minimè. Et ratio eſt, quia vſuarij poſſunt conſumere fructus rei, in qua vſum habent, ſolùm pro ſe, & ſua familia. §. 1. Inſt. de vſu & habit. in principio. At verò beneficiarij poſſunt, & debent in ſuos, & alios pios vſus de omnibus redditibus beneficiorum ſuorum diſponere, vt habetur ex cap. 1. tit. 12. q. 3. & cap. Relatum. il 2. de teſt. ergo beneficiarij non ſunt vſuarij fructuum, & reddituum ſuorum beneficiorum.

QVÆSTIO XCV.

Vtrùm beneficiarij ſint vſufructuarij fructuum ſuorum beneficiorum.

RESPONDEO minimè. Et ratio eſt, quia vſufructuarij liberè poſſunt diſponere in vita, & in morte de ſuis fructibus, quibuſcunque voluerint, ſine vllo paupertatis, aut pietatis intuitu, ob ſolam amicitiam, cognationem, ac liberalitatem. §. 1. Inſt. de vſu, & habit. & Inſt. de vſufruct. At beneficiarij non poſſunt liberè diſponere de fructibus, ac redditibus ſuorum beneficiorum, niſi in vſus pios, & hoc inter viuos, vt conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. de reformat. ergo non ſunt vſufructuarij.

QVÆSTIO XCVI.

Vtrùm Epiſcopi, & beneficiarij ſint verè, propriè, & ſimpliciter domini fructuum, quos ex ſuis beneficiis percipiunt.

AD cuius quæſtionis intelligentiam, obſeruandum eſt primò, quod beneficiariorum tria ſunt genera bonorum, ſcil. patrimonialia, quaſi patrimonialia, & merè Eccleſiaſtica. Bona patrimonialia ſunt, quæ clericis obueniunt ex hæreditate, vel induſtria, & arte, vel donatione, vel alio modo, dummodo non ſit intuitu ordinis, vel miniſterij eccleſiaſtici.

Bona quaſi patrimonialia ſunt illa in primis, quæ ipſi ratione dignitatis clericalis, miſſando, prædicando, confeſſiones audiendo, & alia ſacramenta adminiſtrando acquirunt, non tanquam redditus annuos beneficiorum, ſed vt præmia quotidiana laboris ſui, etiam ſi ad illa ex officio teneantur. Secundò, quæ ipſis aſſignantur ad decentem ſui ſuſtentationem.

Bona verò merè eccleſiaſtica ſunt redditus, qui quotannis obueniunt ex beneficiis.

Secundò eſt obſeruandum, quod in primitiua Eccleſia omnes Chriſti fideles ſine proprio in cōmuni viuebant, eiſque erat cor vnum, & anima vna, & omnia erant communia, neque quiſque niſi ſibi neceſſaria ſumere poterat. Vnde clerus cum Epiſcopo viuebat in communi, & vnuſquiſque accipiebat neceſſaria de manu Epiſcopi, vt colligitur ex Can.

Can. Dilectiſſimis. & Can. Videntes. Quem modũ viuendi, nunc multi Canonici ſub Regula viuentes retinent. Et tunc bonorum diſtributio ad Epiſcopum, vt fidelem diſpenſatorem pertinebat, qui vnicuique tribuebat, vt opus erat. Poſtea verò refrigeſcente charitate, fuerunt omnium Eccleſiarum bona diuiſa in quatuor partes, quarum vna pars ceſſit Epiſcopo, ſecunda clero, tertia fabricæ, ac denique quarta pauperibus. Quæ diuiſio facta fuit anno Domini 470. à Simplicio Papa, cuius eſt ille Canon de reddit. 12. q. 2. & poſt viginti annos fuit confirmata à Gelaſio in cap. Vobis enim. Et tandem à Gregorio Magno in Can. Cognouimus. eadem cauſa, & q. Quibus ſic poſitis

Certum mihi eſt, beneficiarios eſſe verè & propriè dominos bonorum patrimonialium, & de illis vt laici liberè poſſe diſponere. Ratio eſt, quia per beneficium neque fiunt incapaces dominij, neque etiam ſe abdicant dominio, neque ſe obligant ad expendenda bona patrimonialia in pias cauſas.

Hinc, ſi beneficiarij ex his bonis viuant, vel expendant in pias cauſas, poſſunt tantundem accipere ex bonis, & redditibus ſuorum beneficiorum, déque eis tanquam de proprio patrimonio diſponere. Ratio eſt, quia cùm hi habeant ius, ſe & ſuam familiam alendi ex beneficio, non tenentur viuere ex patrimonio, vnde ſi ex patrimonio viuant, poſſunt vti compenſatione, accipiendo tantundem ex bonis beneficij.

Tum quia cùm patrimonium non teneantur abſolutè in opera pia expendere, ſi ſic expenderint, poterunt vti compẽſatione ex fructibus beneficio-

rum,quos alioquin in talia opera conferre debuiſſent,vt optimè monet Nauar.de redd.quęſt.1.monito 32. Quod limita, niſi fortè intenderint non vti compenſatione, quòd non eſt præſumendum, niſi id expreſſè intenderint.

Secundò certum quoque mihi eſt, beneficiarios eſſe verè & propriè dominos bonorum quaſi patrimonialium, neque teneri ea magis in vſus pios expendere, quàm bona patrimonialia. Ratio eſt, quia hæc dantur in alimentum, & veluti merces proprij laboris,vt de iis diſponant pro arbitrio,nec enim fideles, qui hæc tribuunt, intendunt illis vllum onus imponere alendi pauperes. Nec refert quòd hæc ſtipendia interdum longè excedant laborem, quia liberè à fidelibus dantur.Vnde ſi alicui pro vna Miſſa darentur centum aurei, non minùs fieret illorum dominus, quàm is, cui daretur vnus ſolus argenteus. Nauar. de redd. mon.19.& 39.

QVÆSTIO XCVII.

Sed dubium eſt de bonis merè eccleſiaſticis.

ET quidem non diſputamus modò de iſtorum bonorum proprietate ante diuiſionem,quia indubitatum omnino eſt, ante diuiſionem, cùm in communi viuerent votúmque haberent paupertatis, nullus eorum, etiam Epiſcopus, habebat proprietatem eius, quod ſibi ex decenti ſuſtentatione ſupererat.

QVÆ

QVÆSTIO XCVIII.

Quæſtio igitur eſt, de bonis, & prouentibus eccleſiaſticis, poſt diuiſionem.

IN quare etiam eſt certum, beneficiarios eſſe verè, & propriè ac ſimpliciter dominos eius portionis fructuum, quæ ad honeſtam eorum ſuſtentationem eſt neceſſaria. Et ratio eſt, quia quilibet operarius mercedis, & ſtipendij ſibi ob laborem debiti dominium acquirit: atqui beneficiarij verè ſunt in Eccleſia operarij, ergo fructus ſuorum beneficiorum ſibi ad vitam neceſſarios, faciunt ſuos, quemadmodum miles ſtipendium. Ita Leſſ. lib.2. de iuſt. cap. 7. dub. 7. Molina de iuſt. tract. 2. diſp. 143. & alij.

QVÆSTIO XCIX.

Tota igitur difficultas eſt de eo, quod ſupereſt ex fructibus beneficiorum.

ILLVD ſanè indubitatum omnino eſt beneficiarios vltra portionem ſibi ad vitæ vſum neceſſariam, reliquam, quæ ex fructibus beneficiorum ſupereſt, in communes indigentium neceſſitates erogare debere, quia reputantur veluti patres, & tutores pauperum, & orphanorum, ergo peculiari ratione tenentur de ſuperfluo ſui ſtatus illis ſubuenire.

QVÆSTIO C.

Totum igitur huius controuerſiæ diſſidium conſiſtit. Quo iure beneficiarij ad id teneantur. Quod perinde eſt, ac ſi quæreretur, an beneficiarij ſint verè, & propriè domini illius portionis redundantis.

IN qua re, quæ non minùs vtilis, quàm difficilis eſt, duæ extant Doctorum contrariæ penitus, & diſſentiẽtes inter ſe ſententiæ. Quarũ prima eſt dicentium, beneficiarios non eſſe verè, & propriè dominos illius portionis redundantis, ſed ſolùm diſpenſatores, ita vt ex iuſtitia teneantur illam pauperibus erogare, quod ſi id facere recuſent, debere tantundem ex aliis bonis, quæ pleno iure retinent, in vſus pauperum elargiri, quantum ex eo quod ſupereſt in alios vſus impendunt, ſicut œconomus bona domini ſui contra intentionem illius expendens, ad reſtitutionem tenetur. Et ſimiliter eos, quibus dederunt, teneri pauperibus reſtituere accepta, ſi beneficiarij reddere, aut recuſent, aut non poſſint. Huius opinionis ſunt Alex. Alen. p. 3. q. 56. m. 5. q. 2. & 3. Palud. in 4. d. 24. quæſt. 3. artic. 4. Richar. d. 45. q. 1. artic. 3. Maior d. 24. q. 6. vbi etiam dicit nullum Doctorem ante ipſius ætatem contrariũ tenuiſſe. Gab. in 4. d. 15. q. 8. ar. 2. D. Anton. 3 p. tit. 15. c. 1. §. 19. Ang. verb. clericus. 3. n. 1. & 4. Roſel. verb.

re

reſtitut.14.n.6.& 7. Armil. verb.beneficium n.14. Petr à Soto de inſtit.ſacerd.p.2.de vita ſacerd.lect. 3.de bonis Eccleſiæ,vbi dicit contrarium eſſe errorem grauiſſimum, ſaltem contra bonos mores, & iuſtitiam.Et quidni etiam contra Scripturam?Et hi inter Theologos.Inter iuris verò Canonici Doctores Innocétius, Ioan.And.Cald.Ant.Abb. Anchar. Domin.Franc.Iaſon, Barbat.Decius, & Nauar. qui quaſi omnes dicunt eſſe communem ſententiam. Immò Archid.in cap.Statutum.§.Aſſeſſorem.de reſcriptis in 6. ait eſſe hæreticum in iure canonico contrarium aſſerere.

Secunda verò opinio (cui tanquam probabiliori adhæreo)eſt aliorum aſſerentium beneficiarios eſſe verè,propriè,& ſimpliciter dominos illius portionis quæ ſibi ſupereſt ex fructibus beneficiorum, ita vt in quoſlibet vſus poſſint eam liberaliter impendere:quod ſi in prophanos vſus eam expenderint, peccabunt quidem mortiferè,ad reſtitutioně tamen pauperibus,vel aliis piis cauſis,non tenebũtur.Et ratio huius eſt,quia quilibet operarius mercedis,ac ſtipendij ſibi ob laborem debiti verè, & propriè dominus eſt:atqui beneficiarij verè ſunt in Eccleſia operarij,& fructus eis redduntur tanquam laboris merces,ergo illorum verè,& propriè ſunt domini.

Tum quia non eſt maior ratio, cur pauperes fiant domini quartæ partis ſibi ex Eccleſiæ bonis aſſignatæ, & Eccleſia ſimiliter dominium acquirat tertiæ partis ſibi datæ ad fabricandum, quàm quòd beneficiarij portionis ſibi ob laborem & operam deſtinatæ dominium aſſequantur.

Tum quia, qui hæc bona Eccleſiæ reliquerunt, nullum

nullum onus, aut vinculum obligationis iuſtitiæ erogandi ſuperflua pauperibus eis impoſuerunt, ergo non ſunt obligandi lege iuſtitiæ beneficiarij ad reſiduum ſui ſtatus erogandum pauperibus ac proinde illius partis ſuperfluæ verè, & propriè ſunt domini.

Tandem videtur eſſe concluſio definita in cap. vnico. de cler. non reſid. vbi ſic dicitur: *Qui diuinis officiis non interſunt, (niſi infirmitas, ſeu iuſta & rationabilis neceſſitas aut euidens Eccleſiæ vtilitas releuet) non ſunt domini quotidianarum diſtributionum, neque faciunt eas ſuas, ſed ad reſtitutionem ſic perceptarum obligantur.* Supponit ergo Pontifex, alios qui interſunt, fieri dominos, quod ſi iſti fiunt domini quotidianarum diſtributionum, cur non etiam aliorum prouentuum præſertim cùm omnes dentur propter officium ſiue publicè, ſiue priuatim dicendum. Et in Concilio Trident. ſeſſ. 22. cap. 3. dicitur, vt in omnibus Eccleſiis cathedralibus, & collegiatis tertia pars prouentuum omnium dignitatum, perſonatuum, & officiorum in diſtributiones diuidatur, vt ſcilicet qui eas obtinet, ſi perſonaliter competẽs ſibi ſeruitium quolibet die ſtatuto non impleuerint, illius diei diſtributionem amittant, nec eius quoque modò dominium acquirant, ſed fabricæ, vel alteri loco applicetur. Et ſeſſ. 23. cap. de reformat. decernitur, vt Epiſcopi qui vltra tres menſes (niſi vrgente neceſſitate) abſunt à ſuis Eccleſiis, fructus non faciant ſuos pro rata tẽporis abſentiæ: ſed teneantur fabricæ, vel pauperibus erogare. Idem dicitur de aliis curam animarum habentibus. Et ſeſſ. 24. cap. 12. de reformat. ſtatuitur, vt prouiſi de canonicatibus, & dignitatibus publicam

blicam fidei profeſſionem faciant: alioquin fructus non faciant ſuos. Ex quibus locis apertè colligitur beneficiarios eſſe verè, & propriè dominos omnium ſuorum prouentuum, neque vllo vinculo iuſtitiæ quicquam illorum, pauperibus aut alteri pio operi debere. Et ideo ita tenent Syluest. verb. reſtitutio. 3. quæſtio. 5. Tab. ibidem §. 19 Sotus lib. 10. de iuſt. quæſt. 4. artic. 3. Couar. cap. cùm in off. numer. 3. de teſtam. Molin. de iuſt. & iure tract. 2. d. 143. Azor. p. 2. lib. 7. cap. 8. quæſt. 2. & plerique alij. Eiuſdem opinionis videtur eſſe D. Thom. 2. 2. quæſt. 185. art. 7. vbi ait quòd de bonis eccleſiaſticis, quę ſunt ſpecialiter vſui beneficiariorum deputata, videtur eſſe eadem ratio, ſicut de propriis bonis, ergo ſicut propriorum bonorum ſunt domini, ita & iſtius portionis ſuæ partis ſibi deputatæ ſpecialiter ad vſum.

Obiicies, innumeri ſancti Patres de hac materia tractantes docuerunt furtum eſſe, & ſacrilegium pauperibus ſuperflua non erogare, ſi ergo furtum eſt, ergo beneficiarij nō ſunt veri domini omnium fructuum ſuorum beneficiorum, ſed eorum duntaxat, qui congruæ ſuſtentationi ſunt neceſſarij.

Reſpondeo illos eſſe loquutos, cùm omnia bona erant communia, aut poſt, & ante multos alios egregiè notat Sotus. Qui verò loquuti ſunt poſt factam diuiſionem, metaphoricè & per exaggerationem loquuti ſunt, volentes exprimere obligationem charitatis; ſæpiſſimè enim ſancti etiam laicorum auaritiam rapinæ nomine ſuggillant per hyperbolem vt aduertit Sotus cum D. Thom. 2. 2. q. 185. ar. 7. ad primum.

Dices, canones, & iura decernunt, vt clerici

ci ſibi tantùm neceſſaria ſumant: quæ verò ſuperſunt, in communes pauperum neceſſitates expendant.

Reſpondeo, ea locum ſolùm habere in beneficiariis, qui olim in naſcenti Eccleſia communem vitam agebant, hoc eſt, quando nondum erat bonorum eccleſiaſticorum in quatuor partes facta diuiſio.

Dices, beneficiarij non poſſunt de parte illa ſuperflua prouentuum teſtari, vt patet ex cap. Relatum. 12.& cap.ad hæc.tit. de teſtam. ergo verum illius portionis dominium non habent, cùm dominium ſit ius, ſeu facultas abſoluta de re diſponendi.

Reſpondeo, hoc argumento ſolùm concludi vſum dominij, quod beneficiarij de bonis eccleſiaſticis habent, in hoc caſu impediri ſicut in certis actibus impeditur in impubere.

Dices, in iure bona Eccleſiæ vocantur patrimonium Chriſti,& res Dei, bona pauperum,& beneficiarios tantùm eſſe diſpenſatores.

Reſpõdeo dici patrimonium Chriſti,& res Dei, quia per Chriſtum,& ad cultum Dei ſunt donata. Dicũtur etiam bona pauperum, quia ſuperflua præcepto Eccleſię tenentur dare pauperibus. Tum quia hoc habebat locum pro tempore, quo nondum erant beneficia diuiſa, ſed viuebatur in communi, & tunc beneficia erant bona pauperum, quia tunc clerici erant verè pauperes, quia in particulari nullum habebant dominium,& aliqui ex illis erant bonorum communium adminiſtratores, ſicut in Monaſteriis. Nos autem agimus de tempore, quo bonorum Eccleſiæ facta eſt diuiſio.

QVÆ

QVÆSTIO CI.

Vtrùm beneficiarij arctiùs teneantur ad dandam eleemoſynam ex fructibus ſuorum beneficiorum, quàm laici ex ſuo patrimonio.

IN qua re indubitatum eſt apud omnes, beneficiarios arctiùs ad id teneri.

QVÆSTIO CII.

Sed dubium eſt, in quonam conſiſtat arctius huiuſmodi obligationis vinculum.

NAVAR. loco citato putat tale vinculum ideo eſſe arctius, quia beneficiarij ex lege iuſtitiæ tenentur ad dandum pauperibus, quod ſupereſt ex fructibus beneficiorum. At verò laici opulenti ſolo charitatis, & miſericordiæ præcepto obligantur largiri pauperibus, quod ſupereſt ex ſuo patrimonio.

At Magiſter Sotus lib. 10. de iuſt. q. 4. artic. 3 cenſet, beneficiarios ſolo charitatis præcepto obſtringi in vſus pauperum erogare quidquid ſibi ſupereſt ex fructibus beneficiorum, & nihilominus ait, huiuſmodi præcepti vinculum arctius beneficiarios obligare, quàm laicos, quia beneficiarij

in

in iure velut pauperum parentes nuncupantur. Pro quo

Primò dico, quòd Abbates & Priores qui Abbatias, & Prioratus habent in commendam præter portionem quæ miniſtris, & fabricæ Eccleſiæ debetur, compelluntur quartam partem fructuum pauperibus erogare. Et ratio eſt, quia cùm Romani Pontificis authoritate huiuſmodi Abbatię, & Prioratus commendantur, literæ Pontificiæ expediuntur cum hac conditione, vt in vſus pauperum quartam partem fructuum elargiantur, ergo ſi talem cõditionem non implent, violant iuſtitiæ legem, & pauperibus reſtituere debent, quod denegarunt.

Secundò dico, quòd cæteri clerici beneficiarij, qui nomine, & iure tituli beneficia poſſident, arctiori vinculo tenentur ad expendendum in vſus pauperum, quod redundat ex fructibus ſuorum beneficiorum, quàm laici opulenti, & arctiùs huiuſmodi vinculum conſiſtit in tribus. Primò, quia beneficiarij tenentur ſub mortali ſi quid ſuperſit ex fructibus beneficiorum, dare in communes, & ſolitas pauperum neceſſitates, tametſi nulla extrema, vel grauis egentium neceſſitas appareat: at verò laici diuites minimè ad id tenentur, niſi extrema, aut grauis indigentia occurrat.

Secundò, quia laici non tenentur ex officio, vel ſtatu ſuo inquirere pauperes, ſed illis, quos obuiam habuerint eleemoſynam impertiri. At verò Eccleſiaſtici præcipuè Epiſcopi, ratione excellentiæ ſtatus, quia ſunt miniſtri Chriſti Domini, qui loculos dicitur habuiſſe pro ſuſtentatione etiam pauperum, ad id ſpecialiter tenentur, vt habetur 16. q. 1.

Tertiò, quia laici poſſunt de bonis patrimonialibus

libus aliquid ſeruare ad ſtatum ſuum, vel conſanguineorum augendum, & tunc illud non dicitur ſuperfluum. At verò Epiſcopi, & alij Eccleſiaſtici non poſſunt ex prouentibus beneficiorum ſtatum ſibi, vel cognatis, vel amicis augere. Et ratio eſt, quia iſta bona non ſunt data niſi ad congruam ſuſtentationem, quod ergo ſupereſt congruæ ſuſtentationi, communibus proximorum neceſſitatibus debetur.

Hinc non eſt audiendus Sotus lib. 10. q. 4. art. 4. vbi ait, quòd licèt non poſſit Epiſcopus aliquid tribuere conſanguineis, vt illuſtrem, & amplum maioratum inſtituant, poteſt tamen, quatenus illi ſtatum augere poſſint. Quia id eſt expreſsè contra Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 1. de reform. vbi omnino ei interdicit, vt redditibus Eccleſiaſticis ſuos conſanguineos ditet. At donare eis ad augendum ſtatũ, eſt eos ditare, quod Concilium prohibet, nam ſolùm concedit ei, vt ſi pauperes ſint ſui conſanguinei, vt pauperibus tribuat. Vnde D. Ambr. cap. Probanda. Dandum eſt, inquit, conſanguineis in ſubſidium neceſſitatis, non vt illi ditiores fieri velint.

Tertiò, & vltimò dico, quòd quamuis clerici beneficiarij non teneantur de iuſtitia pauperibus elargiri, ſi quid eis ſuperſit ex fructibus ſuorum beneficiorum, nihilominus tamen arctiori vinculo quàm laici diuites tenentur, quia laici ſolo præcepto iuris naturalis, & diuini obligantur, cùm tamen beneficiarij non ſolùm iure naturali, & diuino, ſed etiam canonico teneantur, nam ſecundùm decreta, & canones Eccleſiæ tenentur pauperibus elargiri, quidquid abundat ex cõmodo ipſius victu.

Ex quo infertur, beneficiarios non lege iuſtitię debere quod ſupereſt dare pauperibus, ſed charitatis præcepto & lege quam Eccleſiæ canones beneficiariis, non fructibus beneficiorum impoſuerunt, ac proinde ſi quod eis ſuperat ex fructibus beneficiorum, in alios vſus, præterquam in communes pauperum vtilitates inſumant, peccant quidem dando quod ſupereſt, quibus non debent, ſed nihil reſtituere coguntur, quia Eccleſia præceptum dedit beneficiariis, vt quod ſupereſt, impendant in egentium vſus, non tamen obligauit eos ad reſtituendum, ſi non impenderint in pauperes. Cæteri verò ad quos huiuſmodi bona tranſierunt, huiuſmodi Eccleſiæ præcepto ſunt liberi, quamuis iure charitatis, & miſericordiæ teneantur. Vbi aduerte quod hîc nomine pauperum veniunt quælibet pietatis opera, vt rectè monet Nauar. de redd. monit. 26. num. 2. q. 7.

QVÆSTIO CIII.

An beneficiarij qui ſuperflua decentiæ ſui ſtatus in prauos, vanos, aut prophanos vſus expendunt, aut ſibi retinent, peccent mortaliter.

RESPONDEO eos mortaliter peccare. Et ratio eſt, quia faciunt contra ſtrictum Concilij Tridentini præceptum ſeſſ. 25. cap. 1. de reformat. vbi ſic habetur. *Omninò verò eis*, ideſt Epiſcopis, *interdicit ſancta Synodus, ne ex redditibus Eccleſiæ, conſanguineos,*

neos, familiaréſve ſuos augere ſtudeant: cùm & Apoſtolorum canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, eis vt pauperibus diſtribuant. Et poſt pauca ſubiungit. *Quæ verò de Epiſcopis dicta ſunt, eadem non ſolùm in quibuſcumque beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, pro gradu ſuæ conditionis obſeruari, ſed etiam ad ſanctæ Eccleſiæ Romanæ Cardinales pertinere decernit.* Vbi notanda ſunt illa verba. *Omnino interdicit*; quæ iuxta tradita à nobis in theſauro Religioſorum lib. 6. de voto obedientiæ, grauem obligationem indicant.

QVÆSTIO CIV.

Quódnam beneficium cuilibet clerico ad decentem victum ſufficiens cenſeatur. Et per victum hoc in loco intelligitur omne id quo clericus eget ad ſe, & familiam ſuam honeſtè ſuſtentandam, cuiuſmodi ſunt cibus, veſtitus, habitatio, & ea etiam quæ ad morbos curandos ſunt neceſſaria.

GLOSSA in cap. Cùm ad ea. de reſcriptis, verbo ſufficientia, ait, illud beneficium ad vitam clerici ſufficere, quod ipſi & ſuæ familiæ ſufficit: ita tamen, vt ex beneficij fructibus poſſit hoſpites, aduenas, & peregrinos hoſpitio excipere, & moderatas donationes facere ſecundùm qualitaté, & conditionem

ditionem ſtatus ſui, & regionis, vbi tales clerici exiſtunt. Vnde plura requirit Decanus, quàm ſimplex beneficiarius & plura Epiſcopus, vt ſic debitè, & honorabiliter, & amicabiliter vitam ducant: familiæ autem nomine intelliguntur famuli, parentes, fratres, & ſorores, aliíve conſanguinei egentes.

Nonnulli alij affirmant Pariſiis anno à Chriſto nato 1228. inter Theologos, & iuriſconſultos ſtatutum eſſe, beneficium reddens annuos quadraginta quinque aureos cuilibet clerico ad vitam ſufficere.

Sapientiſſimus Nauarrus loco ſuprà citato ſic victum cuilibet clero taxat. Si clericus ſit infimæ claſſis, ſatis eſt beneficium, ex quo ſe, & vnum famulum, coquum, & equum ſuſtentare poſſit, & domum ad habitandum neceſſariam conducere. Si ſit vir eximiæ literaturæ, præſertim Magiſter Theologiæ, & Doctor iuris canonici, ſufficit ei beneficium, ex quo alat ſe, & duos famulos, qui ipſum comitentur, & focarium, & equum pro more patriæ. Si Clericus ex ſpectabili genere ſit, ſatis eſt beneficium, ex quo alat ſe, cum tribus, vel quatuor famulis, qui ei miniſtrent, & duas equitaturas, & habitationem huius familiæ capacem. Et idem cenſet dicendum proportionabiliter de Epiſcopis, & Cardinalibus, &c.

Tandem Maior in 4, diſtinct. 24. quæſt. 18. putat Epiſcopo ſufficere, ſi ex ſuæ Eccleſiæ fructibus duodecim, aut quatuordecim famulos ſuſtentare queat.

QVÆST.

QVÆSTIO CIV.

Vtrùm beneficiarij poſsint de eo diſponere quod ſibi parciùs viuendo ſubtraxerunt ex portione ſuis vſibus deputata, an verò teneantur illud pauperibus erogare.

NONNVLLI affirmant non poſſe de eo ſuo nutu diſponere, vt ditando conſanguineos, ſed teneri illud in vſus pauperum diſtribuere. Et ratio eſt, quia clericis beneficiariis iure Canonico eſt interdictum, vt ex bonis Eccleſiæ ditent conſanguineos Eiuſdem opinionis eſt D.Tho.2.2. q. 185 ar. 7. ad 2. vbi ſic ait. Et ideo ſi de eo, quod vſui Epiſcopi, vel alicuius clerici eſt deputatum, velit aliquid ſibi ſubtrahere, & conſanguineis, vel aliis dare, non peccat, dummodo illud faciat moderatè, ideſt, vt non indigeant, non autem vt ditiores inde fiant.

Cæterùm contraria ſententia eſt multò probabilior, aſſerens eos poſſe liberè de illo diſponere, ſicut poſſunt de bonis patrimonialibus. Quia nullam habent obligationem particularem, cur hoc potius, quàm patrimonium in pauperes, vel pias cauſas teneantur impendere. Sic Nau. de redd.qu.1. nu.30. Sotus lib.10.q.4.ar.3.& Cou.de teſt. num.2. qui addit idem eſſe dicendum de his redditibus, quos vt iuſtam laboris mercedem impenſi in regimine Eccleſiæ recipit is, qui Eccleſiæ curam

geſſit, vt Paſtor, lector Capituli, & ſimiles.

Et ad fundamentum contrariæ opinionis reſpondeo, ius canonicum nõ loqui de eo quòd quis ſibi hoc modo ſubtraxit: vel quod vt iuſtum laboris ſtipendium acquiſiuit, hæc enim non cenſentur fructus beneficij, ſed propriæ induſtriæ, vt eleganter ſuo more docet Nauarrus tract. de redd. Sed loquitur de iis, quæ tantùm ratione beneficij obueniunt, & vltra congruam ſuſtentationem ſuperſunt.

QVÆSTIO CVI.

Vtrùm beneficiarij poſſint de bonis, & redditibus annuis ſuorum beneficiorum teſtari.

ET quidem certum eſt, eos poſſe teſtari etiam ad cauſas prophanas de patrimonio, & de aliis quæ ipſi ratione officij ſui etiam ſacri, ordinandi, celebrandi, ſacramenta miniſtrandi, modò non ex beneficio, congregarunt, horum enim verum habent dominium, vt nos ſuprà oſtendimus, & nullo iure prohibentur de his teſtari. Immò facultatem habere ad ſic teſtandum, habetur in c. Tua nos. de teſt. & multis aliis capitibus. Syl. ver. clericus 4. q. 2.

QVÆSTIO CVII.

Sed tota controuerſia verſatur de fructibus beneficiorum.

IN qua re etiam eſt certum, poſſe eos teſtari de iis, quę ex prouentibus beneficiorum congruenti ſuſtenta

ſuſtentationi ſubtraxerant. Quia de his verum & proprium dominium habent.

QVÆSTIO CVIII.

Tota igitur lis eſt de iis, quæ ex beneficiorum prouentibus competenti ſuſtentationi ſuperant.

PALVD. in 4. diſt. 15. q. 3. ar. 6. cenſet beneficiarium omnem poſſe in morte, & in vita de bonis redditaum diſponere.

At communis Theologorum, & Canonici iuris interpretum habet ſententia, attento iure canonico non poſſe beneficiarios de fructibus beneficiorum teſtari, etiam ad pias cauſas, vt conſtat ex cap. Epiſcopi. cap. Sint manifeſtè. 12. q. 1. cap. Quia Ioannes. & cap. Relatum 2. & cap. Cùm in off. de teſt. Et ideo ita tenent Nauar. de redd. q. 3. nu. 8. & 9. Couar. cap. Cùm in off. de teſtament. numero 5. Leſſ. lib. 2. de iuſt. cap. 19. dub. 4. nu. 43. & alij communiter.

Dixi notanter, *attento iure canonico*, quia ex conſuetudine multis in locis recepta, poſſunt de iis ad opera pia teſtari, modò ſit quadragenaria, cùm iure duntaxat humano, prohibita ſit clericis huiuſmodi diſpoſitio de redditibus Eccleſiaſticis, per vltimam voluntatem. Ita Couar. de teſt. nu. 2. Sot. lib. 10. q. 4. art. 3. & Azor. lib. 7. cap. 8. q. 2. à quibus tamen recedit Nauar. de redd. q. 1. mon. 53. & 54. & qu. 2. mon. 22. & q. 3. mon. 2. vbi contendit

non adeſſe huiuſmodi generalem conſuetudinem, & vbi adeſt, eam non valere.

Hinc non eſt audiendus Syluest. verb. Clericus. 4.q.4. vbi ait habentem beneficium ſimplex, bene poſſe de redditibus ſui beneficij teſtari. Quia in cap. Epiſcopi. 14.q.1. & cap. Relatum. 2. de teſt. prohibetur ne Canonici teſtentur: & tamen conſtat Canonicatum eſſe beneficium ſimplex.

QVÆSTIO CIX.

An beneficiarij Romani Pontificis priuilegio teſtari poſſint.

RESPONDEO poſſe. Et ratio eſt, quia tota hæc prohibitio eſt de iure poſitiuo, ſuper quod Romanus Pontifex poteſt diſpenſare. Et ſi ſine cauſa in hoc iure diſpenſet, peccat quidem, diſpenſatio tamen valida eſt. Et in hoc omnes Doctores conueniunt.

QVÆSTIO CX.

Sed tota diſceptatio verſatur, An Romani Pontificis licentia poſſint de fructibus beneficij teſtari in quoſuis vſus, etiam non pios.

NAVAR. in tract. de redd. Eccleſ. q.3. negat eos poſſe teſtari niſi in pios vſus.

Alij

Alij verò Doctores non minoris nominis, affirmant poſſe. Pro quo

Primò dico, quòd quando Pontifex in priuilegio concedit beneficiario facultatem teſtandi tantùm in vſus pauperum, & ipſe teſtatur in vſus prophanos, & ſuperfluos, tale teſtamentum eſt illicitum. Quia facultas eſt reſtricta in vſus pauperum.

Secundò dico, quòd quando Pontifex abſolutè concedit facultatem teſtandi in quoſuis vſus, intelligitur per tale priuilegium ſublata prohibitio iuris canonici, quo prohibetur fieri teſtamentum, & ſic relinquuntur beneficiarij in iure naturali, & diuino, & quia, vt diximus, beneficiarij ſunt fructuum ſuorum beneficiorum domini, ita ſicut in vita valida eſt donatio etiam in vſus prophanos, quamuis peccent contra charitatem, ita etiam in teſtamento valida erit diſpoſitio, ſed erit peccatum contra charitatem, niſi fiat in vſus pauperum.

QVÆSTIO CXI.

An beneficiarij, qui de illa parte prouentuum quæ ſupereſt, ad cauſas prophanas teſtantur, peccent mortaliter.

RESPONDEO eos peccare mortaliter. Et ratio eſt, quia ſunt in donando prodigi diſpenſatores, & quia contra canones, & præceptum Eccleſiæ id faciunt. cap. Cùm in officio.de teſtamentis, &c. Et in hoc omnes conueniunt.

QVÆSTIO CXII.

Sed dubiæ quæſtionis eſt, An tale teſtamentum ad cauſas prophanas factum, valeat.

NAVAR. loco ſuprà citato abſolutè negat. Sed oppoſitum mihi verius, & probabilius videtur. Et ratio eſt, quia beneficiarij, vt diximus, ſunt domini omnium fructuum, etſi cum onere, & obligatione, vt quod ſupereſt, in pios vſus expendant, ergo validè transferunt illorum dominium, ſiue donatione inter viuos, ſiue per vltimam voluntatem.

Nec obſtat, quòd peccent mortaliter; quia aliud eſt teſtamẽtum eſſe illicitum, aliud eſſe inualidum. Etſi enim ex præcepto Eccleſiæ teneantur de ea parte prouentuum diſponere in pios vſus, non tamen decernitur inualidum, ſi contrà fecerint.

Ex quo ſequitur, hæredes validè ſuccedere, accipiunt enim ab illo, qui validè poterat diſponere: nec illa per ſe eſt obligata piis vſibus, ſed tota obligatio erat perſonalis, ad ſolum teſtatorem pertinens, quæ non tranſit ad hæredes. Vnde tales hæredes non peccant, eam partem ſuperfluam accipiendo iure hæreditario, ſed ſolus teſtator.

QVÆSTIO CXIII.

An beneficiariis conſanguinei ſuccedant ab inteſtato in fructibus beneficiorum.

RESPONDEO,

RESPONDEO, ſi ſpectemus ius canonicum, certum eſt in redditibus beneficiorum, ſicut & in bonis ex eis redditibus acquiſitis beneficiariis decedentibus ſuccedere ab inteſtato non conſanguineos, ſed Eccleſiam vel ſucceſſorem, vt clarè conſtat ex cap. Relatum 2. de teſt. & tradit Azor. lib. 2. cap. 9. q. 7.

Dixi notanter, *ſi ſpectemus ius canonicum*, quia ex conſuetudine videmus in pleriſque locis ſuccedere conſanguineos, de qua conſuetudine teſtantur eam probantes Couar. de teſtam. nu. 9. Sarmient. de redd 2. p. c. 6. Azor. lib. 7. c. 9. q. 1. Leſſ. lib. 2. c. 19. dub. 4. & Mol. tract. 2. d. 147.

QVÆSTIO CXIV.

Vtrùm beneficiarius dum eſt in periculo mortis, poſſit de redditibus ſui beneficij aliquid donare.

IN qua re certum in primis mihi eſt, beneficiarium in ſanitate poſſe facere quaſcunque donationes, ita vt ſi in pauperes, aut in alia pia opera fiant, ſint validæ, & non peccat. Si verò in vſus prophanos, tenet donatio, quia, vt diximus, beneficiarius eſt dominus, peccat tamen mortaliter, quia facit contra rigoroſum Eccleſiæ præceptum.

Secundò certum quoque mihi eſt, beneficiarium non poſſe donare cauſa mortis, etiam in vſus pauperum. Et ratio eſt, quia donatio cauſa mortis æquipollet teſtamento, quia morte confirmatur, & omnis vltima voluntas prohibita eſt de iure canonico in beneficiario, etiam in vſus pauperum.

QVÆ.

Qvæstio CXV.

Sed tota difficultas conſiſtit, An beneficiarius in articulo mortis, poſſit facere donationes inter viuos.

Ratio dubij eſt, quia illa potius videtur cauſa mortis, quàm inter viuos donatio. Tum etiam quia videtur fieri in fraudem legis.

Sed his non obſtantibus, contrarium eſt omnino dicendum, ſcilicet quod poteſt donare inter viuos, in qua ſtatim dominium rei donatæ transfertur in donatarium. Quod arbitror veriſſimum etiamſi poſſeſſio tantùm poſt mortem concedatur. Ratio eſt, quia huic ius conceditur in tota vita de illis diſponere, faciendo donationes inter viuos, non ergo expirat illa poteſtas vſque ad mortis articulum. Nec obſtat ſuſpicio, quæ locum habet ſolùm in foro exteriori. Et ideo ita tenent Syluest. verb. clericus. 4. q. 3. & 5. Nauar. in ſum. Hiſp. cap. 25. num. 139. & de redd. q. 3. num. 8. & Couar. de teſtam. num. 5.

Qvæstio CXVI.

An penſionarius teneatur dare pauperibus, quod ſupereſt de fructibus penſionis.

Vasq. tract. de eleemoſyn. cap. 4. dub. vlt nu. 22. abſolutè negat.

Sed cæteri communi conſenſu affirmant, & meritò quidem, quia penſionis fructus connumerari

non poſſunt inter patrimonij bona, quia ſunt portiones quædem ex beneficis eccleſiaſticis detractæ, & ideo ſunt bona, quæ clericus in Eccleſia habet, ergo non poteſt de illis ſuo nutu diſponere, ſed ſi ex eis aliquid ſuperſit, tenetur ſecundùm canones in pauperum vſus elargiri.

QVÆSTIO CXVII.

An penſionarius teſtari poſſit de fructibus penſionis.

DOCTOR Nauarrus tract. de redd. q. 1. nu. 79. abſolutè negat, quia putat hæc bona non differre à bonis cuiuſcunque beneficij, & ita eodem modo de iis diſponendum eſt in vita, & in morte.

Sed oppoſitum mihi magis probatur. Et ratio eſt, quia penſio non eſt beneficium eccleſiaſticum, vt conſtat, ſed prohibitio teſtandi ſolùm inducta eſt contra beneficiarios, ergo. Et ideo ita tenent Couar. cap. Cùm in officiis, de teſtam. num. 6. & Vaſq. de redd. cap. 1. dub. 9.

QVÆSTIO CXVIII.

Vtrùm clerici collegiatarum Eccleſiarum, ſint verè & propriè domini quotidianarum diſtributionum, quas iuſtè acquirunt.

SAPIENTISSIMVS Nauar. tract. de redd. q. 1. mon. 30. nu. 2. & 3. abſolutè negat, quia putat nullum eſſe diſcrimen inter diſtributiones quotidianas, alióſque redditus eccleſiaſticos quoad dominium

dominium acquirendum, eorúmque diſpoſitionem.

Contrarium tamen eſt proculdubio affirmandum, ſcilicet clericos collegiatarum, aut cathedralium Eccleſiarum eſſe verè & propriè dominos quotidianarum diſtributionum. Et ratio eſt, quia quilibet operarius mercedis, ac ſtipendij ſibi ob laborem debiti, verè, & propriè dominus eſt, atqui canonici verè ſunt in Eccleſia operarij, & diſtributiones eis redduntur tanquam laboris merces, ergo verè ſunt illarum domini. Et eſt concluſio definita in cap. vnico. de cler. non reſid. vbi ſic dicitur. *Qui verò aliter de diſtributionibus ipſis quicquam receperit, exceptis illis, quos infirmitas, ſeu iuſta, & rationabilis corporis neceſſitas, aut euidens Eccleſiæ vtilitas excuſauerit, rerum ſic receptarum dominium non acquirat.* Ex quibus verbis ſatis apertè colligitur, quòd ſi non aliter, hoc eſt, intereſſendo, & Eccleſiæ ſeruiendo, vel ſi aliqua ex illis tribus conceſſis præpeditus diſtributiones receperit, dominium earum acquirat. Et ideo ita tenent Couar. de teſtam. nu. 4. Azor. lib. 7. cap. 9. q. 10. & lib. 8. cap. 3. q. 9. & Moneta p. 3. de diſtrib. q. 1. nu. 18. vbi ait ſic Sacram Congregationem declaraſſe. Quod procedit, quamuis beneficium, nullos alios redditus habeat præter diſtributiones, vt poſt Sylueſtrum verb. clericus. q. 44. docuit Azor. p. 2. lib. 7. cap. 9. q. 10.

Ex quo clarè ſequitur, poſſe clericos collegiatarum Eccleſiarum etiam in vſus prophanos donare inter viuos quotidianas diſtributiones, quas iuſtè acquiſierunt, ſicut poſſunt cæteros redditus patrimoniales, vt ante, & poſt alios tradit Azor. vbi ſuprà.

QVÆ.

QVÆSTIO CXIX.

An clerici collegiatarum, vel cathedralium Eccleſiarum liberè poſſint teſtari, ac per vltimam voluntatem de quotidianis diſtributionibus iure quæſitis diſponere.

NAVAR. de redd. q. 1. nu. 6. Couar. de teſtam. nu. 5. & Vaſq. de redd. cap. 1. §. 3. abſolutè negant. Et probant, quia diſtributiones intuitu beneficij dantur, ergo earum eadem eſt ratio, ac aliorum fructuum beneficij.

At ego libentius adhæreo aliorum ſententiæ, qui docent eos poſſe de diſtributionibus teſtari, etiam ad cauſas prophanas, ſicut poſſunt de bonis patrimonialibus. Et ratio eſt, quia clerici habent quotidianarum diſtributionum dominium, vt ſuprà probatum eſt, ergo de eis poſſunt teſtari, ac diſponere per vltimam voluntatem.

Tum quia, licèt quodammodo dici poſſit, eas acquiri intuitu beneficij, tamen principaliter dätur intuitu perſonæ, propter diurnam operam, aſſiduúmque ſeruitium, atque obſequium Eccleſiæ præſtitum. Quod procedit, quamuis beneficium nullos alios redditus habeat præter quotidianas diſtributiones, vt poſt Sylueſtrum ex Azorio & aliis reſoluit Petrus Moneta p. 3. q. 3. nu. 12.

QVÆSTIO CXX.

An clericis conſanguinei ſuccedant ab inteſtato in quotidianis diſtributionibus.

RESPONDEO

RESPONDEO ſuccedere. Et ratio eſt, quia clerici poſſunt de iis teſtari, vt ſuprà dictum eſt, ergo, ſi de iis non teſtentur, ſuccedent in eis conſanguinei, ſi quos habent.

Tum quia certum eſt, conſanguineos ſuccedere etiam clericis in iis, quorum habent dominium vt conſtat ex cap. fin.12. q. 5. At ſuprà probatum eſt, clericos habere verum, & proprium dominium diſtributionum, quas iuſtè acquiſierunt, ergo.

Tum demum, quia in quæſitis propria induſtria, & labore, etiam ſi habeant dependentiam à dignitate clericali, clericis ſuccedunt conſanguinei, vt rectè monet Nauar. de redd. quæſt. 1. monit. 19. & 30. Atqui quotidianæ diſtributiones ſunt huiuſmodi, vt ſuprà probatum eſt, ergo.

Et hæc dicta ſufficiant, ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, Deiparæ Mariæ Virginis, & mellifluì Patris noſtri Bernardi. Anno videlicet ab incarnatione Domini 1625. in feſto illius omniſcij, & omni pietate, & nobilitate inſignis Diui Thomæ Aquinatis.

Quæ omnia, & ſingula ſacroſanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, & cuiuſuis alterius rectiùs quàm ego ſentientis, omni qua par eſt humilitate, & reuerentia, iudicio ſubmitto.

FINIS.

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM OMNIVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

Numerus Paginam indicat.

PRIMI LIBRI QVÆSTIONES.

QVID *ſit Oratio.* *pag.*3
Quotuplex ſit Oratio. 6
Cuiuſnam facultatis oratio ſit actus. 11
Vtrùm oratio ſit virtus. 13
Vtrùm oratio ſit proprius, & elicitus actus Religionis. 14
Vtrùm oratio quæ ex aliquo timore proficiſcitur, ſit actus Religionis. 16
Vtrùm oratio ſit actus ſupernaturalis. 17
An vt oratio ſit actus ſupernaturalis, gratia iuſtificans requiratur. 18
Vtrùm oratio ſit actus nobiliſſimus. 19
Vtrùm oratio ſit commendabilis. 21
Vtrùm oratio ſit fructifera. 23
Quot, & quinam ſint fructus orationis. 28
Vtrùm oratio ſit ad ſalutem neceſſaria. 33

Vtrùm orátio ſit ad ſalutem neceſſaria, neceſſitate medij. 34
Vtrùm oratio cadat ſub præcepto diuino. 36
Quandonam obliget iſtud orationis præceptum. 38
Vtrùm hoc præceptum obliget ad mortale. 45
Ad quam virtutem pertineat hoc præceptum orandi. ibid.
Vtrùm per ſolam orationem mentalem poſſit hoc præceptum adimpleri. 47
Vtrùm oratio mentalis ſit neceſſaria ſub præcepto. 48
Vtrùm oratio vocalis ſit neceſſaria ſub præcepto. ibidem.
An teneamur vocaliter orare ſecundùm formulam à Chriſto nobis datam in oratione Dominica. 50
An clerici teneantur ſaltem ſub veniali vocaliter orare ante prandium. 54
An ſalutatio Angelica ſit de præcepto. 55
An ſit præceptum ſaltem ſub veniali ſalutandi Virginem, quando datur publicum ſignum in aurora, meridie, & hora veſpertina. 56
An fideles teneantur ad orandum vocaliter, quando tenentur audire Miſſam. 57
Vtrum oratio debeat eſſe continua. ibid.
Quibuſnam conueniat orare. 64
Vtrùm Deo conueniat orare. ibid.
Vtrum vni perſonæ diuinæ conueniat orare aliam. 65
An Chriſto orare conueniat. 66
Vtrùm Chriſto ſecundùm humanam naturam ſedenti in dextera Patris in excelſis, conueniat orare. 67
An nobis liceat Chriſtum Dominum precari, vt pro nobis intercedat. 70

An Chriſtus orans ſemper fuerit exauditus. 72
Vtrùm brutis animalibus, & reliquis creaturis inanimatis orare conueniat. 73
Vtrùm ſancti Angeli pro nobis orent. 74
An Spiritus hominum beatorum pro nobis orent. 75
An ſancti qui ſunt in patria orent pro his qui ſunt in purgatorio. 77
An Angeli, & Animæ Beatæ cùm Deum deprecantur pro nobis,prænoſcant effectum talis orationis. 78
Quomodo Angeli,vel ſancti orant pro nobis. 80
Quid ſibi vult,cùm dicimus Angelos, vel Sanctos Deo præſentare orationem noſtram. 81
Vtrùm Sancti orent non ſolùm pro aliis, ſed etiam pro ſeipſis. ibid.
Vtrùm Dæmones,& damnati orare poſſint. 84
Vtrùm Animæ purgatorij pro ſe ipſis orent. 85
An Animæ purgatorij poſſint impetrare. ibid.
An Animæ purgatorij pro nobis orent. 86
An Sancti Patres veteris teſtamenti poſt obitum ſuum orauerint. 88
An viatoribus tam bonis, quàm malis conueniat orare. 89
An peccatoribus exiſtentibus in ſtatu peccati mortalis,conueniat orare. 90
An peccatoribus obſtinatis conueniat orare. 91
Vtrùm Deus ſit à nobis orandus. 93
An ſolus Deus ſit à nobis orandus. 94
An vna perſona diuina ſine alia orari poſſit. 96
An deitas in abſtracto poſſit orari. 97
An diuina eſſentia poſſit orari. 98
Cur in collectis in fine dicitur, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, *& non* per Dominum Patrem, *vel* Dominum Spiritum ſanctum. *ibid.*

Cur multò plures ſunt collectæ, quæ ad Patrem, quàm quæ ad Filium diriguntur. 99
Virùm Angeli, & Beati hominum Spiritus in cœlo regnantes, ſint a nobis orandi. 100
Per quæ merita Sancti cœleſtis patriæ ciues, orent pro nobis. 106
Quomodo ſancti cognoſcant orationes noſtras. 109
An liceat colere, & inuocare eum, quem credimus ſaluatum, licèt non ſit in numero ſanctorum relatus. 112
Quid nomine publici cultus intelligatur. ibid.
An ſingulos eorum, qui in cælis cum Christo regnant, iure poſſimus orare. 113
An qui ſunt in purgatorio, ſint à nobis orandi. 114
An poſſint iuſti adhuc viuentes a nobis orari. 115
An poſſimus nos viatores orare pro Beatis. 117
An liceat orare pro damnatis. 120
An liceat orare pro his, qui cum ſolo originali, ex hoc vita migrarunt. 129
An ſit orandum pro his, qui ſunt in purgatorio. 130
Quomodo oratio aliena proſit alteri viuo, vel mortuo. 132
An debeamus pro nobis orare. ibid.
An debeamus pro omnibus orare. 133
An poſſimus licitè pro inimicis orare. 136
An teneamur pro inimicis orare. ibid.
Qualiter teneamur pro inimicis orare. 137
An pro infidelibus, & paganis ſit orandum. 139
An liceat Miſſæ Sacrificium offerre pro infidelibus, vt conuertantur ad Chriſtum. 140
An pro huiuſmodi hominibus fas ſit ſacerdoti, Miſſæ ſacrificium offerre, vt ipſi Chriſti fidem ſuſcipiant. 141
An

An pro hæreticis, & ſchiſmaticis, & cæteris excommunicatione affectis ſit orandum. 142

An Sacerdos in Memento *poſſit pro excommunicatis orare.* 143

An peccet mortaliter, qui pro iis qui ſunt denominatim excommunicati, & denunciati, Miſſæ ſacrificium offert. 144

An liceat ſacerdoti Miſſæ ſacrificium offerre pro excommunicatis occultis. 145

An fas ſit ſacerdoti Miſſam facere pro excommunicatis, quos credit pœnitere peccati, ob quod fuerunt excommunicati. ibid.

An ſit orandum pro his, quorum peccatum eſt ad mortem. 146

An liceat orare pro obſtinatis. 149

An liceat orare pro reprobis. ibid.

Quænam petenda ſint in oratione. 156

An bona poſſint abſolutè, & determinatè à Deo peti. 157

An ſemper ſit neceſſarium, quòd talis conditio in oratione exprimatur. 160

Vtrùm ſit peccatum bona temporalia per ſe deſiderare, & petere à Deo. 161

An petere à Deo huiuſmodi bona temporalia, ſit opus imperfectionis. 162

An liceat abſolutè petere in oratione omnes virtutes morales. 164

Vtrùm auxilium ſufficiens ſit à Deo petendum. 166

An liceat abſolutè petere auxilium efficax. 167

An liceat abſolutè petere à Deo tantam gratiæ perfectionem, quantam Beata Virgo habuit. 168

An liceat orando petere à Deo abſolutè, vt nos à malis eripiat. 169

An liceat in oratione petere à Deo aliqua mala, ſibi vel aliis. 170

An bona temporalia per Chriſtum peti poſſint, aut debeant. 173

An Deus orari poſſit non ſolùm in virtute meritorum Chriſti, verùm etiam ſanctorum. 176

An qui à Deo petit aliquid, quod eſt peccatum mortale, peccet mortaliter. ibid.

An qui à Deo petit aliquid, quod eſt peccatum veniale, peccet mortaliter. ibid.

An qui à Deo petit rem indifferentem, aliquod peccatum committat. 177

An quæ oratione vocali petuntur, debeant ſemper voce exprimi. 179

Quænam ſint, quæ deſiderantur ad hoc, vt oratio infallibiliter ſit impetratoria. 180

De quo obiecto, vel de qua materia oportet, eſſe talem fidem. 182

An charitas ſit omnino neceſſaria ad efficacem impetrationem orationis. 186

An hæc conditio, vt qui orat, pro ſe oret, ſit ſimpliciter neceſſaria. 195

An poſitis his conditionibus oratio ſit impetratoria ex iuſtitiæ debito. 201

Quare Deus non ſtatim concedit quod petimus. 202

Quot, & quænam ſint cauſæ, ob quas interdum in oratione Deus poſtulata non concedit. 203

Vtrùm intentio, ſeu propoſitum orandi, ſeu petendi aliquid à Deo, ſit de ſubſtantia orationis. 205

An intentio orandi ex obiecto debeat eſſe bona. 206

An intentio orandi neceſſariò debeat eſſe bona ſimpliciter. 207

An

An huiuſmodi intentio debeat eſſe expreſſa, & formalis. ibid.
An ad ſatisfaciendum præcepto ſatis ſit voluntas, quæ clericus Breuiarium manu capit, &c. 208
Quidnam ſit attentio. ibid.
Quotuplex ſit attentio. 209
Vtrùm in omni oratione neceſſaria ſit attentio. 212
Vtrùm attentio formalis, ſeu actualis ſit orationi vocali neceſſaria. 215
Vtrùm attentio habitualis ad orationem vocalem ſufficiat. 216
Vtrùm attentio virtualis ſit orationi vocali neceſſaria. ibid.
An peccet, qui voluntariè ſine attentione orat. 217
An id ſit peccatum mortale. 221
An ſint omnes tres attentiones neceſſariæ ſimul vt præcepto orandi ſatisfaciamus. 222
An prima attentio, qua orans attendit ad verba dumtaxat, ſit omnino neceſſaria ad implendum præceptum orationis. ibid.
An ſecunda attentio ſit omnino neceſſaria. 223
An qui in oratione primum, vel ſecundum attentionis modum eligit, animo non tranſeundi ad tertium, peccet. 225
An ſit neceſſarium, vt attentio totam orationem comitetur. 226
An qui dum vocalem orationem profert, applicat animum ad pias meditationes non pertinentes ad verba, quæ dicuntur, ſatisfaciat præcepto. 228
An oratio in loco certo fundi debeat. 230
An oratio vocalis in omni loco fieri poſſit. 232

An cæteris paribus melius ſit priuatim orare in templo, quàm alibi. 235
Quandiu in oratione perſeuerandum ſit. 237
An in oratione certus aliquis corporis habitus requiratur. ibid.
Vtrùm oratio ſit facienda verſus Orientem. 239
Vtrùm oratio vocalis ſit licita, & honeſta. 240
Quot modis poſſit oratio deprauari, & Deo ingrata eſſe. 242
Quomodo cognoſci poſſit, an quis plus, aut æquè ob lucrum, quam ob Deum bonum opus faciat. 243
An oratio vitietur ex hoc, quòd orans eſt in peccato mortali. 245
Vtrùm oratio ſit actus vitæ æternæ meritorius. 249
Vtrùm oratio ſit ſatisfactoria pœna pro peccatis debita. 250
Quanta pœna deleatur per orationem. 251
Vtrùm oratio ſit impetratoria. ibid.
Vtrùm impetratio ſit abſolutè infallibilis. 252
Vtrùm oratio quæ ob aliquem defectum circunſtantiæ eſt mala saltem venialiter, quicquam prodeſſe poſſit. 253
Vtrùm oratio peccatoris ſit aliquo modo fructuoſa. 254
Vtrùm oratio viatoris proſit alteri exiſtenti in paradiſo. 257
An oratio iuſti pro altero fuſa proſit ad ſatisfaciendum pro illius peccatis. ibid.
An oratio iuſti ex iuſtitia pro alio iuſto vim habeat ſatiſfaciendi. 258
An Sanctus aliquis Eccleſiæ triumphantis, aut militantis poſſit de condigno alteri mereri vitam æternam & augmentum gratiæ. 260
An oratio vnius valeat alteri ad alia bona, citra gratiam & gloriam. 363

Vtrùm

Vtrùm oratio iniuſti fuſa pro iuſtis vel pro iniuſtis aliquid valeat. 264
Vtrùm oratio quam hæreticus vel Catholicus maiori tamen excommunicatione affectus effert, ſit fructuoſa. 265
An oratio fuſa pro aliis, proſit eam facienti. 266
Vtrùm oratio facta pro multis, tantum ſingulis valeat, quantum valeret, ſi pro vno ſolo funderetur. ibid.
An oratio pro pluribus oblata ſit æquè ſatisfactoria pro ſingulis, quàm facta pro vno. 269
An oratio facta pro multis ſit magis grata Deo, quàm facta pro paucis, vel vno. 270
Quotuplex ſit orationis valor. 271
An oratio Dominica ſit omnibus aliis orationibus excellentior. 272
In quot partes hæc oratio Dominica diuidatur. 276
Quinam filij ſub pronomine illo, Noſter, *comprehendantur.* 281
An oratio Dominica ſeptem petitiones contineat. 284
Cur dictum eſt, fiat voluntas tua, *non autem*, fac in nobis voluntatem tuam, *&c.* 293
An ſalutare teneamur inimicum, dum nobis occurrit. 298
An ſi inimicus meus occurrens obuiam, me ſalutet, tenear ex vi præcepti charitatis illum reſalutare. 300
An inimico veniam petenti, offenſus reconciliari teneatur. 301
Vtrùm homo teneatur cum inimico ſuo colloqui, & amicabiliter conuerſari. 305
An ſi læſus ex colloquio inimici ſcandalizatur & ponit ſe in periculo veroſimili peccandi, teneatur in tali caſu cum illo conuerſari. ibid.
Vtrùm inimico veniam petenti, teneatur læſus oſtendere

ſigna dilectionis. *ibid.*
Quiſnam teneatur priùs veniam, & reconciliationem petere, quando mutuò ſe offenderunt. 307
Vtrùm offenſus teneatur ex charitate reconciliationem petere. 308
An viri Sancti, & admodum iuſti poſſint verè in oratione Dominica dicere: Dimitte nobis debita noſtra. *ibid.*
An qui ſunt in peccato obdurati, nec iniurias ſibi à proximo illatas ignoſcunt, poſſint hanc orationem dicere. 309
An per orationem Dominicam peccata venialia deleantur. 315
An oratio Dominica hanc vim habeat ex opere operato. 316

SECVNDI LIBRI Quæſtiones.

QVIDNAM *ſint horæ canonicæ.* 318
Quotnam ſint numero horæ canonicæ. 319
Cur horæ canonicæ ſint tantùm ſeptem. 322
An hæc ſeptem horarũ inſtitutio ſit de iure diuino. 324
An in Eccleſia hæc ſeptem horarum inſtitutio ſit antiqua. 326
Quando primùm ſeptem horæ canonicæ fuerint inſtitutæ. 327
An clerici ſacris initiati teneantur ex præcepto horas canonicas quotidie recitare. 328
An hoc præceptum in iure canonico habeatur expreſſum. *ibid.*
An clerici in minoribus conſtituti, ratione ſui gradus ad horas canonicas recitandas teneantur. 331

An clerici primæ tonſuræ, vel minorum ordinum, eſto non teneantur ad dicendum horas canonicas, teneantur aliquid aliud ex præcepto recitare. 332
An ſaltem conſuetudine tales clerici ad preces aliquas quotidie recitandas teneantur. 333
An Epiſcopus qui clericos ad primam tonſuram, vel ad quatuor ordines minores promouet, poſſit eis hoc onus præcipere, vt preces aliquas ſingulis diebus perſoluant. 334
An clerici excommunicati, ſuſpenſi, & interdicti teneantur priuatim horas canonicas perſoluere. 336
An clerici in ſacris per iudicis ſententiam ad triremes damnati teneantur diuinum officium perſoluere. 337
An clerici beneficia eccleſiaſtica habentes horas canonicas recitare teneantur. ibid.
Vndenam conſtat beneficiarios ad recitationem horarum canonicarum teneri. 339
An qui per metum beneficium eccleſiaſticum acceptauit, teneatur diuinum officium recitare. 340
An qui plura beneficia poſſidet, teneatur tot officia in die recitare, quot ſunt beneficia. ibid.
An qui plura beneficia poſſidet teneatur ſaltẽ tot cõmemorationes facere, quot sũt beneficiorũ Patroni. 343
An qui præſtimonium habet, ad perſoluendas horas canonicas teneatur. 345
An qui capellaniam habet, teneatur horas canonicas recitare. 346
An qui habet beneficium in commendam, teneatur horas canonicas recitare. 348
An coadiutor beneficiati teneatur horas Canonicas recitare, ſicut & principalis. 350
An coadiutor teneatur diuinum officiũ perſoluere, ſaltem eo tẽpore, quo onus Eccleſiæ ſuſtinet pro principali. 352
An

An coadiutor teneatur ſaltem recitare officium paruum Beatæ Virginis. ibid.
An qui habet officium manuale, ad horas canonicas teneatur. 353
An penſionarius horas Canonicas recitare teneatur. ibi.
An penſionarius preces aliquas recitare teneatur. 354
An qui cum beneficio penſionem habet, teneatur præter officium magnum, etiam preces Beatæ Virginis recitare. 357
An qui habet beneficium paruum, ad diuinum officium teneatur. 358
Quid ſit dicendum beneficium tenue. 360
An ſolus titulus beneficij ſine actuali poſſeſſione obliget ad recitandum. 364
An qui de certo aliquo beneficio litigant, ad penſum horarum canonicarum teneantur. 370
An beneficiarius qui nullos fructus ſui beneficij percipit, ad recitationem horarum canonicarum teneatur. 373
An qui beneficium impetrat à Romano Pontifice, cuius iuſſu, & authoritate omnes beneficij fructus alteri reſeruantur, teneatur diuinum officium perſoluere. 378
An nouus Canonicus diuinum officium recitare teneatur, qui primo, vel ſecundo anno, nullos prorſus ex beneficio fructus lucratur. 380
An clericus qui habet redditus eccleſiaſticos ſine beneficio, ad diuinum officium teneatur. 383
An qui penſioni ceſſit, ab onere recitandi officium ſit liber. 384
An Religioſi profeſſi, preces horarias recitare teneantur. 385
Quo iure Religioſi profeſſi ad id teneantur. 387
An

An Religioſus nondum in ſacris conſtitutus, qui Romani Pontificis authoritate, & priuilegio extra Monaſterium viuit, horas canonicas recitare teneatur. 391
An Religioſus qui facultatem ducendi vxorem obtinuit ad recitandum diuinum officium teneatur. 392
An clericus qui priuilegio Pontificis vxorem duxit, ad recitandum diuinum officium teneatur. 393
An Religioſus fugitiuus ad horas canonicas teneatur. ibid.
An Religioſus qui ob delictum ſuum eſt ad triremes dãnatus, teneatur diuinum officium recitare. 394
An Religioſus è Monaſterio eiectus ad recitandum diuinum officium teneatur. 395
An Superior poſſit cum Religioſis nondum in ſacris conſtitutis circa obligationem recitandi officium diſpenſare. 396
An ſi Religioſus iuſſu, & authoritate ſuperioris transferatur ad ſtatum conuerſorum, ab horarum canonicarum onere ſit liber. 397
Vtrùm Nouitij diuinum officium perſoluere teneantur. 398 401
Vtrùm fratres, & ſorores tertij ordinis ſancti Franciſci ad horas canonicas perſoluendas teneantur. 399
An Religioſi laici ſeu conuerſi ad horas canonicas teneantur. 401
An laici ſeu Conuerſi ita obligentur vt mortalìter peccent ſi abſque vlla cauſa ſuum officium ſibi præſcriptum prætermittant. 403
An præceptum de recitandis horis Canonicis obliget ad mortale. 404
An peccet mortaliter, qui voluntariè, & ſine legitima excuſatione integrum officium canonicum vnius diei

omittit. 405
An qui ex negligentia notabilem partem officij vnius diei omittit, peccet mortaliter. 406
An peccet mortaliter, qui vnius tantùm horæ officium integrum omittit v.g. Tertiam, vel Sextam. ibid.
An qui vnius horæ aliquam partem omittit, peccet mortaliter. 407
Quænam horarum canonicarum pars cenſeri debeat ita notabilis, vt illius omiſſio ad mortale ſufficiat. 408
An omnes ſeptem horæ Canonicæ vnicum integrum eccleſiaſticum officium conſtituant. 409
An omittens vna die omnes ſeptem horas canonicas, committat vnum tantùm peccatum. 410
An is qui tres, vel quatuor, vel etiam omnes horas omiſit, ſuæ conſcientiæ ſatisfaciat, dicẽdo in confeſſione, commiſi vnum peccatũ mortale in non recitando. 413
Quando peccatum hoc omiſſionis conſumetur. 414
An qui ratione ordinis ſacri, & beneficij ad diuinum officium tenetur, duo peccata ſpecie diſtincta committat, ſi illud recitare prætermittat. 415
An qui plura beneficia poſſidet, tot peccata committat, quot ſunt beneficia, dum diuinum officium prætermittit. 416
An peccet, qui cùm diuinum officium perſoluit, verba mutila, & decurtata ſcienter profert. 417
An qui partem aliquam diuini officij prætermiſit, teneatur totum officium iterum recitare. 421
An qui itinere fatigatus lecto ſuccumbit, cum intentione recitandi in eo memoriter completorium, & inter recitandum obdormiat cum illius omiſſione, peccet mortaliter. 422
An qui ſemidormiens ita diuinum officium perſoluit, vt neſciat,

neſciat, an erret vel audiat, quod dicitur: peccet mortaliter. ibid.

An qui per metum, vel vim horas canonicas recitat, Eccleſiæ præceptum adimpleat: 423

An qui priuata authoritate aliquid addit Breuiario Romano, aliquod peccatum committat. ibid.

An Sacerdos cùm ſolus, aut cum vno ſolo ſocio recitat, debeat vti hac ſalutatione, Dominus vobiſcũ. 424

An hæc ſalutatio poſſit fieri ab aliis, quàm à Sacerdotibus. 425

An qui recitat officium ſedendo, cùm ſtandum eſt, &c. aliquod peccatum committat. ibid.

An horæ canonicæ ſine vlla interruptione ſint recitandæ. 426

An qui ſine iuſta cauſa diuinum officium interrumpit, præcepto Eccleſiæ ſatisfaciat. 431

An qui inceptum officium interrumpit, animo, & voluntate repetendi id, quod iam recitauit, ſuæ obligationi ſatisfaciat, ſi poſtea non repetat, ſed ſolùm continuet reliquum, quod ſupereſt. 434

An qui quotidie tenetur dicere Roſarium, cogatur illud continuè recitare. 435

An tres vigiliæ nocturnæ poſſint ſeparatim recitari. 436

An officium nocturnum diuidi iure poſſit à Matutinis laudibus. ibid.

An mortaliter peccet qui ſine rationabili cauſa officiũ nocturnum à Matutinis laudibus ſeiungit. 437

An quando Matutinum ſeorſim à laudibus decãtatur, dicendum ſit ante Laudum initium, Pater noſter, *cum* Aue Maria. ibid.

An in Eccleſiis vbi Matutinũ more antiquo ſeorſim à laudibus decãtatur, in Matutini fine dici debeat, Pater noſter

noſter *cum* Aue Maria. 438

Vtrum recitatio diuini officij, quę iuſſu Eccleſiæ funditur, vim habeat ex opere operato. 439

An qui ratione ordinis vel beneficij diuinum officium perſoluit, eiuſmodi oratio proſit aliis, quamuis qui recitat in ſtatu peccati mortalis exiſtat. ibid.

An qui ad horas canonicas tenentur, ſuæ obligationi ſatisfaciant, recitando eas ex quouis Breuiario alio, quàm ſui Epiſcopatus. 440

Qua formula Breuiarij vti teneantur clerici ſcholaſtici, dum ratione ſtudij in aliena diœceſi commorantur. 445

Quonam Breuiario vti debet is, qui duo beneficia poſſidet in duabus Eccleſiis, quæ diuerſis vtuntur Breuiariis. 447

An qui non tenentur Breuiario Pij V. vti poſſunt ſi velint vti eo extra chorum. 449

An qui iuxta decreta ſui Epiſcopi tenetur in ſua Eccleſia horas recitare ritu quodam particulari, debeat dum alibi diuertit, vti Breuiario Romano, ſiue alio quod in eo loco vſitatur. 453

An priuilegium conceſſum alicui, ad recitandum diuinũ officium per aliud Breuiarium breuius, &c. intelligatur conceſſum ei qui illum adiuuat ad recitandum. 455

An priuilegium Innocentij IV. conceſſum fratribus Minoribus, &c. ſit reuocatum per dictam Bullam Pij V. 456

An ſit peccatum ad libitum permutare officium vnius diei, in officium alterius. 457

Vtrùm Papa poſſit diſpenſare cum aliquo, vt relicto proprio Breuiario, recitet officium iuxta formã alterius Breuiarij, vel vt recitet de ſancto in die, quo Breuiarium

rium præcipit, vt officium fiat de feria, vel econtra. 463

An Epiſcopus poſſit in hoc diſpenſare. 464

Quid dicendum de eo qui vouit dicere officium talis ſancti puta ſancti Bernardi die ſuo, in quo ſecundùm Breuiarium Romanum dicendum eſſet de feria. 466

An Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat, qui priuatim lingua Hebraica, &c. horas canonicas perſoluit. 467

An peccet qui ita abſque aliqua iuſta cauſa horas canonicas perſoluit. 468

Vtrùm ad recitationem horarum Canonicarum intentio ad eas attendendi requiratur. ibid.

Vtrùm ad recitandum horas canonicas attentio neceſſariò requiratur. 469

An in cap. Dolentes. de celebr. Miſſarum ſint duo eccleſiæ præcepta, vnum recitationis, alterum verò attentionis. 471

Vtrùm attentio actualis ſit ad perſoluendas horas Canonicas neceſſaria. 478

Vtrùm attentio virtualis ſit ad perſoluendas horas Canonicas neceſſaria. 479

An prima attentio ſufficiat ad implendum præceptum recitandi horas canonicas. 480

An qui animo voluntariè diſtracto diuinum officium perſoluit cum propoſito illud repetendi, peccet mortaliter. 481

An qui ſpontè diſtractus horas Canonicas recitauit, & poſtea repetat, peccauerit prima vice ſic recitando. 482

An qui animo vltrò diſtractus horas Canonicas perſoluit, Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat. 483

An qui inter recitandum exercet aliquam actionem attentioni orationis repugnantem peccet mortaliter, & teneatur recitatum redicere. 488

An qui dum diuinum officium perſoluit, veſtibus ſe induit, vel ſpoliat, &c. Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat. 490

An hic peccet ſaltem venialiter. 491

An qui non ex præcepto, ſed ſua voluntate orat ſine attentione, nonnihil peccatum committat. ibid.

An hic peccet mortaliter. 493

Vtrum poſſimus eodem tempore Miſſam audire & horas Canonicas recitare. 494

An aliquo modo peccet qui vtrumque eorum ſimul complet. 495

An præcepto ſatisfaciat, qui deuotè, & attentè diuinum officium perſoluit nolens tunc præcepto ſatisfacere. 497

An teneatur hic mutare intentionem, & habere voluntatem ſatisfaciendi, intra tempus obligationis præcepti. 501

An obligati ad recitandum diuinum officium, vocaliter illud dicere teneantur. 502

Cùm Deus ſit ſcrutator cordium & vt intelligat, & penetret occulta cordium, non indigeat voce, quare petit vocalem orationem. 503

An ad ſatisfaciendum Eccleſiæ præcepto neceſſarium ſit horas canonicas elata voce recitare. 504

Qualis, & quanta debeat eſſe vocis pronunciatio in eo qui horas canonicas perſoluit. ibid.

An clericus ſuæ obligationi ſatisfaciat, ſi in diuino officio recitando ſibi ſocium adhibeat, ita vt ambo alternos pſalmorum verſus, & lectiones recitent. 508

Qui

Qui fuit primus, qui morem hunc alternatim pſallendi in Eccleſiam introduxit. 509
An Clericus Eccleſiæ precepto ſatisfaciat, ſi alternatim horas Canonicas perſoluit cum ſocio, nullam talem obligationem habente. 510
An ſocius tunc teneatur ſub mortali ad attendendum his quæ recitat. ibid.
An qui recitat cum pluribus, teneatur attendere ad verba omnium. 511
An quando tres, vel quatuor alternis verſibus diuinum officium recitant plures, quàm duos choros facere poſſint. 512
An neceſſe ſit quando plures diuinum officium perſoluunt, alternatim lectiones dicere, vel poſſit vnus omnes recitare. ibid.
An qui alternatim cum ſocio diuinum officium recitat, ſufficiat audire antiphonas, orationes, & capitula, quæ ab alio dicuntur. 513
An qui verſus ad ſe pertinentes non recitat, ſed audit, nec propoſitum habet iterum dictum officium recitandi, peccet mortaliter. ibid.
An licita ſit prædicta alternatio dicentis, & audientis in recitatione aliarum dicendarum. 514
An pari ratione licitum ſit coronam, aut Roſarium B. Virginis alternatim recitare. 515
An plures obſtricti ad ſingulas Miſſas dicendas ſatisfaciant ſi vnus eam dicat, & alij miniſtrando, & reſpondendo audiant. 516
Vtrùm is, qui eſt ad chorum, & cantum deputatus ſuum munus & officiũ expleat ſi partem ad ſe pertinentem ita ſubmiſſa, & tacita voce pronunciet, vt non canat cum aliis, ſed tantùm ſocios canentes in altero

chori auſcultet. ibid.
Quomodo Canonici, vel beneficiarij vnius chori ſe gerere debeant, quando verſus in alio choro cantantur. 521
An dum vna pars chori tacet, teneatur attendere ad aliam, quæ cantat, eámque audire. 522
An liceat vti cantu, quando preces horariæ publicè in Eccleſia recitantur. 523
An in officiis diuinis & horis Canonicis liceat vti muſicis inſtrumentis. 526
Vbinam iure communi ſit diuinum officium perſoluendum. 527
An recitare publicè in choro diuinum officium cadat ſub præcepto. 528
Vtrùm hoc præceptum obliget ad mortale. ibid.
Vtrùm Canonici, & cæteri beneficiarij alicui Eccleſiæ deputati, qui abſque iuſta cauſa omittunt dicere officium in choro peccent mortaliter. 530
Vtrùm Epiſcopus ratione ſui muneris, ſeu beneficij horas canonicas cum aliis in Eccleſia publicè recitare teneatur. 533
An Religioſi qui chorum profitētur, teneantur ſub mortali ex vi huius generalis præcepti, ad canendum in choro. 536
An clerici iure communi cùm priuatim horas canonicas recitant, ſatisfaciant Eccleſiæ præcepto, recitando vbicunque voluerint. 538
Cur per ſe loquendo, melius ſit priuatim recitare diuinum officium in Eccleſia quàm alibi. 540
Quo tempore diuinum officium ſit recitandum. 451
An qui ſine iuſta cauſa recitant officium diuinum in choro,

choro, extra horas conſuetas, peccent mortaliter. 545

An clericus peccet mortaliter, qui priuatim recitans ſine iuſta cauſa tempus debitum perſoluendi horas non ſeruat. 547

An hic ſaltem peccet venialiter.

An melius ſit horas Canonicas anteponendo recitare ob negotia, & occupationes ſæpius incidentes, quàm poſtponendo. 552

An liceat dicere Matutinum diei ſequentis in veſperis antecedentis diei. 553

Vtrùm volens Matutinum recitare in veſperis præcedentis diei, debeat ſolem occidentem expectare. 554

An veſpertinæ preces tempore quadrageſimali ante prandium perſolui debeant. 557

Vndenam officium Canonicum incipiat. ibid.

Vbinam officium canonicum finiatur. 559

An liceat inchoare officium diei ſequentis non expleto officio diei præcedentis. ibid.

Vtrùm clericus ſacris initiatus teneatur ſtatim ſuſcepto ſubdiaconatu, diuinum officium perſoluere. 560

Vtrùm beneficiarius teneatur totum officium eo die recitare, quo beneficij poſſeſſionem accepit. ibid.

Vtrùm Religioſus, ſeu clericus, vel beneficiarius qui totum officium integrum recitauit ante profeſſionem, vel antequam ordinem, vel beneficij poſſeſſionem caperet, teneatur iterùm recitare partem reſpondentem horæ in qua profeſſionem emiſit, vel ordinem, aut beneficij poſſeſſionem accepit. 561

Quo ordine diuinum officium recitandum ſit. 562

An qui mutat ordinem pſalmorum, vel inter ſe, vel cum lectionibus, capitulis, aut hymnis, & ſimilia, peccet, & recitatum repetere teneatur. 563
An in hoc caſu ipſamet pars omiſſa repetenda ſit, an verò ſufficiat aliquid aliud loco ipſius recitare. 564
An qui ordine præpoſtero horas canonicas perſoluit, aliquod peccatum committat. 565
An hic peccet mortaliter. 567
Vtrùm peccet mortaliter, qui Miſſam celebrat, nondum recitato Matutino. 568
An ſacerdos qui ob infirmam valetudinem eſt immunis à Matutinis precibus, poſſit tuta conſcientia celebrare. 572
An peccet ſacerdos, qui ante Primæ recitationem, ſine iuſta cauſa ſacrum facit. 573
An qualibet ægritudo corporis iuſtam officij diuini excuſationem præbeat. ibid.
An qui quartana, vel tertiaria febre laborat, vel quia credit ſe aliquo impedimento implicandum, quominus ſuo tempore queat horas canonicas recitare, teneatur intra eandem diem tempus præuenire, aut poſtponere, & officium diuinum ex toto ſoluere. 575
Quid faciendum, quando dubitatur, An ægritudo ſit grauis, vel leuis. ibid.
An cùm de ægritudinis grauitate dubitatur, conſilium & iudicium medici ſufficiat, vt ab onere recitandi infirmus ſit liber? 576
An quando Medicus ipſe dubitat, an morbus ſit grauis, vel leuis, ægrotus ad horas recitandas teneatur. 577

An qui per ſeipſum non poteſt diuinum officium recitare, per alium ſupplere teneatur. 579
An ſtudium excuſet a recitatione horarum. ibid.
An peregrinatio a penſo horarum excuſet. 580
An qui excuſantur à recitatione horarum, teneantur aliquid aliud eius loco dicere aut facere. ibid.
An qui propter infirmitatem non poteſt totum officium recitare, teneatur ad partem quam poteſt. 582
An cæcus à recitatione horarum canonicarum excuſetur. 586
An qui ſolus nequit diuinum officium perſoluere, ſed poteſt cum ſocio, teneatur illum ſibi adhibere. 588
An hic teneatur ſuis propriis expenſis conducere ſocium, cum quo poſſit diuinum officium recitare? 589
An cæcus excuſetur ab aſſiſtentia in choro. 591
Vtrùm cæcus qui ob defectum memoriæ nullam partem precum commodè recitare poteſt, teneatur audire alium omnia dicentem, & cum eo dicere verſus ad ſe pertinentes, vt onus diuini officij impleat. 592
An ſurdus iuſtam excuſationem non recitandi habeat. 593
An ſurdus qui non poteſt diuinum officium dicere ſine ſocio, teneatur illum adhibere. ibid.
An ſurdus excuſetur ab aſſiſtentia chori, quando ratione beneficij ad illam tenetur. 594
An qui loqui non poteſt, teneatur mentaliter diuinum officium perſoluere. 595
An defectus Breuiarij ab onere recitandi excuſet. 596

Sed quid, ſi malitioſè proiecit Breuiarium in mare vel in ignem, vt ſe impoſſibilitaret ad recitandum. 597

An qui antequam Breuiarium compararet vel antequam ſciat diuinum officium recitare, ordinem, vel beneficium ſuſcipit, peccet mortaliter. 598

An qui caret Breuiario teneatur recitare, ſi memoria teneat officium. 599

Vtrùm occupatio repentina, ab obligatione recitandi excuſet. 600

An neceſſarium ſit, obligationem illam charitatis tantam eſſe, vt ſit graue peccatum actionem ita neceſſariam prætermittere, etiam propter dicendum officium. 602

An is qui in choro occupatur in quærendo pſalmos, antiphonas, lectiones, &c. Et ob id impeditur, quominùs horas canonicas recitare queat, iuſtam excuſationem habeat. 603

An metus mortis iuſtam diuini officij excuſationem præbeat. 604

An qui omnino inuitus preces horarias perſoluit, Eccleſiæ præcepto ſatisfaciat. 605

An in excommunicationem incurrat, latam in non recitantem officium, qui illud omnino inuitus implet. ibid.

An qui ſua voluntate in irregularitatem incurrit, vel ob delictum ſuum excommunicatione, &c. feritur, & ob id beneficij fructus non percipit, ab onere recitandi diuinum officium excuſetur. 606

An ignorantia huius præcepti excuſet à recitando. 608

An naturalis obliuio iuſtam diuini officij excuſationem præbeat.

præbeat. ibid.
An qui ſolùm ratione beneficij tenetur dicere officium, & tamen neque per ſe, neque per alterum eſt percepturus beneficij fructus, iuſtam excuſationem non recitandi habeat. 609
An qui tenuiſſimum beneficium poſſidet, iuſtam excuſationem non recitandi habeat. 610
An Romani Pontificis priuilegio poſſit clericus in ſacris conſtitutus, abſolui à lege horas canonicas recitandi. 611
An clericus beneficiatus poſſit Romani Pontificis authoritate à lege horas canonicas recitandi liberari. 612
An ſi Romanus Pontifex conferat infanti aliquod beneficium ſimplex, eo ipſo cenſeatur eum ab onere recitandi eximere. 614
An Epiſcopus poſſit propriè in præcepto recitandi horas canonicas diſpenſare. ibid.
An qui dubitat, an diuinum officium dixerit, teneatur illud repetere. 615
An qui diuinum officium perſoluit, ſed propter mentis euagationem, eſt anceps, an hymnum, vel pſalmum dixerit, teneatur hymnum illum, vel pſalmum iterum recitare. 616
An qui diuinum officium perſoluit, & propter ſcrupulum timet, ac putat ſe non ſatisfacere, ideóque proponit recitatum repetere, teneatur iterum recitare, ſi poſtmodum rationabiliter credat ſe ſatis feciſſe. 617
An qui hodie ob iuſtum impedimentum penſum horarum prætermiſit, teneatur cras illud ſupplere. ibidem.

An qui diuinum officium non recitauit, teneatur in ſatisfactionem totum officium omiſſum repetere, & hoc ſit ei à confeſſario iniungendum. 618

An recitatio, quæ eſt peccatum ob indebitam loci, aut temporis, aut finis circunſtantiam appoſitam, ſit reiteranda. 619

An qui ad diuinum officium obligatur, ſuo muneri ſatiſfaciat, ſi alicui mandet, vt pro ſe illud dicat. 621

An clerici ſacris ordinibus initiati, vel beneficiarij, aut Religioſi profeſſi, horas canonicas prætermittentes, cenſuram, aut aliquam aliam ſpiritualem pœnam ipſo facto incurrant. ibid.

An clerici in ſacris conſtituti, nullum tamen beneficium habentes, ad aliquam reſtitutionem teneantur, ſi diuinum officium prætermittunt. 622

An beneficiarius qui in peccato mortali diuinum officium perſoluit, ad reſtitutionem fructuum teneatur. ibid.

Vtrùm beneficiarius qui ſcienter diuinum officium prætermittit, iure diuino, & naturali ad fructuum reſtitutionem teneatur. 624

Vtrùm beneficiarius ſcienter horas canonicas prætermittens, teneatur de iure communi canonico, & antiquo ad reſtitutionem fructuum. 625

An extet aliquod ius nouum, quo horas canonicas prætermittens, eo ipſo teneatur fructus beneficij perceptos reſtituere. 626

An beneficiarius qui diuinum officium ſcienter omiſit in primis ſex menſibus accepti beneficij, teneatur ad reſtitutionem fructuum reſpondentium illis diebus. 628

An qui intra primos illos ſex menſes ab impetrato beneficio abſque iuſta cauſa diuinum officium prætermittit, lethaliter peccet. 629

An qui hodie non recitauit, ſed altera die ſuppleuit defectum in recitatione diuini officij prætermiſſi, ad reſtitutionem fructuum teneatur. 630

An qui plura beneficia legitimè poſſidet, nec horas canonicas recitat, teneatur pro rata officij fructus omnium beneficiorum reſtituere. 632

An qui mente vltrò diſtracta diuinum officium recitat reſtituere fructus teneatur. 634

An excommunicatus recitans officium in excommunicatione, poſſit retinere fructus beneficij. 635

An qui vno, vel pluribus diebus diuinum officium non recitauit, debeat fructus reſtituere pro rata omiſſi officij. 636

An pro omiſſione minori, quàm vnius horæ integræ, ſit aliquid reſtituendum. 638

An vniuerſaliter omnes beneficiarij horas canonicas non recitantes, teneantur reſtituere omnes fructus beneficij integrè pro rata temporis, quo horas amittunt. 639

An penſionarius qui officium paruum Beatæ Virginis quotidie non ſoluit, fructus ſuæ penſionis reſtituere teneatur. 643

An hæc fructuum reſtitutio facienda ſit ſtatim in conſcientia, non expectata Iudicis ſententia. 644

Cui facienda ſit hæc reſtitutio. 645

Quid nomine pauperum hoc loco intelligatur. 646

An appellatione pauperum veniant non ſolùm mendici,

dici, ſed etiam alij, qui quamuis neceſſaria naturâ habeant, ad decentiam tamen perſonæ neceſſariis carent. ibid.

An hæc reſtitutio facienda ſit pauperibus illarum eccleſiarum, vbi ſita ſunt beneficia. 647

An ſi beneficiarius pauper ſit, aut eius mater, fratres, aut ſorores, poſſit ſibi, aut eis hanc reſtitutionem facere. ibid.

Vtrùm beneficiarius qui horas canonicas prætermiſit, poſſit ſibi retinere fructus, quos titulo remiſſionis recepit à pauperibus. 648

An hæc reſtitutio fieri poſſit pro celebrandis Miſſis, vel in aliis ſuffragiis, offerendis pro defunctis. 649

An hæc reſtitutio facienda ſit fabricæ illius Eccleſiæ, vbi ſitum eſt beneficium. 650

Vtrùm penſionarius non recitans officium paruum Beatæ Virginis, teneatur inſumere penſionem in fabricis, vel pauperibus, vel potius non accipere à beneficiario ſoluente illam. ibid.

An paruum Beatæ Virginis officium ad horas canonicas pertineat. 652

An qui debet horas canonicas recitare, teneatur quoque perſoluere preces Beatæ Virginis. ibid.

An clerici certis hebdomadæ diebus teneantur officium mortuorum perſoluere. 653

An Canonicus eius Eccleſiæ, in cuius choro cani ſolent prædicta parua officia, recitare debeat eadem, cùm priuatim extra chorum horas canonicas perſoluit. 654

Quoſnam comprehendat hæc obligatio in choro recitandi prædicta officia, ſingulos in particulari, an communitatem,

munitatem, an denique ad ſolum Prælatum extendatur. 655

An clerici, & beneficiarij qui proceſſionibus, dum litaniæ decantantur, non interſunt, teneantur ſub mortali priuatim eas recitare. 656

TERTII LIBRI
Quæſtiones.

QVID nomine diſtributionum in iure intelligatur. 658

Quid ſint diſtributiones quotidianæ. ibid.

An appellatione fructuum beneficij diſtributiones quotidianæ comprehendantur. 661

An appellatione redituum, ſeu prouentuum beneficij quotidianæ diſtributiones comprehendantur. 664

Quo iure introductæ ſint diſtributiones. ibid.

Qua de cauſa introductæ ſint quotidianæ diſtributiones. 665

Quibuſnam diſtributiones quotidianæ debeantur. 666

An conſuetudine introduci poſſit, vt in abſentia quis percipiat diſtributiones. 667

Vtrùm Canonici teneantur diuinum officium canendo recitare. 668

Vtrùm Canonicus poſſit alium in ſui locum ſubſtituere, & diſtributiones capere. 669

An Canonici aſſiſtentes tantùm perſonaliter choro, & ibi non recitantes, ſed domi, eos fructus ſibi acquirant, quos quotidianas diſtributiones appellant. 670

An conſuetudine introduci poſſit, vt Canonici choro intereſſentes, & per alios canentes, poſſint diſtributiones acquirere. 674
An hæc conſuetudo poſt Concilium Tridentinum, & prædictam Pij V. conſtitutionem valeat. 676
Quantum temporis requiratur, vt huiuſmodi conſuetudo legitimè introducta cenſeatur. ibid.
An qui alternatim diuinum officium perſoluunt, ad vtrumque chorum canentem attendere teneantur. 677
An Canonicus ſuæ obligationi recitandi officium ſatisfaciat, qui ſuos verſiculos ad ſe pertinentes recitat, ſed alios quos alter chorus dicit, non percipit, quamuis attendat. 678
An qui ob mortalem finem diuinum officium perſoluit, ſuo muneri ſatisfaciat. 679
An qui in eadem Eccleſia licitè duas habet præbendas, vt ſi ſimul ſit Archidiaconus, & Canonicus, vna intereſſentia diſtributiones duplices acquirat. ibid.
An per conſuetudinem fieri poſſit, vt habens dignitatem, & canonicatum, vel duos canonicatus, vna intereſſentia, vtriuſque canonicatus diſtributiones capiat. 682
Quantum temporis ſufficiat ad hanc conſuetudinem legitimè introducendam. 683
Ex quibus cauſis Canonici abſentes licitè poſſint diſtributiones quotidianas acquirere. ibid.
An quælibet infirmitas excuſet ab obligatione intereſſendi, vt diſtributiones lucretur. 684
An infirmus qui ante infirmitatem choro aſſiſtere non ſolebat, poſſit nunc tempore infirmitatis diſtributiones lucrari. ibid.
An

An qui choro intereſſe ſolebat, ſed concepto propoſito non intereſſendi, incidit in morbum, poſſit diſtributiones percipere. 685
An qui aliàs, cùm bene valebat, diuinis officiis tempore ſtatuto intereſſe conſueuerat, ſua culpa in morbũ incidit, vt quia intemperanter vixit, aut quia altercando vulnus accepit, poſſit tuta conſcientia diſtributiones acquirere. 686
Sed quid de eo, qui data opera in morbum incidit, vt morbo impeditus perſonaliter eſſe nequiret, An hic poſſit diſtributiones lucrari. 687
An diſtributiones debeantur ei, qui cauſa acquirendæ ſanitatis, de conſilio Phyſici vrbe egreditur ad balnea, &c. ibid.
Vtrùm abſens à choro ob iuſtam, & rationabilem corporis neceſſitatem, poſſit diſtributiones recipere. 689
An Canonicus qui fuit in carcerem coniectus, poſſit pro tempore quo in vinculis detinetur, diſtributiones percipere. 690
An huiuſmodi canonico iniuſtè in carcerem coniecto debeantur etiam mortoria, ſeu funerales portiones, & anniuerſaria, &c. 691
An qui ob ſenectutem diuinis officiis, prout debet, intereſſe nequit, poſſit diſtributiones acquirere. 692
An qui metu peſtis contrahendæ ab Eccleſia recedit, poſſit diſtributiones percipere. 693
Vtrùm excommunicatus, ſuſpenſus, & interdictus quotidianas diſtributiones acquirat. 694
Vtrùm Canonici qui tempore ceſſationis nequeunt diuinis officiis intereſſe, diſtributiones acquirant. 696

Vtrùm

Vtrùm Canonici diſtributiones amittant, quando Eccleſia, in qua diuina officia celebrantur, eſt polluta. 697
Quotnam ſint caſus, in quibus Eccleſia polluitur, ita vt in ea diuina officia perſolui nequeant. 698
Vtrùm Canonicus qui eſt irregularis, ob irregularitatem diſtributiones amittat. 699
An realiter degradatus diſtributionibus priuetur. ibid.
An realiter degradatus alendus ſit ex diſtributionibus, ſi aliunde non habet, quo alatur. 700
An degradatus verbaliter alendus ſit ex diſtributionibus, quoties aliunde non habet, vnde viuat. ibid.
Vtrùm Canonicus, qui eſt beneficio priuatus, poſſit diſtributiones percipere. 701
An beneficiarius qui eſt in peccato mortali quotidianas diſtributiones amittat. ibid.
Vtrùm abſens in Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, poſſit diſtributiones percipere. 702
An qui tempore diuini officij detinetur in confeſſione ſuorum peccatorum, poſſit diſtributiones lucrari. 704
An qui tempore diuinorum officiorum abeſt cauſa peregrinationis, poſſit diſtributiones percipere. ibid.
An qui abeſt propter euidentem neceſſitatem ſuæ Eccleſiæ, quotidianas diſtributiones accipere poſſit. 705
Vtrùm abſenti ad tuenda Capituli iura, diſtributiones debeantur. 706
Vtrùm Canonici quibus locorum piorum cura commiſſa, poſſint diſtributiones percipere pro eo tempore, quo vt piis illis locis rem aliquam vtilem faciant,

faciant à diuinis officiis abſunt. 707
An qui ſpontè procurauit ſibi à Capitulo munus demandari ad peragenda Eccleſiæ negotia tempore diuinorum officiorum, poſſit tempore abſentiæ diſtributiones lucrari. 709
An Canonicus qui à Capitulo munus accepit ad negotia Eccleſiæ peragenda, quæ extra tempus diuini officij expedire pôterat, diſtributiones lucretur, ſi ea tempore diuini officij expediat. ibid.
An qui ad peragenda Eccleſiæ negotia citiùs diſceſſit quàm par eſt, poſſit diſtributiones percipere pro eo tempore, quo citiùs diſceſſit. 710
Vtrùm Canonicus qui à Capitulo mandatum habuit expediendi negotium aliquod, in euidentem Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, poſſit diſtributiones lucrari, ſi hic aliquod temporis ſpatium in prophanis recreationibus inſumpſit, in quo cæteri canonici diuinis officiis aſſiſtunt. ibid.
An qui ob negotium ſuæ Eccleſiæ commodo conducens, ſine licentia Epiſcopi abeſt, poſſit diſtributiones percipere. 711
An qui abſunt ab officio chori, quia ſunt in obſequio Epiſcopi, vt ſi illum comitentur, dum diœceſim viſitat, poſſint diſtributiones percipere. 712
Vtrùm abſens in ſeruitio Principis ſæcularis poſſit diſtributiones percipere. 714
Vtrùm abſens in ſeruitio Cardinalis, poſſit diſtributiones lucrari. ibid.
Vtrùm abſens in ſeruitio Cardinalis legati debeat diſtributiones percipere. 715
Vtrùm abſens in ſeruitio Papæ, poſſit diſtributiones lucrari. 716

Vtrùm ei qui ſimul eſt Canonicus, & Vicarius Capituli, diſtributiones debeantur, dum ſede vacante tempore diuinorum officiorum Vicarij munus exercet. 717
An qui ſimul eſt Canonicus, & Vicarius Epiſcopi poſſit diſtributiones percipere, dum tempore diuinorum officiorum, Vicarij munere fungitur. ibid.
An Canonicus qui abeſt ad tuenda ſui beneficij iura, poſſit diſtributiones lucrari. 718
Vtrùm Canonicus qui eſt etiam Capellanus, percipere poſſit diſtributiones, qui celebrat in Eccleſia Collegiata, vel cathedrali, cui eſt adſcriptus, dum diuina officia celebrantur. 719
An Canonicus qui de mandato ſui ſuperioris celebrat tempore diuini officij, poſſit diſtributiones percipere. 720.
An pœnitentiarius qui tempore diuini officij confeſſiones audit, poſsit diſtributiones percipere. ibid.
Vtrùm alij Canonici, qui tempore diuinorum officiorum confeſſiones in Eccleſia audiunt, diſtributiones percipere poſsint. 721
Vtrùm Canonicus qui ſimul habet curam animarum in alia Eccleſia, poſſit diſtributiones lucrari, dum tempore diuini officij abeſt, vt curæ animarum inſeruiat. 722
Verùm abſens cauſa ſtudij, poſſit diſtributiones percipere. 723
Vtrùm Theologus Eccleſiæ cathedralis poſſit diſtributiones lucrari, ſi tempore diuini officij à choro abſit prætextu lectionis, aut concionis parandæ. 725

Vtrùm abſens à choro poſſit ex priuilegio diſtributiones percipere. 727
Vtrùm Papa poſſit diſpenſare, vt abſens valeat diſtributiones lucrari. ibid.
An conſuetudine induci poſſit, vt abſentes diſtributiones percipiant. 728
An valeat conſuetudo, quà Canonicus deforis veniens per duas, vel tres dies domi manere poſſit, ad res ſuas commodandas, & tamen pro eo tempore diſtributiones percipiat. 729
Vtrùm diſtributiones quas Canonici amittunt ob abſentiam à diuinis officiis, intereſſentibus accreſcant. 730
Vtrùm diſtributiones abſentium debeantur non ſolùm actu intereſſentibus, verùm etiam aliis, qui iuris fictione cenſentur intereſſentes, vt qui abſunt ex cauſa infirmitatis, &c. 732
An vetita ſit diſtributionum remiſſio. 733
An vetita ſit diſtributionum donatio. 736
An colluſio circa diſtributiones ſit licita, aut valida. 738
An qui diuinis officiis non interfuit, teneatur non ſolùm diſtributiones non recipere, verùm etiam; & perceptas reſtituere; ante vllam Iudicis ſententiam. ibid.
Vtrùm beneficiarij ſint verè, & propriè vſuarij fructuum, & redditum eccleſiaſticorum. 741
Vtrùm beneficiarij ſint vſufructuarij fructuum ſuorum beneficiorum. ibid.
Vtrùm Epiſcopi, & beneficiarij ſint verè, propriè, & ſimpliciter domini fructuum, quos ex ſuis beneficiis percipiunt. 742

Vtrùm beneficiarij arctiùs teneantur ad dandam eleemoſynam ex fructibus ſuorum beneficiorum, quàm laici ex ſuo patrimonio. 751
An beneficiarij qui ſuperflua decentiæ ſui ſtatus in prauos, vanos, aut prophanos vſus expendunt, aut ſibi retinent, peccent mortaliter. 754
Quodnam beneficium cuilibet clerico ad decentem victum ſufficiens cenſeatur. 754
Vtrùm beneficiarij poſſint de eo diſponere, quod ſibi parciùs viuendo ſubtraxerunt ex portione ſuis vſibus deputata, an verò teneantur illud pauperibus erogare. 757
Vtrùm beneficiarij poſſint de bonis, & redditibus annuis ſuorum beneficiorum teſtari. 758
An beneficiarij Romani Pontificis priuilegio teſtari poſſint. 760
An beneficiarij qui de illa parte prouentuum, quæ ſupereſt, ad cauſas prophanas teſtantur, peccent mortaliter. 761
An tale teſtamentum ad cauſas prophanas factum valeat. 762
An beneficiariis conſanguinei ſuccedant ab inteſtato in fructibus beneficiorum. ibid.
Vtrùm beneficiarius dum eſt in periculo mortis, poſſit de redditibus ſui beneficij aliquid donare. 763
An penſionarius teneatur dare pauperibus quod ſupereſt de fructibus penſionis. 764
An penſionarius teſtari poſſit de fructibus penſionis. 765
Vtrùm clerici collegiatarum Eccleſiarum ſint verè, &

& propriè domini quotidianarum diſtributionum. ibid.
An clerici collegiatarum, vel cathedralium Eccleſiarum liberè poſſint teſtari de quotidianis diſtributionibus. 767
An clericis conſanguinei ſuccedant ab inteſtato in quotidianis diſtributionibus. ibid,

FINIS TABVLÆ.

ANT. 1742046

.411
[redacted]